

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS I.

DIE VENERIS, V. NON. IVLII, CIƆ IƆCCLXI.



HAFNIA. XXII. IVNII.

Heri, in templo aulico Fridensburgensi, ſacro confirmationis, quam vocant, ritu inaugurabatur celſiſſima Princeps regia, Sophia Magdalena, auguſtae gentis, ſexusque elegantioris decus. Intererant ſollemni caerimoniae Rex auguſtiſſimus, Regina vtraque, Principes regiae, Senatus Regis ſanctior, cum flore nobilitatis aulicae vtriusque ſexus. Aderant venerandi ordinis viri primarii, Harboeus, Seelandiae Praeſul, Pontoppidanus, academiae Procancellarius, Profeſſores theologi, aulae oratores ſacri, in his Quiſtius ritum hunc adminiſtraturus. Poſtea quam, decantato hymno,





explicata pro concione erant, quae ipsa Princeps inauguranda praescripserat, verba Dauidica, Ps. 19, 15, ad quaestionis religiosi examinis tam praesenti animo constantique respondebat celsissima Princeps, vt omnium, qui audierant, commotio cum insigni admiratione coniuncta sequeretur.

Quae Friderici quinti nomine insignita nauis, praefecto Kaasgando, itineri Maroccano destinatur, iam prope litus in ancoris consistit,* vela propediem factura.

* liegt auf der Rhede.

Laudabile exemplum munificentiae reliquit Petersenius, mercator nuper mortuus. Legauit aedes suas, templo Spiritus S. adiacentes, recipiendis in eas, alendisque ex reditibus, quos constituit, virginibus duodecim, mercatorum filiis. Accedent ad legatum illud, temporis progressu, aliae pecuniae in fenore positae, quas itidem stipendia esse voluit testatoris liberalitas.

OLYSSIPPONE. XXVI. MAII.

Paucis ante diebus ex America adduxit nauis centum & viginti quatuor ordinis Jesu sodales: quam cum centum et quinquaginta conscendissent, haud pauci scorbuto, quo plurimi etiamnum adficiuntur, perierunt. Atque hoc ipsum transuectioni Italicae moram adfert. Ceterum, credere iubemur, in Americanis regionibus,

bus, quae quidem Lusitanis pareant, eius societatis reliquum esse neminem.

HOLMIA. XXIII. IVN.

Indulsit Rex precibus, quibus Liber baro Lantingshusanus, vt deponere imperium militare in Pomerania summum sibi liceret, semel iterumque petierat: iamque in dies singulos huius exspectatur aduentus. Praeerit interea exercitui Lubeckerus, Eques, et Supremus vigiliarum præfectus*, imperium illud Ehrenschwerdto traditurus, Legato bellico **, eidemque ordinis Ensiferorum praefecto.

* Generalmajor.

** Generallieutenant.

AVGUSTA VINDELICORVM. XIX. IVNII.

Ii iam apud nos rerum apparatus fiunt, quibus intelligatur, breui agitatum iri sollemnes illas pacis deliberationes. Multo etiam celebrius, quam ante nuntiabatur, futurum videmus, legatorum numero, concilium ipsum. Quos aulae per Europam principes, pacis conciliatrices, huc ablegabunt administros, horum plerisque iam de aedibus conducendis prospectum est. Legati quidem Prussici, Liberi baronis a Plotho, etiam allata supellex. Atque aula Romana missura dicitur, qui pacificationi intersit.

E SAXONIA. XXV. IVNII.

Ex copiis Daunii, summi castrorum praefecti, fama refert, iterum delectos * esse, sexies mille homines, in Bohemiam ituros. Haec diminutio vt minus sentiatur, efficiet communis Germaniae exercitus **, magnis itineribus appropinquans.

* detaschirt.

** Reichsarmee.

LIPPSTADIO. XXV. IVNII.

Nudius tertius Haga Comitum veniens hanc vrbem transibat cursor, expugnati ab Anglis Palatii, Bellae insulae Castelli, nuntius.

HAMBVRGO. XXIX IVNII.

Lubeca in vrbem nostram se contulit Dux Megapolitanus vna cum Coniuge serenissima. Suerino iam aduenerat serenissima Princeps Vlrica. Aquis Pyrmontanis hic inter hortorum amoenitates perfrui velle dicuntur.

ALTONA. II. IVLII.

Exercitum Sobisii ducis, qui militum octoginta millibus constare perhibebatur, sunt, qui non amplius quinquaginta millia habere confirment. Ad terminos Hannoveranos propius mouet: propterea Hannouera aeque ac Zella plurimae res pretiosae aliorsum translatae sunt.

Mensis elapsi die tricesimo Hassiaca cohors prae-

praetoria, eaque pedeſtris, Brunſuico profecta, Luneburgum venerat, ibidem hodie equeſtris etiam exſpectabatur. Receptum iam ante erat aerarium militare. Eodem vtrum conceſſurus eſſet ipſe ſereniſſimus Landgravius, nondum conſtabat.

Ferdinandus Dux, relicto ad Warburgum cum valido agmine Sporkenio, Broglii ſeruandi cauſſa, cum delectis inde copiis profectus erat, ad exercitum ſe Principis Brunſuicenſis in tractu Suſatenſi iuncturus, cumque Sobiſio, qui propius aberat, collatis ſignis depugnaturus.

RES LITTERARIAE.

Liceat nobis, hoc indice, ducto ab ipſa ſcriptione argumento, paucis exponere, quam nobis in tradendis rebus tum politicis, tum litterariis, ſequendam putemus rationem.

Enarrare animus eſt, ſermone, quantum fieri poterit, Latino, & ad Romanae elegantiae conſuetudinem compoſito, res in orbe terrarum nuperrime geſtas.

Ad politicas quidem quod attinet, tum ex libellis publicis, tum ex litteris amicorum, ſeligemus potiſſimum eas, quae vel lectu iucundae, vel cognitu vtiles viſae fuerint. Quo ipſo futurum ſperamus, vt, ſi quas forte nouitatis

gratia minus commendarit, hae tamen alio nomine haud indignae ſint, quae legantur. Communicabit etiam nobiscum Vir generoſus, et in hoc publice promerendi ſtudio paternae laudis aemulus, qui Commentarios hoſce ſcribendos curat, bonam rerum nouarum, quae vndique ad eum perſcribuntur, copiam: nec patietur, vt libellis in hoc genere et vernacula lingua et Gallica, ipſius impenſis, prodeuntibus concedant Commentarii Latini, hoc eſt, vſibus litteratorum hominum dicati.

Eo etiam accuratior nobis diligentia erit adhibenda ad partem libellorum alteram, quae, vt linguae Romanae vſum, ita forum quoque noſtrum haud paullo propius attingit.

Deligemus, in copioſo ſcriptorum prouentu, libros, de quibus exponamus praecipue hos, qui in humanioribus diſciplinis verſentur. Ac quemadmodum in laudando nihil ſumus vel amicitiae auctorum, vel partium ſtudio daturi: ita, ſi quid forte reprehendendum videbitur, nunquam committemus, vt calumniae, aut mordacitatis, aut alius in ferenda ſententia vitii, ab hac noſtra humanitatis profeſſione alieni, accuſari iure queamus. Eandem aequitatis, ac modeſtiae legem ſeruabimus, quoties nobis erit de fortuna, de vita, de meritis aliorum exponendum.

Qua ſane moderatione illud viciſſim meritu-

ri

ri videmur, vt, si quid in his commentariis erratum sit, quod accidere vel exercitatissimis potest, indulgeant nobis paullulum, placideque nos moneant, linguae Romanae existimatores.

Nimirum non leuis operae labor est, id quod hac scriptione ipsa magis etiam experti sumus, res a veterum Romanorum cognitione vsuque remotas antiqua illa Latii lingua referre. Hic profecto non minus, quam in carmine, locum habeat illud Horatii,

Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint, Scripturus.

Habet in primis res tum ciuilis, tum militaris in titulis hominum, munerumque, in rerum, artiumque vocabulis, bene multa, quae quibus vocibus ac formulis efferri latine queant, vt intelligantur, non sine meditandi quaerendique labore reperias. Idem vsu venire in nominibus hominum et locorum propriis potest. Hic qui ad latinam consuetudinem immutare omnia vellet, in alium terrarum orbem, ad alios homines ducere lectorem videretur. Cuius nos commodo consulturi subiiciemus, in vtroque genere, quoties necesse fuerit, vocum interpretationem vernaculam, vel Gallicam; finitoque cursu annuo, praeter rerum indicem, verborum quoque recensionem dabimus.

Cete-

Ceterum omnem nos quidem operam eo conferemus, vt in ipſa narrandi ratione ſtilus ad veterem elegantiam caſtigatus adpareat. In quo tamen nunquam non cogitabimus, commentarios hic ſcribi, tenui eos dicendi genere, neque nimis ornato, componendos: cauebimus que moleſtum illud, quo peccare ſaepius Cicerones hodierni putantur, in rotundandis periodis ſtudium.

Quod ſupereſt, Maecenatibus, et fautoribus litterarum, quorum vt quisque ingenio vel doctrina maxime excellit, ita tueri ac prouehere auctoritate ſua et beneuolentia ingenuas artes ſolet, nouum hoc celebrandae linguae cultioris inſtitutum, qua decet, obſeruantia commendamus. Viros eruditos, ſtilo cultiori deditos, ſcholarum in primis ac iuuentutis doctores, quam humaniſſime rogamus, ac per communia litterarum ſacra obteſtamur, ſi vtilem litteris, ſi ſtudioſis earum iucundum intelligant hunc commentandi laborem, velint ſua illum ſuffragatione, ſuis conſiliis iuuare. Quodſi in partem quoque venire ſtudii haud grauentur mittendis, quibus ornari libelli queant, rebus nouis, obſeruationibus, verſiculis cet. et nobis gratiſſimum facient, et de opere magis magisque perficiendo egregie merebuntur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extraneis, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS II.

DIE MARTIS, NONIS IVLII, cIↃ IↃCCLXI.

MANTVA CARPETANORVM. VIII. IVNII.

Araniuezo hodie Chinconum concedet Rex, multis ex aula comitantibus. Hoc vici nomen est Castiliae veteris, Comitatus dignitate celebrati. Cuius a fratre, Duce Parmensi, nouissime redemti possessionem sollemni festoque adparatu occupabit Ludouicus, Regius Hispaniae filius *.

* Infant.

GENVA. X. IVNII.

In mari mediterraneo Anglorum naues, primi quidem ordinis duodecim, decem et tres minores, praedatoriae * vero ingenti numero

volitant: quae vsque ad orientis litora ** excursiones suscipiunt.

Ad Prouinciae oram maritimam piraticae *** Barbarorum tres cursibus agitantur.

* Caper.

** Levante.

*** Corsaires de Barbarie.

HAGA COMITVM. XX. IVNII.

Kauderbachius, Poloniarum Regis Electoris Saxoniae administer, ad concilium quo pacificationis consilia agentur, cum auctoritate legatus*, crastina luce Augustam Vindelicorum iter instituet; vnaque cum eo Brühlius iunior, Comes, Hagae nostrae annos aliquot commoratus.

* Bevollmächtigter auf dem Friedenscongresse.

Qui ad idem concilium proficiscetur, Yorkius, militum summus imperator, die Saturni Londinum reuerti cogitat, augustissimi Heri sui ea de re mandata accepturus*.

* seine Instructionen erhalten.

Lis Haareniana, qua fieri potest, diligentia disceptatur. Jubebatur etiam nuper admodum pars aduersa respondere quaesitori*. Quam qui iusta expositione scribenda defendere instituerat, patronus, declarasse fertur, quae sibi tradita sint documenta, ita comparata esse, vt perficere eiusmodi laborem nec possit, nec velit.

* ward verhöret.

PORTV

PORTV GRATIAE. XVIII. IVNII.

Quae loco litoris noſtri portuoſo conſtituta eſt Anglorum claſſis, die menſis huius vndecimo conſtabat nauibus bellicis* binis, tribus leuioris ſtructurae**, vna vectoria***. Interceptum ab his fuit nauigium paruum, linteis Fecampo Bononiam vehendis oneratum: capta etiam nauicula piſcatoria.

* Schiff von der Linie.

** Fregatte.

*** Pinke.

LVTETIA PARISIORVM. XXII. IVNII.

Datum eſt a Rege negotium viris ſex ex his, qui ipſius ſunt a conſiliis publicis, vti conſtitutiones patrum ordinis Jeſu cognoſcant. Cauſſae orator * dictus eſt, libellorum ſupplicum magiſter**, Fleſſelius, regni Senatus ante hac conſiliarius ***.

Stanleius, Magnae britanniae adminiſter, heri in conſpectum Regis adductus, et ab hoc liberaliter admodum clementerque exceptus fuit. Neque tamen quae cum noſtris conſilia confert, maiorem pacificationis ſpem faciunt, quam quae Londini colloquia ſerit Buſſyus.

Guadalupae praefectum, quod inſulam hanc ante oppugnatoribus Anglis tradidiſſe cenſebatur, quam extrema defenſionis expertus eſſet, Martinicae, iudicii bellici ſententia de gradu digni-

dignitatis equestris deiecit, ordinisque S. Ludouici insignibus orbauit.

* Rapporteur

** Maitre des requêtes.

*** Parlamentsrath.

VINDOBONA. XX IVNII.

Sub finem mensis Seylerus, Comes, Ratisbona Augustam vindelicorum cogitat. Eodem etiam Flemmingius, Comes, vna cum coniuge propediem abire decreuit. Iter illud quando ingressurus sit Kaiserlingius, Russiae Imperatricis legatus, nondum constat. Huic, vt in illustri illo conuentu longeque celeberrimo, pro Herae suae dignitate et opibus, splendore ac magnificentia prodire queat, ad pensionem solitam additi dicuntur imperiales Russici * quadragies mille, atque vicies mille cibariorum ** nomine: praeterea ad sumtum itinerarium insignis pecuniae summa attributa.

* Rubel.

** Tafelgelder.

HIRSCHBERGA. XIX. IVNII.

Per circuli huius pagos edictum Prussicum propositum est incolis de farinae panisque copia facienda, vt simul atque usus postulasset, subministrari statim possit.

Moueri exercitum Prussorum, dubium non est: intraque dies paucos certiora perscribi hac de re poterunt. Princeps Bernburgicus in montosis prope Kunzendorfium locis cum se-

lecta manu magni roboris adhuc consistit. Ibi quamdiu ipse Rex augustissimus principia castrorum * posita habuit, singulis fere diebus per agros equo vectus, obuiosque sibi ruris incolas comiter subinde humaniterque allocutus est.

* Hauptquartier.

Discedente iam cursore, audiebatur, ex Laudoni copiis, quas legionibus nonnullis auxisset communis Germaniae exercitus, duodeuiginti cohortes * multasque turmas ** ad Silesiae fines accessisse, easdemque a Friedlandia vsque ad Conradi siluam longe lateque dispergi. Atque saltus quoque, qui in eo sunt tractu, a Croatis obsideri dicebantur.

* Bataillons Infanterie.

** Reuterey.

ALTONA. VII. IVLII.

Nouissimis Holmensium litteris d. XXVI. mensis praeteriti datis, accepimus, Strombergium, comitem, regnique Suecici senatorem, muneris huius vacationem petiisse. Eodem die iter Wermelandicum ad aquas Lockanas ingressus est Rex, vna cum Regina genteque regia. Itineris comites, praeter complures alios genere et dignitate conspicuos, erant Schefferus, Hamiltonus, et Lagerbergius, Regni senatores.

Modo litteris ex Silesia allatis perfertur, Golzium, ducem militum, qui exercitui Prussico cum summa fortitudinis et prudentiae bellicae laude praefuit, morbo, in quem inciderat, vitam finiisse.

RES LITTERARIAE.

HOMERI opera omnia, ex recensione et cum notis Samuelis Clarkii. Accessit varietas lectionum mſ. Lipſ. et codd. veterum, cura Jo. Augusti Ernesti, qui et ſuas notas adſperſit. Vol. I. II. III. IV. Lipſiae, 8. mai. clɔ Iɔcclix - lxi.

Hunc indicem editio praefert elegantiſſima principis poëtarum; abs quo vt veteres olim litterarum auſpicia ducebant, ſic nos, forte conſultius, hunc recenſendae ſupellectilis litterariae laborem auſpicamur. Quae res ipſa etiam boni ominis non nihil habere videbatur, et ad id, quod agimus, aptiſſime cadere: quod hic ſtatim, tanquam in veſtibulo, ponere ac venerari liceret nomina lectoribus noſtris pridem iucunda duumvirorum, de humanioribus ſtudiis, hac quidem memoria, omnium maxime meritorum. Inſcripſit enim IO. AVGVSTVS ERNESTI opus illud IO. MATTHIAE GESNERO.

Sed ad Homerum veniamus, et, cum Clarkianus labor dudum celebratus ſit doctiſſimorum hominum vocibus: illis inuentis quid Erneſtina diligentia adiecerit, referamus. Quod enim Clarkii editionem hic repetere propoſitum erat: propterea non immutandis, quae minus recta viderentur; ſed addendis, quae lectorem monerent, impenſa potiſſimum fuit.

Itaque

Itaque contextum hic legimus, qualem Clarkius dederat, hoc eſt, Barneſianum, praeter quam in paucis, neque ex libris ſcriptis, collatisue editionibus antiquis magnopere caſtigatum. Sed adiecta eſt partim ex codice manu ſcripto bibliothecae Paullinae, ante mille amplius annos exarato, partim ex editionibus veteribus, varietas lectionum ea, quae et fundamenta quaedam iaciat editionis locupletioris, et materiam praebeat idoneam, ſi quis textum Homeri ad libros veteres melius conſtituere elit, quam nunc eſt in editis.

Eadem de cauſſa verſio Clarkii, emendatior illa quidem ceteris, ſed tamen permultis locis parum elegans, qualis erat, relicta eſt. Neque in notis, eximiis alias, et ad intelligenda Carminis Homerici artificia praeſtantiſſimis, quidquam fuit reciſum, quod vel nimium cenſeretur, vel alieno loco poſitum. Sed faciendum ſibi putauit adnotationibus, quas adſperſit eruditiſſimus Erneſti, vt de vtriusque generis peccatis moneret, atque etiam ſubinde, quomodo poëtica quaedam epitheta intelligenda eſſent, indicaret. Qui praeterea de ſuo adiecit, quae vel ad lectionem, vel ad verba et ſententias illuminandas pertinerent. Neque minus in varietate lectionis iudicium interdum interpoſuit ſuum. Denique, quoniam ad bene intelligendos poëtas epicos et ſuauius legendos maxime prodeſt, ſeriem totius operis, ac deſcriptionem tenere:

tenere: vniuersae tum Iliados, tum Odysseae argumentum adiunxit.

Tomo quarto extremo comparet *Batrachomyomachia*, f. Ranarum et Murium pugna, quam ad fidem veterum librorum recensuit, variisque lectionibus et notis suis illustrauit celeberrimus editor. Qui eadem se ratione vsurum promittit in Hymnis et Epigrammatis.

Haec quidem in quintum Tomum, quem acriter nobiscum exspectabunt litterarum Graecarum et Ernestim nominis cultores, reiicientur, in quo et Indices et alia studiosis Homeri non inutilia exhibitum iri prorsus, confidimus.

Valde praeterea nitidum esse Homerum Lipsiensem, et eiusmodi, qui specie ipsa allicere lectorem possit, qui officinas Lipsienium, et editoris elegans etiam in hoc genere iudicium norunt, facillime coniicient.

Excitari nonnunquam hominum studia editione aliqua solent. Quod vt in Homero vsu veniat vtrique interpretum, qui suauissimi, quo pollent, ingenii commendatione vatem Graecum vernaculo carmine reddere apud nos, et ornare instituerunt, non possumus, quin cupide optemus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS III.
DIE VENERIS, VI. IDVVM IVLII, cIↃ IↃCCLXI.



HAFNIA. XXX. IVNII.

Inde a die huius menſis decimo quinto Rex auguſtiſſimus, conſcenſo rurſus equo, viuarium * Fridensburgenſe luſtrare curſu coepit per horas aliquot continuas; nullasque amplius ex funeſtiſſimo caſu doloris reliquias ſenſit. Qui ad arcem illam pertinent horti quam diligentiſſime nunc inſtruuntur, ornanturque.

* Park.

Atque etiam celſiſſimus Princeps, regni Heres, arcis ſuae Friedenlundicae hortos refici ad priſtinae elegantiae ſpeciem iuſſit. Aedificia

C qui-





quidem noua ad Jardini, praefecti architectorum regii, descriptionem * exstruuntur.

* Riss.

EX EADEM VRBE. III. IVLII.

Illustrissimum Comitem de St. Germain, inclytum antehac apud Gallos belli ducem, Rex noster augustissimus Supremum castrorum praefectum * dixit.

* Generalfeldmarschall.

LONDINO. XXV. IVNII.

Haud fieri posse videtur, vt inter nos et Gallos de capitibus pacificationi praestruendis * conueniat. Anglia quidem inducias eiusmodi esse vult, quibus belligerantes omnes contineantur: Americam borealem sibi seruare decreuit, Guadalupam vero, Insulam S. Ludouici et Goream Gallis reddere ea lege, vt hi Minorcam reddant.

* Präliminairtikel.

Gallia exscensionem orae nostrae minari dicitur: eoque spectare ingentes illos rerum in portu Gratiae *, Brivate **, et Rupe forti *** apparatus ferunt. Sed nihil est, quod magnopere commoueamur. Omni ora maritima naues habemus dispositas, regiones etiam milite tutas: praeterea praesto est classicula **** hostili, eiusmodi quid conaturae, haud impar. Iamque altera etiam classis quae expeditioni destinatur,

tur, ita instructa est, vt exire possit. Praeter Portum magnum *****, alii etiam nauium tum classicarum, tum vectoriarum pleni.

* Havre.

** Brest.

*** Rochefort.

**** Escadre.

***** Portsmouth.

EX PRAETORIO PRINCIPIS BRVNSVICENSIS AD VICVM KIRCHDVNKENSEM.

XXVII. IVNII.

Hodie mane Princeps serenissimus Hammona cum exercitu suo in castra Kirchdunkensia concessit. Hammonae reliquit Kielmannseggium Comitem cum cohortibus octo, quatuorque turmis. Quae ad eandem vrbem castra habebant legiones Anglicanae quatuor, cum parte exercitus *maxima* * se coniunxerunt prope *Susatum* **: ibi Ferdinandi Ducis castrorum principia adhuc permanent. Hostiles copiae prope Werlam contractae subsistunt. Ad eas acerrimo impetu lacessendas omnia modo comparauimus, neque dubium est, quin crastina luce futurum sit praelium.

* Gross der Armee.

** Soest.

Dux quidem ipse copias sibi omnes Anglicanas et Brunsuicenses adiunxit, pariterque Sa-

 tellites

tellites Hannoueranos cum Borkii ducis peditibus. Granbyus cum agmine mediocri in expeditionem missus est quopiam.

*CARNOVIA *. XXIV. IVNII.*

Exspectamus in hoc tractu, in horas quidem, Russorum ingens agmen, pariterque Bethlemum et Janum, Duces Caesareos, cum copiis, quibus praesunt. Qui ex hac parte in Silesiam Prussicam iunctis viribus irrumpent. Quo tempore ipso exercitus Russorum vniuersus, et Laudonus dux id agent, vt reliquas conuentae expeditionis ** partes exsequantur.

* Jägerndorf.

** verabredeter Operationsplan.

LIPSIA. II. IVLII.

In struendis circa vrbem aggeribus fudibusque desigendis continuo hic opera ponitur. Agmen, quod nulli legioni adscriptum * Collignonio paret, ad exercitum Henrici regii Prussorum Principis abiit. Praeterea omnia hic satis quieta sunt.

* Freybataillon.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. V. IVLII.

Omnia iam bello strepunt. Pomerania Russorum excursionibus late infestatur: qui quod Stargardiae reliquum erat horreum diripuisse, et complura inde vehicula deduxisse feruntur.

Spar-

Spandauia firmioribus etiam operibus munitur: et vt copiosum ibi promtuarium * bellicum sit, nihil non comparatur.

* Magazin.

ROSTOCHIO. III. IVLII.

Quae in his regionibus Bellingii, Tribuni militum, ductu degunt copiae Prussicae, in vnum paullatim locum coguntur. Quod discessus, qui instet, signum interpretantur nonnulli. Sunt qui propterea contrahi dicant, vt ex his partibus occurrant Suecis, qui Ehrenschwerdti, noui ducis sui, auspiciis propediem aliquid suscepturi videantur.

ALTONA. X. IVLII.

Ex tractu Francofurtensi redditae litterae Serenissimam coniugem Electoris Palatini narrant die XXIX. mensis elapsi matrem factam esse Filioli sed hunc modo natum decessisse.

Litteris Hannoueranis modo perlatis cognouimus, Sobisii exercitum, cum instare Ferdinandum sensisset, aliquantum retrocessisse; Spoerkium ducem, numeroso foederati exercitus agmine auctum, rursus progredi eo consilio, vt Brogliani exercitus, qui in itinere est, impetus reprimatur. Eodem nuntio accepimus, Scheiterum, summum excubiarum praefectum, * cum agmen Gallorum prope vicum Ruh-

Ruhrensem adortus fuisset die II. huius mensis, conflictu illo superiorem discessisse. Die III castrorum Ferdinandi principia Tremoniae ** erant.

* Major.

** Dortmund.

RES LITTERARIAE.

In media Dania versari eloquentiam Germanorum, indeque ad nos specimina eius perferri pulchra, mascula, et quae imitari nostrates velint, si non aliis exemplis multis pateret, vel hic, quem prae manibus habemus, fasciculus fidem faceret. *Reden über die glückselige Regierung FRIEDERICHS des Fünften, Königs in Dännemark und Norwegen. Nebst andern Reden, theils gehalten, theils übersetzt von Johann Bernhard Basedow, Professor. Kopenhagen und Leipzig, gedruckt von Jonas Lindgren, der Königl. Ritteracademie in Soroe Buchdrucker.* 1761. 8. maj. plag. 18.

Inscriptus est liber CHRISTIANO, celsissimo Principi et in spem imperii genito: neque erat, ad quem propius pertineret regnatricis illius prudentiae, quam hic celebratam legimus, et felicissimi imperii imitatio. Praefatione exponit praestantissimus orator, quid consilii in colligendis orationibus suis, addendisque et conuertendis quibusdam alienis secutus sit.

Ora-

Orationes priores tres generis ſunt panegyrici, earumque *binae* natalibus regiis dicatae felicitatem Daniae, bonoque Principi propoſita praemia enarrant: *tertia*, ſacris ſummi liberique imperii ſaecularibus dicta, mutuae caritatis inter imperantem et ſubiectos vinculum illa regiminis forma maxime adſtringi, demonſtrat. *Quarta*, tradendae in academiis equeſtribus diſciplinae ſanctioris neceſſitatem et rationem lectiſſimis argumentis, partimque ex ipſa huius ſaeculi conditione arceſſitis, docet: habita, cum auctor celeberrimus praelectiones ſacras regio iuſſu auſpicabatur. Memoriam Roſenkranzii *quinta* proſequitur, generoſiſſimi Iuuenis Muſis Soranis immatura morte erepti. *Sexta* in ipſis, quae diximus, ſacris ſaecularibus danice recitata fuit a Sneedorffio V. C. tum Profeſſore Sorano, poſt ad docendum celſiſſimum Principem regium Fridericum Hafniam euocato. Qua quidem de priſca apud Septemtrionis populos ſummi imperii forma, deque omni prudentia ciuili tam grauiter eleganterque exponitur, vt, conuertenda hac oratione, praeclare meritum de eloquentia Danica putemus interpretem Germanum. Et illae quidem orationes in academia Sorana publice recitatae fuerunt.

Quae ſequuntur binae e Gallicis Tallemantii iunioris conuerſae ſunt, tum Colberti, viri illuſtriſſimi, obitum lugentis, tum confirmata

a morbo

a morbo Ludouici XIV. Regis valetudine laetantis. Postremam hanc non sine piae cuiusdam laetitiae sensu legerint hoc ipso tempore, quicunque de restituto nuper ciuibus suis orbique FRIDERICO nostro, Regum amabilissimo, cogitauerint.

Adpendix denique oratiunculas complectitur ex prosphonematico genere varias, e Gallicis pariter conuersas, quibus Academia Parisina salutationis officium viris feminisque principibus praestitit.

Ceterum, quemadmodum nulli dubitamus, quin politissima haec eloquentiae politicae et moralis exempla plausum commotura sint existimatorum: ita de laudibus *Basedouianis* nunc quoque Christianeo nostro academico, quod ornat Vir eruditissimus, lubenti animo gratulamur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS IV.

DIE MARTIS, PRID. ID. IVLII, CIↃ IↃCCLXI.

LONDINO. III. IVLII.



Aestatem hanc totam in vrbe degent Rex, celſiſſima Walliae Princeps, et reliqua gens regia, raroque villas, et ex interuallo inuiſent. Vrbanam commorationem, quae aulicos omnes vno loco contineat, tum pacificationis negotia ſuadent, tum apparatio eorum, quae ad Regem imponendo diademate inaugurandum pertinent. Huic Caerimoniae conſtitutus eſt menſis Auguſti dies ſextus.

Iter Auguſtanum nondum ingreſſus eſt, qui pacificantium concilio interfuturus erat, Comes

Egremontanus. Moram illi et tarditatem afferre videntur consilia parum expedita, quae apud nos Bussyus, apud Gallos Stanleius agitat. Praeterea locus ipse concilii* Londino tam longe distat, vt malle putetur Pittius, et qui eius auctoritati plurimum tribuit, populus, Magnaebritanniae Galliaeque caussam inspectante administrorum nostrorum collegio disceptari.

* Congressort.

Algeriae orator cum nuper in Regis conspectum primum adducendus esset, vt leones, equi, oues, Principis sui munera, sollemni secum ordine in conclaue interius intromitterentur, postulabat. Vix tandem vocibus aulicorum, qui rem nostris moribus minime decoram demonstrabant, permotus, consilio destitit. Cui cum Rex dolere se vicem eius dixisset, quod in diem parum commodum eius incidisset conuentus; nubila enim tempestas erat et adsiduo imbre difficilis: scite admodum Afer, Mihi vero, inquit dies hodie illuxit candidissimus omnium maximeque honorificus, qui conueniendi tanti Regis copiam attulerit.

WARSOVIA, I. IVLII.

Heri celsissimus Curoniae Dux, grauiori morbo recreatus, hinc in Curoniam suam rediit. Ex diebus aliquot hic commoratur illustrissimus Comes Mercy d'Argenteau, Legatus ad aulam Russicam Caesareus et regius.

ALTO-

ALTONA. XIV. IVLII.

Perlatum nobis eſt exemplum eius libelli, quem latine conſcriptum dictando in Comitiis Ratisbonenſibus promulgauit nuperrime de pacificatione Auguſtana Greiffenhemius, Regis Sueciae legatus. Eius haec verba ſunt.

„ Rex Sueciae Dominus meus clementiſſi-
„ mus initio motuum in Germania excitatorum
„ complurium Sacri Romani Imperii Statuum
„ nomine requiſitus, vt vna cum regia Gallia-
„ rum Maieſtate ſponſionem foederum Weſt-
„ phalicorum executioni daret, menſe Aprili
„ Anni 1757 Statibus in Comitiis Ratisbonen-
„ ſibus congregatis declarauit; quibus momen-
„ tis impelleretur ad eam agendi rationem,
„ quam ſibi ſequendam propoſuiſſet onus ſu-
„ ſcipiendo, quod quam graue eſſet, haud igno-
„ rabat.

„ *Trium Religionum in Germania ſtabilita-*
„ rum Legumque et conſtitutionum Germani-
„ carum conſeruatio, non minus quam pax
„ firmis et aequis conditionibus reſtituenda, ii
„ fuerunt fines; ad quos obtinendos Regia Ma-
„ ieſtas ſummis viribus maximisque impenſis
„ contendendum duxit.

„ Ex eo tempore Rex Sueciae communicatis
„ cum Maieſtate Chriſtianiſſima conſiliis nihil
„ intactum reliquit, quod ad ſcopum tam ſalu-

„ tarem obtinendum conducere arbitraretur, „ non mediocri quidem dolore affectus ex calamitatibus, quibus oppressa Germania gemuit: atque vt arma ad eam defendendam fuerunt capienda, ita ponere ea non minus necessarium censet, cum primum ea quae Iustitia zelusque ob omni studio propriorum commodorum remotissimus postulabant, cumulate impleta esse videantur,

„ Hoc tam salutari consilio Rex Sueciae Dominus meus clementissimus vna cum Rege Christianissimo aliisque Potestatibus foederatis aulis Londinensi et Berolinensi proponendum curauit, vt vnanimi consensu pacis negotium instrueretur indicendo congressu, cui obeundo Augusta Vindelicorum visa est opportunissima. Cui propositioni summam humanitatem et eximium pacis studium spiranti cum Maiestates Britannica et Borussica annuere non dubitauerint, Rex Sueciae eodem modo, quo tum, cum exequi fideiussionem necesse fuit, Status Germanicos hac de re certiores faciendos existimauit, simul declarans se per omne illud tempus, quod paci conciliandae impenditur; nunquam immemorem fore causarum, quae Ipsum ad arma capienda impulerunt.

„ Omnes itaque Sacri Romani Imperii Principes et Status in fide, quam Regia Maiestas

„ Sue-

„ Sueciae disertis verbis non semel dedit et
„ nunc denuo dat, plane possunt acquiescere,
„ nihilque Rex Dominus meus clementissimus
„ magis in votis habet, quam vt Imperator
„ Principesque et Status Imperii ad instruen-
„ dum et perficiendum negotium tantopere
„ expetendum consilia studiaque sua conferant
„ quo tranquillitas Europae et pax Germaniae
„ concilietur. Ratisbonae die 22 Iunii 1761.

„ de Greiffenheim. "

Nouissimi ex Polonia nuntii afferunt, Russos ita se comparare, vt Vratislauiam petituri videantur. Eorum ad latus progreditur Ziethenii exercitus. Qui cum vix vnius lapidis spatio dirimantur, creberrime pugnis velitaribus* concurrunt. Sunt, qui propediem iustum et ingens praelium** commissum iri, autument.

* Scharmüzel.

** *Hauptaction.*

RES LITTERARIAE.

Cum pars hodie inter Germanos elegantiae habeatur, eaque haud exigua nosse linguam Francogallorum, et adhibere probabiliter tum loquendo, tum scribendo posse: vtilem sane operam nauant, qui ad illam facultatem homines nostros adducunt. Neque defuerunt, ex quo linguae Gallicae apud nos studium inualuit,

 cui

qui eius se tradendae magistros profiterentur. Verum quam sint ieiuni plerumque illi vulgares magistri, praesertim vbi ad stilum incumbere paullo diligentius studiosi iuuenes, academici in primis, ac linguae politulae interiora scrutari cupierint, experientia satis ipsa edocet. Neque hoc mirabitur qui eos cogitauerit, nec Latinis litteris, neque aliis disciplinarum partibus, saepe ne politioris quidem vitae vsu instructos ad tradendam linguam accessisse, quam, vtpote patriam, solis auribus et vulgari consuetudine hausissent.

Ab isto docentium grege vti maxime distabat Franciscus Roux, linguae Gallicae apud Ienenses quondam Lector clarissimus: ita longissime seiunctas et doctrinae et vitae rationes habet Vir celeberrimus *Isaac de Colom du Clos*, Philosophiae Doctor, et in academia Goettingensi Professor extraordinarius. Edidit praeter alia opuscula, quae linguae Gallicae studium expeditius efficerent, nuperrime Du Closius Exempla epistolarum, quibus argumentorum omne genus persequitur, stilique praecepta ad vsum transferre docet. *Modelles et lettres sur toutes sortes de sujets, pour enseigner à appliquer les regles du stile.* Ad partem priorem modo accessit altera. Paginas implent ambae continuas 816, in 8.

Vtraque praefatione consilii sui rationes facile lectori probauit Vir ornatissimus. Tametsi enim non deerant varii generis epistolae, Richeleti, Mille-

Millerani, Fureterii aliorumque iudicio collectae, deſiderabatur tamen, propter immutatam ex eo tempore vel linguae, vel ſtili rationem, liber, qui exempla recentiſſimi vſus praeberet, qui exigere ſcriptiones doceret ad ſtili cultioris praecepta, qui ex poſitis enunciationibus contexendae epiſtolae artificia traderet, qui denique variandas pro rerum perſonarumue varietate formulas, atque vrbanitatis adeo hodiernae indolem referret. Quae cum in emendandis iuuenum ſcriptionibus ſequeretur auctor: enata ſunt paullatimque perfecta haec ipſa epiſtolarum ſpecimina.

Iam capite primo, concinno ordine, quem alio libro conſtituerat, Epiſtolia (*billets*) conſpicimus, familiaria, ſeria, delicatiora (*galants*). Sequuntur epiſtolae. Quae cum vel in ſalutationis officio et verborum honore (*compliment*), vel in grauiori quodam argumento (*ſujet reel*) verſentur: illi quidem generi caput ſecundum tributum eſt, hoc per reliqua latius diducitur. Nimirum caput tertium epiſtolas exhibet, quibus ſenſum animumque aperimus (*lettres de ſentiment*). Capitis quarti, (quo ipſo libri pars altera incipit) epiſtolae, de negotiis priuatis; quinti, de publicis exponunt. In hoc publico genere, nominatim aulico, qui exerceri volunt, his maximopere commendat auctor Sneedorffii V. C. cuius ſuperiori libello noſtro eloquentiam laudabamus, de eo argumento opuſculum ante hos decem annos Gallica lingua conſcriptum.

Caput

Caput sextum epistolas complectitur, quae iucunditate quadam placeant (*lettres de plaisir*). Vltimum denique ex variis generibus mixtas habet.

Haec, quam recensuimus, epistolarum varietas, insertis etiam adnotationibus vtilissimis distincta est. Praeterea interposuit Du Closius epistolas nonnullas ex Germanicis Gellerti et Stockhausenii conuersas, itemque germanicas aliquot: quibus et discere eleganter interpretandi rationem, et rei ipsius periculum facere tirones possent.

Ad manus etiam sunt celeberrimi Auctoris libri, eiusdem fere generis, bini: quorum alter, quem ipse cum epistolis suis coniunctum voluit, obseruationes stili, praesertim epistolaris, complectitur, *Reflexions sur le stile et en particulier sur la maniere d'ecrire des lettres*, iam tertium editus; alter, quem inscripsit, *Principes de langue françoise*, grammaticam exhibet, atque ante aliquot annos auctior prodiit. Vtrumque librum, sed priorem maxime, de meliore nota commendamus elegantiae Gallicae studiosis.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluant.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS V.
Die Veneris, xvi. cal. avgvsti, cIↃ IↃCCLXI.



CONSTANTINOPOLI, IV. IVNII.

Qui Melitensibus dira quaeuis minari ferebantur, adparatus maritimi, his nihil eiusmodi propositum fuisse magis magisque confirmatur. Exibit quidem intra dies paucos cum classe aliquanto instructiore summus Praetor naualis*, sed, quod constans fama fert, nulla alia de caussa, quam vt ab insulis Archipelagi tributa annua exigat.

* Grosadmiral.

Manifesta denuo et in vrbe ipsa, et in suburbiis locisque vicinis pestilentiae indicia sunt.

Palatii imperatorii * noua narrare qui solent, magnum Imperatorem ** dicunt Sultanam, Principem recens natam, Satrapae *** cuidam desponsurum. Quo ipso, per sanctiones palatinas, onus huic imponitur sumtuum, qui in educandam alendamque sponsam, et futuram adeo coniugem, insumuntur.

* Snail.

** Grossultan.

*** Bassa.

CASINCA, CORSICAE VRBE. V. IVNII.

Consilium nostrum sedem figet Cortae. Paolum ducem, cuius salute libertatis nostrae spes omnis continetur, vt cautius adire pericula vellet, obtestati sumus. Populus tricesimam bonorum et fortunarum quarumcunque partem in publicos sumtus vna pensione contribuendam obtulit. Ad Genuensium edictum breui a nostris respondebitur. Stat nobis illud, de iure nostro haud quaquam decedere. Naues actuariae minores * binae, quas parabamus, in summa fabrorum, lignorum, rerumque omnium copia, parum abest, quin instructae iam ornataeque sint.

* Galioten.

LONDINO. VII. IVLII.

Augustissimo Regi de coniuge deligenda constitutum esse, iam quidem satis exploratum habemus. Significauit ipse consilio sanctiori delectam

lectam sibi esse Serenissimam Principem Sophiam Charlottam, Sororem Ducis Megapolitani Strelitiensis natu minorem; breuique fore, vt ea sollemni more poscatur. Certiores de re iam fecit Butius Comes administros in aulis principum nostrates. Populo exoptatissimum nuntium pertulerunt ephemerides aulicae libello extra ordinem diuulgato.* Nata est Virgo celsissima, et cunctis, quae regiam coniugem ornant, virtutibus conspicua anno huius saeculi quadragesimo quarto, d. XIX. Maii.

* aufferordentliche Hofzeitung.

BREMA. XIII. IVLII.

Ex foederato exercitu ad viginti quinque millia hominum in vicinas nobis regiones diuertunt. Agmen illud prope Vechtam, ad quintum hinc lapidem, consistet. In nostram vrbem introierunt milites Angli mille et ducenti. Qui incolas omnes iis, quae ad victum comparari solent, in menses aliquot prouidere iubent. Molitores quidem, proposita centum imperialium mulcta, vetantur per hebdomadas sex operam suam cuiquam, praeter exercitum foederatum, commodare.

HANNOVERA. XIV. IVLII.

Ex litteris in castris nostrorum datis vix vlla committendi iusti praelii spes esse videtur: quod, exercituum alter alteri ex aduerso paene consistat, neuter tamen in aciem exeat. Neque

tamen de induciis quidquam adhuc relatum audiuimus: ac pugnae velitares etiamnum frequentantur.

Agmen Lucknerianum contendisse cum Gallico, et superius discessisse fertur, sed rumore nuntio.

Die huius mensis decimo Anglorum aerarium militare Nouoburgo Monasterium transportatum fuisse fama similiter refert.

RES LITTERARIAE.

Complectitur FRIDERICI quinti, Regis optimi maximi, munificentia partes scientiarum artiumque omnes, quaecunque ad augenda ciuium et humani generis commoda vim habere iudicantur. Botanices studio, regnoque adeo vegetabili diligentius perscrutando quanta iam praesidia paret, docebit propositum Hafniae cal. Maii *Programma de opere FLORA DANICA dicto, iussu regio edendo, adiecta speciminis loco icone plantae Rubus Chamaemorus.* Quod Germanorum lingua scriptum est, exemplum duas in Folio plagulas implet. Latinum, cui adiuncta est in altera paginae area interpretatio Gallica, tribus eiusdem formae plagulis constat. Subscriptum habent nomen *Georgii Christiani Oederi*, Med. Doct. et Prof Reg. Botanices. Vtrique exemplo adiecta conspicitur icon rubi, quem modo diximus, tum nigra puraque, tum colorum varietate distincta.

Sed

Sed Programmatis sententiam, rerumque momenta, ipsius potissimum verbis, strictim perscribamus.

Imperauit Rex, noui horti botanici conditor, opus de plantis spontaneis terrarum imperii in Europa regii eo consilio, vt plantarum cognitio, quae sane ad multas vitae partes pertinet, et communis inter ciues, et publice vtilior efficiatur. Allicit eos, qui ruri habitant, ad botanices studium ipsa tellus: superest, vt nobilissimum studium ratione quadam iuuetur ac dirigatur. Consultum videbatur conscribi opus eiusmodi linguis vernaculis, h. e. Danica et Germanica: cuius vt copia fieri quam plurimis possit, exempla bene multa gratis distribui vult Pater patriae munificentissimus inter vtriusque regni et reliquarum terrarum Praesules sacros ea lege, vt, si qui in eorum dioecesi fuerint, qui vtilem Botanicae operam nauaturi videantur, his opus illud in certum tempus commodent.

Neque tamen ciuibus solis, sed exteris etiam consultum voluit fautor omnium indulgentissimus. Continebit videlicet haec Flora nostra plantas insignis terrae tractus, a confiniis Albis fluuii vsque ad mare glaciale, alpinas et maritimas, verbo magnae partis, potissimum septemtrionalis Europae. Exterorum itaque commodo etiam Latina lingua edetur.

Non eſt, quod metuant emtores, ne ſerius ocius intercidat opus hoc, numerumque augeat eorum, quae magnis auſibus coepta, adhuc fragmenta eſſe videmus. Sub auguſtiſſimis auſpiciis coeptum eſt publicum, et pars inſtituti regii botanici: cuius leges praefecto cuilibet horti imperant elaborationem, et quando olim ad finem perductum erit, exornationem operis. Neque ſane erat priuati hominis, auſa eiusmodi moliri, quae et ſumtus expoſcunt grauiores, propter icones maxime, partem operis pretioſiſſimam, et plus in exſequendo auctoritatis, plus denique temporis, quam aut priuata fert conditio, aut vitae humanae breuitas. Atque optandum eſt Botanicae, vt hoc exemplo excitati meridionalis Europae Principes ad ſimile inſtitutum animum adiiciant.

Negotium vero hoc vniuerſum in partes duas diſpeſcitur, quarum altera ad Botanicam puram pertinet; altera adplicatam complectitur, et plantarum vires ad vſum humanum transfert. Ac prioris quidem hic pertractionem indicimus: alterius, ad ſocietatem aliam virorum doctiſſimorum delatae, ſuo quoque tempore ratio habebitur.

Separabitur vero, propter emendi vtendique commoditatem, a doctrina verbis tradita, ſ. textu iconum adparatus: quem habere Florae emtores eodem loco poterunt, quo Herbarium viuum

viuum quod dicitur. Etenim plantae ab artificibus instituto botanico adscriptis stipendiaque regia merentibus et sculptae egregie (nonnullae partes etiam microscopii ope), et ad plantas vigentes pictae conspicientur. Quae chartae formam solitam magnitudine excedunt plantae, earum quidem integrarum imminuto modulo exprimitur imago, partes autem nobiliores conseruata magnitudine naturali adduntur.

Textus partes tres sunt, I. Elementa Botanicae cum dissertatione de methodo docendi: II. Catalogus plantarum indigenarum ditionis Danicae, in quo omnes recensebuntur, additis notis et characteribus communibus et propriis, at breuissimis, et selectis, ne moles impediat, quo minus portatile volumen fiat. III. Sylloge descriptionum earundem plantarum, adiecta synonymia. Atque hae partes simili forma chartae octaua edentur: separatim vero prout emptores voluerint, venibunt.

Fasciculus iconum primus in lucem prodibit circa Pascha anni 1762, sexaginta tabulis totidem plantarum species complexa.

Textus primam partem incolis ditionis regiae anno, quem diximus, exeunte; exteris autem eodem tempore, quo fasciculum secundum iconum, anno 1763 trademus.

Argen-

Argentum quidem ante ſoluendum non eſt, quam opus tradatur, optamus autem, vt nomina ſua dare emturi velint: ſed maxime, qui icones cupiunt inducendis coloribus ornari, vt mature id ſignificent. Nomen qui dederint, perſoluent quatuor imperiales aeris Danici pro primo faſciculo iconum nigrarum; nouem autem pro faſciculo pictarum: qui dare neglexerint, elapſo hoc anno adiicient dicto pretio quartam eius partem. Eius rei facultatem celebriorum vrbium bibliopolia praebebunt.

Atque illa quidem Programmatis ſumma eſt. Subſequitur *Enumeratio plantarum ſexaginta*, quas primus iconum faſciculus exhibebit. Nos interea inſtituto regio pia, qua ciuem decet, laetitia adplaudimus, atque, ſi vſpiam, hic certe, in feliciſſimis Daniae terris, futurum putamus, vt

inſcripti nomina Regum

Naſcantur Flores.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: preſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS VI.

DIE MARTIS, XII. CAL. AVGVSTI, cIↄ Iↄcclxi.



PETROBVRGO. XXIII. IVNII.

Auguſtam Vindelicorum hinc abiit nudius quartus Czerniſchevius Comes, pacificantium conuentui interfuturus: Hunc paullo ante abitum, Auguſtiſſima Imperatrix quinquagies mille imperialibus Ruſſicis donabat. Legationis ab epiſtolis ſecretis * eſt Struuius, Profeſſor.

* Geſandſchaftsſecretaire.

Adhuc in vrbis palatio aeſtiuo exoptatiſſima valetudine perfruitur Auguſtiſſima: nec niſi poſt hebdomadas aliquot ruris amoenitates petet.

Classis nostra ad litoris crepidinem* disposita, et ad exeundum paratissima heri lustrabatur. Ei pro praetore** praeficietur qui Revaliam iam petiit, Polänskius.

* auf der Rhede.

** Viceadmiral.

Aulae Hispanicae Legatus, cuius iam allata est supellex, hac hebdomade ipse exspectatur.

VLYSSIPPONE. IX. IVNII.

Tertiam*, Atlantici maris insulam, d. XV. Aprilis graui terrae motu concussam fuisse, missae inde litterae narrant. Angrae vrbis aedificia tantum non omnia corruerunt ita, vt incolae rure in tuguriis** manere cogantur. Quo motu cum terra discessisset, exortus est, longius tamen ab vrbe, mons igniuomus (Vulcanum appellat vernacularum consuetudo). Nec dum desierant eruptiones ignium, cum eius rei ad nos nuntius discederet.

* Tercera.

** Baracken.

OPPAVIA. VI. IVLII.*

Laudoni copiae Russicis quibusdam auctae id agunt, vt propius accedant. Russorum exercitus primarius septuaginta quinque millia capitum complexus Viadrum iam attigit. Quem ad Bythoniamne**, an ad Carolatum transiturus sit, nondum compertum est. Commeatus copia

copia vt adſit, neque ex hac parte vlla rebus g rendis mora adferatur, ſatis eſt tum in Morauia, tum in Sileſia ſuperiore prouiſum Praeterea horrea Ruſſorum omni rerum genere abundant.

* Troppau.

* * eythen.

DRESDA. III. IVLII.

Adhuc aduerſorum exercituum vterque ſtatu ſuo manſit. Equitum copiae, quae in agris vicinis degunt, * primo quoque tempore in caſtra diuertent. Nullae per hunc tractum pabulationes ſusceptae: * * ſed fena nunc conuehere coepit ruſticus repraeſentatione emturis***. In caſtris pedites meditationes obeunt militares, **** Vrbis quoque cohortes praeſidiariae armis quotidie exercentur. Ex his validiſſimi quique deliguntur legionibus inſerendi. Nudius tertius reuerſi ad nos centum amplius Saxones, qui huc conuenerant, Herbipolin ***** diſcedebant: eiusque generis complures ex eo tempore aduentarunt.

* cantonniren.

** Fouragirung.

*** gegen baare Bezahlung.

**** manoeuvriren.

***** Würtzburg.

Modo comperimus, HenricumPruſſorum ducemSchlettauia profectum, caſtraque exKatzenhuſis pariter mouiſſe. Albim, Miſniam verſus,

propius accessurus dicitur Princeps celsissimus. Illud quidem constat, cum ante vel ex emissariis Prussorum Hungaricis *, vel ex manipulis nulli legioni adscriptis ** ad nos se transfugae reciperent; heri hodieque ex copiis eorum legionariis bene multos aduenisse. Torgauia Wittebergam translata est rei tormentariae pars haud exigua: atque etiam in hac vrbe futurum est valetudinarium.***

* Husaren.

** Freypartheyen.

*** Lazareth.

EX SAXONVM LITTERIS. VII. IVLII.

In ore omnium hic versatur Amazon Prussica. Virago est annorum viginti trium, Anna Sophia Detzlouia, Treptouiae ad Regam nata, quae fusco colore et virili masculam speciem praebeat. Haec, insciis parentibus, adsumto Caroli Henr. Buschmanni nomine, primum se militiae Colbergensi adscribi voluit: post in Friderici Principis cataphractis * stipendia per biennium meruit. Ex velitatione quadam Bambergensi, cum saucium habuisset brachium sinistrum, praeliis Kayensi et Kunnersdorfensi cataphracta interfuit. Graui morbo adfecta Misniae erat in valetudinario relicta: sed cum inde Torgauiam aegroti ducerentur, in itinere ipso nomen dedit cohorti, quae granata igniferi iaculabatur, ** Hassiacae; cum vesti linea *** induta calo putaretur. Glandium, quas diximus,

mus, iaculatrix, in vtroque tum ad Strehlam, tum ad Torgauiam certamine fortissime pugnauit: ex altero etiam, vulneribus binis capite colloque exceptis, captiua ducta est Dresdam. Sed cum inspectum iri captiuos aliorsum vehendos inaudisset, domum redire ad suos constituit: moxque mulierculae, quae aegrotos curaret, auxilio ex valetudinario elapsa, fortuna iuuante stationes hostium principes * * * * transiit. Commutato tamen iterum consilio militem se addixit Colignonio, cohortis Tribuno, abs quo ad legionem Röbelii pedestrem missa, trimestrem in illa militiam tolerauit. Sed hic catastrophe incipit Fabulae. Commilitonum non nemo, qui ablatos sibi furto octo grossos diceret, nomen eius defert. Illa innocens, et nullius culpae conscia in custodiam traditur. Qua iniuria commota Subcenturioni*****, cuius generis sit, indicat, et se, cui integro militiae quadriennio nulla poenae subeunda nota fuerit, hac ignominia affectam, militaturam amplius pernegat.

* Cuiraßiers.

** Grenadierbataillon.

*** Kittel.

**** feindliche Vorposten.

***** Lieutenant.

ALTONA. XXI. IVLII.

Ex foederati exercitus praetorio * missi extra ordinem cursores pulcherrimae victoriae nuntium quoquouersus perferunt. En litteras

Magdeburgi d. XVIII. Iulii datas. „Hodie
„vesperi Comes a Dohna, subcenturio, idem-
„que adiutor castrensis, citato equo vectus * *
„exoptatissimum nobis nuntium attulit: fusum
„esse a Ferdinando Duce haud procul Wilm-
„seno exercitum Broglii; captiuorum, cum
„cursor discederet, tria millia iam adfuisse, tor-
„menta duodecim, signa militaria quinque,
„hosti ablata; Gallos, cum in Schedingensem
„vicum quinquies irrumpere tentassent, a Prin-
„cipe Brunouicensi repulsos; ab eodem exer-
„citus Sobisiani primum agmen * * * pariter
„profligatum fuisse.

„Nobilissima victoria illud consecutus est im-
„perator summus, vt quae hostes viribus supe-
„riores consilia ceperant progrediendi cum im-
„petu, distrahendi exercitus foederati, ea iam o-
„mnino irrita sint, vt, amissis etiam horreis non-
„nullis spe ipsa commeatus, reique frumentariae
„intercludantur.„

* Hauptquartier.

** en Courier.

*** Avantgarde.

RES LITTERARIAE.

Significauit nuper Regiae celsitudinis Prin-
ceps CHRISTIANVS, illa saeculi spes futuri,
placuisse sibi deuotae mentis officium, quo car-
men saeculare obtulerat P. C. Henrici, Eloq. et
Poës. Prof. Alton. Donauit auctorem insigni
numo

numo aureo, qualem in Academia regia mereri praeſtantiſſimi artifices ſolent. Principale munus comitatus eſt litteris humaniſſime ſcriptis Principis aulae magiſter, Perilluſtris atque excellentiſſimus a Reventlou, ordinis Dannebrogici eques, et Regis a conſiliis intimis. Primaria numi facies ſacram FRIDERICI QVINTI effigiem refert, plenam illam maieſtatis et gratiae; altera Genius inter artificum opera conſpicitur lauream porrecturus CONANTI.

Quae Lutetiae Pariſiorum celebratur, Academia inſcriptionum et litterarum elegantiorum, in conuentu menſis praeteriti publico communi ſuffragatione ſocietati ſuae adſcripſit, qui de rebus litterariis referret, Virum ſumme venerandum *Godofredum Schütze*, S. S. Th. D. atque hiſtoriae ſacrae et patriae in Chriſtianeo acad. Alton. Profeſſorem celeberrimum.

Floret Chriſtianeum noſtrum academicum numeroſo Iuuenum coetu, qui tum reliquas litterarum partes, tum linguas orientis laudabili ſtudio colant, ſuaeque ſpecimina diligentiae haud raro publice proferant. Eius rei documentum heri in auditorio maiori fuit Diſſertatio philologica *de Rabbinis in exponenda hiſtoria Ionae errantibus*, quam praeſide *Io. Chriſtoph. Sticht*, S. S. Theol. et LL. OO. Prof. publ. propugnabat auctor vale dicturus *Frid. Chriſt. Reichenbach*, Norbya-Slesuicenſis, S. S. Theol. Studioſus. 4 plag.

in

in 4. mai. Confcripfit hanc commentationem ornatiffimus Iuuenis, vt tum optimo parenti Io. Gotthilf. Reichenbachio, Viro fumme venerando, Auguftiff. Regis a confiliis facris, dioecefium Alton. et Pinneberg. praefuli, et Chriftianei ephoro, tum vero doctoribus acad. rationes ftudiorum redderet. Cui quidem confilio praeclare fatisfecit. Rabbinorum enim errores conuicturus, ad fua eos capita reuocat, atque primum rem ipfis doctorum verbis enarrat; tum mentitam effe falfamque fententiam, demonftrat: denique veriorem ipfius f. codicis hebraei auctoritate ftabilit. Commentandi ratione ad coniuncta disputationi argumenta delatus v. c. ad Schechinam, ad profelytos, eleganter de illis exponit. Neque minus egregie in ipfa disputandi palaeftra virili officio perfunctus eft, cum oppugnatores haberet eruditos Iuuenes *Ioach. Henr. Gerberum*, et *Menon. Henr. Reichenbachium*, fratrem minorem.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exfcripti, foras dantur fingulis hebdomadibus bini: praeftantque in tabernis, vno quilibet affe, venales. Extranei, quibus repraefentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenfis, foluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS VII.

DIE VENERIS, IX. CAL. AVGVSTI, cIↄ Iↄcclxi.



GENVA. XXIX. IVNII.

In rebus Corſicanis nulla amplius ad meliorem ſpem inclinatio videtur futura. Itaque in Senatu multorum ſententiae ſtatuunt, circumſpiciendum eſſe Principem, qui Reipublicae in regnum illud iura ſummumque imperium redimere pretio quam aequiſſimo velit.

HOLMIA. XIV. IVLII.

Locka perſcribitur, Auguſtiſſimum Regem eius loci aquis tam proſpero ſucceſſu vſum fuiſſe, vt valetudinem, adfectam ante, confirmatam iam planeque reſtitutam ſentiat.

EX LITTERIS SVEVORVM NOVISSIMIS.

Copiae Würtenbergicae hoc quidem anno in aciem non producentur, quin omni militia vacabunt. Qui in gregariis extranei merebant, exauctorati * ſunt: militum praefectis ** dimiata ſtipendia dependentur. Populares qui ſunt, in praeſidiis collocabuntur.

* Abgedanket.

** Officiers.

HANNOVERA. XIX. IVLII.

Heri Oeynhuſius Comes, ſupremi excubiarum praefecti vicarius*, praemiſſo curſorum tubis canentium ſtrepitu, celer nuntius aderat victoriae, quam ab hoſte clariſſimam reportauit exercitus foederatus. Cras itaque inter tormentorum in aggeribus circa vrbem tonitrua, feſtorumque fulmina ignium **, templa noſtra carmine *Ambroſiano* *** *perſonabunt.*

* Major de Brigade.

** Lauf- und Freudenfeuer.

*** Das Te Deum.

Priuatim ſcriptae litterae victoriam illam ita narrant.

Fieri vix poterat, vt tantus Gallorum exercitus regione diutius contineretur, vbi neque loca munita illi, neque horrea praeſidio eſſent, noſtrorum etiam excurſionibus ſubuecta difficulter frumenta ſaepiſſime diriperentur. Gallorum, (ſi

(si quidem Lippstadio potiri vellent, quo vno ad Rhenum inferiorem via et receptus * patebat) permultum intereat, Lupiae * * ripam dextram tenere: itaque tentanda videbatur praelio fortuna. Neque tamen non intelligebant Duces Galli, rem factu difficilem fore, qui copias foederatas a Ferdinando ad oram Lupiae consulto collocatas dispositasque viderent. Huius enim exercitus primarius retro atque a tergo, Hammona oppido et Lupia fluuio tegebatur. Pone fluuium, Lippstadium versus, Spörkii agmen; infra vero oppidum Wangenhemii subsistebat. Quae quidem agmina incursu posse peti haud videbantur, tum Lippstadio, tum Lupia satis tecta, certas etiam exercitus principis suppetias habitura. Itaque hunc ipsum adoriri statuit praetorium * * * Gallicum.

* Communication mit dem Niederrhein.

** *Lippe.*

*** Generalität.

Iam, relicto Paderbornae agmine Xaueriano, Hammonam tendebant copiae Gallorum ita, vt Sobisianae quidem sinistrum cornu, Broglianae dextrum conficerent: quorum illud angusta via inflexaque procedebat * Vnnam. Noster quidem exercitus initio non aduertebat frontem * *, qui vel non putaret se adortum iri, vel hostem latius circumsistentem nondum eo loco conspiceret, vnde fieri impetus deberet. Mox Sobi-

ſiani alam noſtrorum dextram, quam crebro laceſſebant, petituri videbantur.

* durch einen Umweg defiliren.

** Fronte machen.

Ex improuiſo d. XV. veſperi hora ſexta Brogliani exercitus agmen Anglos, qui Granbyo duce exercitus noſtri ala ſiniſtra haberi poterant, adoritur, hoc, vt credibile eſt, conſilio, vt a Lupia excluderet. Sed fortiter impetum ſuſtinent Angli, fruſtraque hoſtes in ſeram noctem pugnam ducunt. Principio de ſtatione Wilmſenenſi decedere coguntur noſtri: ſed eam tamen circa horam veſperi octauam rurſus occupat Wutgenauius, ſummi ducis vicarius*, qui Gallorum ſimul trecentos capit.

* Generallieutenant.

Die XVI. bene mane iterum adoriuntur vicum Wilmſenſem Galli: pariterque Voguii ductu, ſummi ducis vicarii, impetum faciunt in pagum Schedingenſem, quem ante frontem ipſam agminis Brunouicenſis ſitum pedeſtri milite tenebamus. Iamque pagum tormentis acriter verberatum irrumpunt: ſed cum agminibus aliquot aduolans Princeps Brunov. excedere eos cogit, interfectis multis vulneratisque. Circa meridiem Ferdinandus Dux, cum cohortibus ſex, quas Spörkenii exercitus miſerat, ab lateribus hoſtem circumuenit*, vt turbato ordine cederet.

* in die Flanke fallen.

Neque

Neque interea Sobifianae copiae ceffarunt. Die XV. vefperi fatis illae quidem acriter infiftebant alae noftrorum dextrae, quae verfus Hammonam fe reciperet. Atque etiam poftridie nouos impetus tentabant, fortiter illos repulfandos a Brunouicenfium Principe.

Non venit in partem neque pugnae, neque victoriae equitatus: quod in faltuofis locis et filuofis omnia peragenda erant.

EX PRAETORIO FERDINANDI. XVIII. IVLII.

Ita nunc confiftimus, vt hoftem ex aduerfo habeamus. Nihil iterando praelio certius. Nos quidem ad ineundum paratiffimi. Certamine fuperiori, hoftium, praeter quater mille captiuos, ad fexies amplius mille tum interfectos, tum faucios numeramus.

ALTONA. XXIV. IVLII.

Qui nouiffime ex foederato exercitu nuntii aduenerunt, eum caftra, quae ante haberet, repetiiffe confirmant: principia quidem caftrorum. Ferdinandi d. XIX. Hohenoueri fuiffe. Pariter in caftra, haud procul Sufato, fua rediiffe narratur exercitus Gallorum. Spörkenium in illis prope Herfefeldum, cis Lupiam, degere referunt; Wangenhemii agmen adLippftadium.

RES

RES LITTERARIAE.

Platonis dialogos aliquot, exeunte saeculo proximo, Francogallis suis interpretatus erat satis eleganter Dacerius. Huius exemplo et societatis Lips. voce excitatus ante hos viginti quinque annos Vir eruditissimus Ioh. Sam. Müllerus, Iohannei Hamburgensis Rector praeclare meritus, hominibus nostris interpretatione limatiore legendos dedit selectos dialogos sex ita, vt Graeca Platonis verba simul exhiberet, et quae ab interprete Gallo accepisset ad intelligendum auctorem vtilia, haec emendatiora etiam Germanice redderet. Gratissimum esse vtriusque institutum debebat his, qui veluti gustum aliquem capere coenae Platonicae vellent. Sed nondum erat post illos saeculi XVI editores, qui ampliores philosophiae illius antiquae tamquam epulas adponeret, qui totius Platonis edendi et illustrandi curam, *scholarum in primis* caussa, susciperet.

Suscepit eam nunc, quo nemo temere post Iohannem Augustum Ernesti rectius sustineat, eius in cathedra Lipsiensium Thomana successor, Fischerus. Sumtu Langenhemii anno proximo initium cepit vtilissimum institutum. *Platonis dialogi quatuor, Euthyphro, Apolog. Socratis, Crito, Phaedo, Graece e recensione Henrici Stephani varietate lectionis, animaduersionibusque criticis breuibus illustrati* ab *Ioh. Frider. Fischero.* plag. 14. 8.

Prae-

Praefatione, quam Carolo Andreae Belio, Prof. Lipſ. celeberrimo, inſcripſit, primo de ſcholarum quarundam minorum ephoris et magiſtris veriſſime conqueritur, tum de editionibus Platonis principibus tribus, Aldina, Hopperiana, Stephaniana paullo fuſius disputat, poſtremo quam in edendis quatuor primis dialogis rationem ſecutus ſit, docet.

Contextum Stephani totum retinuit, exceptis duobus tribusue locis. Sed praetermiſit interpretationem Latinam: et cum enarrandum in ſcholis Platonem ederet, ineptum putauit nimis cumulari notas, quarum in locum ſuccedere peritorum magiſtrorum vox et doctrina deberet. Horum tamen iudicium vtile duxit adiuuari notis criticis breuibus, vt quae eſſet vera cuiusque loci *ſcriptura*, antequam interpretarentur verba, viderent. Sed ne tamen imbecillitas tironum plane ſe deſtitutam queri poſſit, ſpem facit edendae ſeorſum clauis Platonicae, ad modum eius, quam in verſiones Graecas V. T. paret. Ceterum, quum diffideret a ſe librarium ita liberalem et humanum reperiri, qui totum Platonem ſuis impenſis vno tempore formulis deſcriberet: faciendum putauit, vt quaternos quinosque dialogos annis ſingulis ſeparatim ederet.

Non ſubſtitit in prima illa tetralogia Platonis accurata Fiſcheri et promta doctrina, quam Erneſtii

neſtii quondam voce laudari meminimus. Ad manus eſt recentius eius ſpecimen, quod modo bibliotheculae noſtrae intulimus hoc indice inſcriptum, *Palaephati de incredibilibus hiſtoriis, Graece e recenſione Segim. Frider. Dreſigii cum eiusdem notulis, quibus ſuas animaduerſiones vna cum indice verborum Graecorum copioſiſſimo atque praefatione adiecit Ioh. Frider. Fiſcherus. Editio tertia.* Lipſ. *ſumtu Ioh. Chriſt. Langenhemii.* Plag. 9. itidem octonis.

Quemadmodum ſuperioris libri praefatio obſeruantiae, qua Belium colit Vir humaniſſimus, teſtis eſt: ita haec fraterni amoris, quo Iohannem Albert. Chriſtoph. ſuum proſequitur, ſenſum ſuauiſſime exponit. Reliqua pertinent ad declaranda paullo copioſius ea, quae deſcribendo indice modo tetigimus. Editionum cum ſeptem numerentur, de ſingulis erudite diſſerit. Quo loco Dreſigii coniecturas notat vanas, Carpzouii viri ſ. Ven. ſpecimen laudat obſeruationum philologicarum in Palaephatum. Neque huic addita eſt interpretatio Latina, neque eam omnino requiret qui ſubiunctum verborum indicem viderit vel mediocriter Graece doctus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS VIII.

DIE MARTIS, V. CAL. AVGVSTI, cIↃ IↃCCLXI.



HAFNIA. XX. IVLII.

Ex diebus aliquot publice compertum habemus, fore, vt matrimonio sibi iungat excellentissimus Liberbaro a Sölenthal, Regis ab intimis consultationibus, comitatus Ranzouiensis administrator, ordinisque Elephantini Eques torquatus, matronam viduam, Perillustris quondam Brandtii, qui Regis a consultationibus fuit, coniugem.

LONDINO. XVII. IVLII.

Dilatum iri per hebdomadas aliquot scimus nuptias regias propter obitum, quo nihil eiusmodi cogitantibus erepta est Reginae futurae

mater, Serenissima Dux Strelitiensis. Qui hac hebdomade ingressuri erant iter Megapolitanum, Comes ab Harcourt, et reliqui viri illustres, hinc ante diem huius mensis XXV. non discedent. Interea quaecunque ad sacrum connubiale regia magnificentia quam splendidissime instruendum faciant, studiosissime omnia comparantur. In palatio St. Iacobi * quae Carolinae quondam erant, conclauia, vsibus Reginae accommodantur iam, ornanturque. Reparando palatio quo liberius impendi opera, sine mora et impedimento, queat, Kensingtonum Rex discessit.

* St. Iames.

Westmonasterii quae ita sitae sunt aedes, vt conspici ex illis sollemnis pompa Regem deductura possit, ingenti pretio in vnum illum, quo Rex inaugurabitur, diem conducuntur: nonnullae quadringentis, aliae quingentis numorum Sterlingicorum libris.

Nudius tertius supremus vrbis Praetor regius * cum aliquot ordinis senatorii viris ** ad conueniendum celsissimum Ducem Eboracensem *** sollemni more e curia procedebant. Eos comitabantur ex aromatum institoribus delecti. **** Hi Principi litteras exhibebant, quibus tribui eum suae adscripserant. Quo facto, ius ipsi ciuitatis conferebat Praetor. Vtriusque generis diploma, scitissime pictum, in capsula aurea porrigebatur. Gratissimum sibi ciuitatis amorem esse,

esse, declarabat Princeps regius, qui verbis illum humanissimis prosequeretur, ciuibusque ipsis dextram offerret osculandam.

* Lord Mayor.

** Aldermanns.

*** Herzog von York.

**** Deputirte der Gewürzkrämer-Gilde.

WARSOVIA. XII. IVLII.

Missus ab exercitu Russorum cursor, paucis ante diebus aulae nostrae confirmauit, Tottlebium comitem, nobilem illum antea ducem, neque vna Russis expeditione probatum, comprehensum denique, et in vincula coniectum esse; idem accidisse militum cuidam Tribuno *, et Magistro equitum Hungarorum **, praetereaque decem Praefectis militum inferioribus *** et duobus Iudaeis.

* Oberster.

** Husaren-Rittmeister.

*** Unterofficiers.

Tottlebius cum praesidio armatorum * centum et quinquaginta ad Butturlinum comitem, eundemque castrorum Russicor. praefectum ** deductus est. Ibi obiectae sunt ei litterae, quas manu sua scripsisset, a Laudono interceptae. Post, excusso eius tabulario ***, deprehensae etiam litterae argentariae **** in quibus ingens

pecuniae summa ageretur: repertum etiam aliud sponsionis fideique scriptum pignus *****.

* Escorte.

** Feldmarschall.

*** Kanzeley.

**** Wechselbriefe auf eine grosse Summe Geldes.

***** Versicherungs - Schreiben.

EX LITTERIS LVSATICIS. XII. IVLII.

Russi copiosum illud, quod ad Posnaniam habent, horreum tanto militum praesidio tuentur, vt irrita fuerint Prussorum diripiendi illius consilia. Agmen Russicum in Silesiam superiorem, Oppauiam * versus, irrupit, cum Austriaco ibi coniungendum. Laudonus, rei tormentariae in expeditione praefectus **, ipse ad conferenda cum duce Russorum consilia profectus esse dicitur.

* Troppau.

** Feldzeugmeister.

EX BOHEMIA. XII. IVLII.

Agmen Odonellianum Zittauia mouisse, breuique cum Laudoni copiis coniunctum iri, nemini amplius dubium esse potest. Eisdem Russorum etiam agmen iungetur die huius mensis decimo quinto. Ad illas his diebus missi hinc viginti medici vulnerarii signo sunt, quam primum futurum, vt cum hoste manum conferamus. Copiae caesareae regiae ad Landshutum substiterunt.

PRA-

Iam in eo eſt, vt rerum in Sileſia gerendarum exſpectatio moueatur. Sub ipſa menſis auſpicia, Brentano duce agmen militum ad Regium montem vsque progredi iuſſerat Laudonus. Mox copias ex montanis regionibus omnes deduxit Pruſſiae Rex: quibus prope Sueidnitium contractis, caſtra die ſeptimo habuit ſic diſpoſita, vt dextrum cornu ad pagum Pülzenſem; ſiniſtrum ad Faulbrückenſem pertineret. Qua re impulſus Laudonus Brentani agmen, quod haud procul Conradi ſilua conſederat, cohortibus nonnullis augeri iuſſit. Ipſe illis, quae Okellio duce acceſſerant, exercitum auxit ſuum.

VRATISLAVIA. XIX. IVLII.

Inſtat, ſi quid coniectura conſequimur, momentum belli decretorium. Imminent nobis Ruſſi ita iam, vt accedere propius nequeant, quin infeſtis ſignis in eos inferatur exercitus regius. Huic Ziethenì copiae auxilia ferre mutua poſſunt. Quod niſi aut Butturlinus, caſtrorum praefectus*, *aut Laudonus pugnam capeſſerit*, vtercunque primus apertum latus praebuerit, in hunc impetus a noſtris fiet. Omnes in Poloniam viae intercluſae a Ruſſis ſunt, vt ne curſus quidem publici commeandi facultatem habeant. Neque mercatores noſtri, rebus ambiguis, quidquam ad Viadrum negotii vel ſuſcipere vel committere auſint.

* Marſchall.

Nudius quartus Ueterſeno, vbi dies aliquot apud Ahlefeldtium, comitem et equitum ducem *, commoratus fuiſſet, in vrbem noſtram conceſſit illuſtriſſimus Comes a Saint Germain, Supremus caſtrorum praefectus. **

* General der Cavallerie.

** Generalfeldmarſchall.

RES LITTERARIAE.

Soram euocati ſunt ab Auguſtiſſimo Rege, qui in Academia equeſtri Profeſſorum munere fungantur duo viri doctiſſimi: alter *Andreas Schutte*, iuris publici et polirices; alter *Owe Guldberg*, eloquentiae et hiſtoriarum Profeſſor.

Inſtitutum fuit ſub ipſum ſuperioris ſaeculi exitum in celeberrimo Hamburgenſium Gymnaſio, vt qui Logices et Metaphyſices munus ambirent, publice ſine ſocio Reſpondente diſputarent: eoque tum inſtituto inter primos vſus eſt Io. Albertus Fabricius, ſummum illud poſtea et litterarum omnium et Gymnaſii decus. Ante hos ſedecim annos eodem conſilio in cathedram ſuperiorem eſcendere meminimus, cui diuturniorem eius ornandae facultatem optauiſſemus, Schaffshauſium. Vacat ex viri deſideratiſſimi obitu, qui d. XV. Febr. huius anni contigit, munus: et repetendum cenſebant illuſtres reip. Proceres priſtinum disputandi ritum.

tum. Huius rei cauſſa *Diſſertationem philoſophicam de prouidentia Dei indiuiduali* edidit, atque auctoritate et conſenſu ampliſſimi Scholarcharum collegii in Gymnaſio d. XXIII. Iulii propoſuit *Io. Henr. Vinc. Noelting*, Philoſophiae Magiſter, et ordinis philoſophici in academia Ienenſi adiunctus. Noueramus iam auctorem ex aliis ſcriptis philoſophum ſubtilem et acutum: eumque hic ſui ſimilem comperimus. Argumentum ipſum eiusmodi eſt, vt in hanc aetatis noſtrae licentiam, qua parum digne nonnulli de prouidentia et vi diuina philoſophantur, apprime conueniat. Veriorem doctiſſimus Noeltingius animo informauit ſummi Numinis notionem.

Disputationis ſectione priore, quam dogmaticam inſcripſit, conſtituta prouidentiae diuinae eiusque indiuidualis definitione, ex natura tum ipſius, tum rerum creatarum demonſtrat primo, Deum in efficiendi mundi conſilio rerum etiam ſingularium, quae futurae eſſent, rationem habuiſſe: deinde, cum duae ſint prouidentiae partes, conſeruatio rerum et gubernatio, vtramque in rebus etiam indiuiduis et minimis verſari euincit. Quibus ſubtiliter traditis illa addi vult prouidentiae perpetuae ſigna, quae conſideranda tum animalium, tum plantarum propagatione, ad ſenſum paene reuocauit Vir ampliſſimae ſolidaeque eruditionis laude celebratiſſimus Herm. Sam. Reimarus, libro illo, quo de praecipuis Theologiae nat. locis patrio ſermone ita expoſuit,

fuit, vt interioris philoſophiae ſcientiam cum amabili quadam popularitate coniungeret.

Sectio altera, quae polemica eſt, collatis rationibus congreditur cum his, qui prouidentiam Dei, continuatam maxime, quae res ſingulas minimasque complectatur, negant. Impugnant eiusmodi curam, qui ſibi forte moleſtam metuunt, variis argumentis. Eſſe Deo indignam dicunt, et, rebus certa lege deuinctis, haud neceſſariam: ſufficere, maximis prouidere Deum, hisque tuendis maieſtatem ſuam proferre: mundum, tanquam machinam impulſu ſemel motam, non egere amplius Dei, velut adiuuantis artificis, manu: *ſatis eſſe, ſi quae generi ſubſunt*, partes conſeruentur: votis hominum vel ſtultiſſimis annuendum eſſe Deo, qui cuiusque indiuidui rationem habeat: eundem denique non paſſurum, quod fieri videamus, vt bellis, tempeſtatibus, peſtilentia, terrae motibus, cet. regiones hominesque in ſummam miſeriam detrudantur. Sed in his et ſimilibus, quae dicuntur, nullam eſſe vim ad imminuendam diuini Numinis curam, breuiter hic ſolideque legimus demonſtratum.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS IX.

DIE VENERIS, PRID. CAL. AVGVSTI, cIↃ IↃCCLXI.



CONSTANTINOPOLI. XVII. IVN.

Exiit heri claſſis noſtra, naues bellicas * octo, actuarias ** ſeptem complexa. Quam in Melitenſes ituram, quod rumor ſparſerat, nemo nunc quidem eſt, qui putet.

* Schiffe von der Linie.

** Galeeren.

Moldauiae et Wallachiae principes loco mouit magnus Turcorum imperator*. Primus ſucceſſorem habuit filium: alteri ſubſtitutus eſt qui regioni quondam vtrique praefectus erat, Conſtantinus Waywoda.

* Der Sultan.

Nouissimi Persarum nuntii confirmant, liberari nondum posse turbarum calamitatibus, quibus triginta amplius annos iam adfectum fuit, florentissimum olim imperium: Heraclium Principem inter eos, qui regnum adfectant, auctoritate plurimum valere: esse iam in eius potestate Hendischi vrbem, et Eroanum*, sedem olim regiam; illam vi expugnatam, hoc vltro victori cessisse, decies mille aureos Venetorum ** annui tributi nomine imperanti. Armis positis Heraclio se cum familia sua dederat Assadus, aemulorum potentissimus: quem tamen Heraclius, quod ei non satis confideret, Tiphli *** in arcem condidit. Huius se imperata facturos receperunt quoque prouinciarum aliquot et vrbium proceres. Hi tot tantique successus, ipsaque Heraclii in rebus gerendis prudentia, vt animum aduertat aula Turcica **** faciunt; neque temere verendum sit, ne in Europaea se negotia interponat.

* Erivan.

** Zechini.

*** Teflis.

**** Die Pforte.

LONDINO. XXI. IVLII.

Qui heri mane ex India orientali naui bellica aduehebantur Centuriones duo, Monkton, et Hughes, litteras pertulerunt Cootii, militum Tribuni, et Steuensii, classis praefecti, felicissimae expeditionis indices. Subiit d. XV. Ianuarii

nuarii deditionem Pondicheria. Obsidionem tum remotiorem*, tum arctiorem tanto studio continuarunt Angli, vt ab omni cum suis commercio exclusi, omni spe suppetiarum deiecti praesidiarii Galli, tueri diutius locum non potuerint. Hi itaque (bis mille et septuaginta duo erant) cum omni re tormentaria, apparatu bellico, cet. ex deditionis conditionibus ** in potestatem venerunt Anglorum. Populo ingentem laetandi materiam, nulla interposita mora, significarunt explosa turris *** et viuarii **** tormenta. Qui in vrbe erant, primores Regem adire properabant, gratulandi caussa. Vespera omnes per vrbem aedium fenestrae festis luminibus collucebant.

* Blocquade.

** Zu Folge der Capitulation.

*** Towr.

**** Parc.

EX EADEM VRBE EODEM DIE.

Quae diem illum aureum excipiebat, nox alium attulit non minus laetabilem nuntium ex India occidentali. Die VII. Iunii, diui Dominici insula, ex Caribarum numero, quam Galli adhuc tenebant, duce illustri Rollone vi expugnata et in nostram ditionem redacta fuit.

* St. Dominique.

EX GALLORVM LITTERIS DE PRAELIO AD PAGVM FILINGSHVSIVM D. XV ET XVI. IVL. FACTO.

E castris Erwettanis cohortes Estinghusium

moueri iusserat die XV. mane illustrissimus Broglius, summus castrorum praefectus; ipseque Sufato * eodem discesserat. Hora vesperi quarta cum omnibus copiis triplici proficiscentium ordine ** iter ingrediebatur, arcis Nadelensis, pagique Filingshusii potiturus. Adiuturus erat consilium Sobisius, locorum quorundam aditus cum exercitus sui parte seruans.

* Soest.

** Colonne.

Quae sinistro ordine ad fluuii ripam tendebant Stainvillio duce cohortes, arcem illam occupare iussae erant. Occupant, captis qui male pertinaces fuerant, praesidiariis centum.

Dextri ordinis qui primum agmen ducebat, Closenius, irruptionem receperat in pagum Filingshusium faciendam. Quam fortiter perfecit, vt hostes etiam pertinacius resistentes intra concaedes,* quas ante castra habebant, compelleret, ac *tum ibi, tum in castello* ** quod constituerant, consideret. *** Ex illis nos locis eiicere **** semel iterumque tentauit Granbyi agmen; eiecturum fortasse, nisi submittendis auxiliis aucta fuisset manus Closiana.

* Verhack.

** Redoute.

*** Posto fassen.

**** delogiren.

Postridie inde a prima luce tormenta hostium excutiuntur. Sub horam septimam manipulatim progredi* ordines ex media acie et a dextro

cornu

cornu ad ſiniſtrum videmus. Acrius tormentis ſclopetisque noſtros verberant. Mox inſtructa acie accedunt, potentioribus nos copiis adgreſſuri. Cum inexſpectata quaedam et minus prouiſa comperiſſet illuſtriſſimus Broglius, repetenda ſibi iudicat caſtra Oſtinghuſana: itaque eo ſe recipere exercitum iubet. Recedimus ſatis recte: niſi quod vnam legionem Rougiam hoſtis conſequitur, partimque reditu excludit. Huius etiam ſigna aliquot capit. Amittuntur tormenta eiusdem quatuor, deiectis globulorum ictu, qui vehebant, equis. Quod in aliis quinque tormentis pariter accidit.

* deſiliren.

Ipſe caſtrorum praefectus ſummus extrema recedentium agmina duxit. Ordine acieque ſeruata retroceſſimus. Crebro gradum ſtitimus: quo ipſo impoſuimus hoſti, qui relinquere foſſarum munitiones et ex pago Filingshuſio egredi non auderet. Leuiores armaturae cohortes aliquot Vltrupium vsque ſecutae. Vulneratos ex noſtris omnes fere nobiscum abduximus: neque minus illa tormenta tria, quae hoſti pridie ceſſerant, militesque quos ceperat, ducentos

Noſtrorum quidem bene multi deſiderantur; neque tamen tanta iactura eſt, quantam exiſtimet forte, qui pugnas binas tam acres cogitarit. Caeſorum, vulneratorum, captorumque qui exhibitus fuit, index bis mille et quadringenta capita numerat. Dux Havreenſis brachio truncatus, Rougius, Marchio, pede; Veracius

grauiter vulneratus: vno tres ictu tormentario, cum ad arborem consedissent. Praefectorum quoque alii partim vulnerati, partim capti. Ceterum duces nostri militesque maxima virtutis documenta omnes dederunt.

RES LITTERARIAE.

Posse etiam de rebus subtilioribus ornate et populariter exponi; nec disciplinarum, sed scriptorum vitium esse, quod in nonnulis scientiarum campis

Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus, et spinis surgat paliurus acutis:

id vero inter recentiores primus, nisi fallimur, clarissimo exemplo demonstrauit Fontenellius. Qui locum illum astronomicum de pluribus mundis non solum suauissimo dialogo persecutus est, sed ita etiam ornauit, vt probaret illustrissimae Comiti, quae nihil praeter discendi studium attulisset.

Idem fere argumentum, quod celeberrimus Francogallus tractauerat, continuatum nunc a Germano videmus ratione, quae quam proxime ad dialogicam accedit. *Cosmologische Briefe über die Einrichtung des Weltbaues, ausgefertigt von I. H. Lambert.* f. Epistolae Cosmologicae de systemate mundi. Augustae Vindelic. 1761. plag. 22. 8 mai.

Cupierat sane Auctor, quod in praefatione fatetur, meditationes suas ita exponere, vt Fontenelliani operis veluti pars altera haberi, remo-
tis

tis tamen illius vorticibus, possent. Quod si minus consecutus videbitur his, qui illam siue ingenii Gallici, siue sermonis suauitatem et elegantiam, vel ex celeb. Gottschedii interpretatione, requirent: reperient tamen multa hic perspicue dilucideque tradi, alias a communi captu remota. Epistolis illa, quam dialogis persequi maluit, quod essent, quae non nisi continenti oratione explicari posse viderentur.

Duo hic amicos inducit scribentes, quorum alteri docentis partes tribuit, indole non magnopere diuersos. De notandis personarum moribus propterea non valde laborandum duxit, quod in eiusmodi scriptione argumentum fere solum censeatur. Neque tamen verborum praetermisit honores: quo et epistolarum mos seruaretur, et lector haberet, vbi paullulum veluti requiesceret.

Epistolae viginti sunt. Earum priores de singulis partibus huius vniuersi exponunt, deque corporum, quae ad systema nostrum solare referuntur, ordine et compage. A cometis docent non esse tantum periculi, quantum fingerent nonnulli ante annos aliquot: systema illud solare non tam desertum videri cultuque vacuum, quam putent forte, qui operam non dederint obseruationi: planetis denique haud quidquam dignitate concedere cometas.

Sequentes epistolae paullo audacius, duce tamen probabilitate, ordinem definiunt et rationem fixarum. Harum proxima quantum a sole

distet,

diſtet, indagarunt Aſtronomi: nihil amplius. Sed quoniam exinde, quo inter ſe ordine iunctae ſint, nondum intelligitur: cogitationes hic ſuas interponit Auctor ingenioſus ſane eiusmodi, quae, tametſi geometricae demonſtrationis vim non habeant, perduci tamen ad altiorem gradum veriſimilitudinis queant. Sumtionum, quibus in colligendis rationibus vtitur, plurimae teleologicae ſunt, et a conſilio condendi mundi repetitae. Quibus vt vim pondusque conciliaret, concluſiones inde elicuit, experientia dudum ipſa comprobatas. Qua in primis ratione vtitur epiſtola ſexta et ſeptima, vbi multo plures eſſe cometas, quam planetas docet. Adhibuit praeterea grauitatis legem, vnde nonnulla arceſſeret, quam quidem toti vniuerſo adſignat.

Multa in his epiſtolis deprehendet lector attentus, quae mirificam ingenii ſollertiam prodant: multa, quae ad *colligendae probabilitatis artem pertineant*. Ac ſpem facit Auctor, fore, vt quae ſibi in illo genere obſeruata ſint, ad praeceptionum formulas redacta, olim euulget. Lambertum, Acad. Scientiarum Elect. Boicae Membrum et Profeſſorem honorar. in aſtrorum ſcientia ita verſari, vt excellat, norint, qui ipſius Photometriam, et nuperrime editas inſigniores orbitae cometarum proprietates experti erint.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS X.

DIE MARTIS, PRID. NON. AVGVSTI, cIↃIↃCCLXI.



PETROBVRGO. X. IVL.

Quod hic breui temporis ſpatio crebra vidimus incendia, non leuis mouetur ſuſpicio, ab improbis ea et ſceleratis hominibus excitata fuiſſe. Sed maiora damna et detrimenta nullo adhuc incendio cepimus, quam quo hoc ipſo die conſumta dolemus copioſa lini et cannabis promtuaria *. Quam quidem iacturam maiorem eſſe putant, quam vt quadragies centenis millibus imperialium Ruſſicorum ** ſarciatur. Multae naues onerariae *** maiores, plenae mercium, nonnulla extraneorum nauigia, quae cum maxime

onerabantur, elegans ille pons nauticus vrbem versus, flammis perierunt. Casus grauissimus ne multorum rationes turbet, valde verendum est. Plurimum sane detrimenti mercatoribus adferet, neque exteris minus, quam nostris

* Flachs und Hanf Magazine.
** über vier Million Rubel.
*** Barken.

Hodie Augustissimam Imperatricem, audientia facta, primum salutauit Hispaniae regis Legatus Almodauarius, marchio: et qui non ita pridem aduenit legatus Danicus, comes ab Haxthausen Imperatoriae celsitudinis Ducem eiusque coniugem in Petriaula * veneratur. Ibi quoque dies hic, quo Magni Ducis nomen fasti retulerunt, ** sollemniter magnificeque festus agitur.

* Peterhof.
** Namensfest.

GEDANO. IV. IVLII.

Proximo Solis die a meridie Russorum classis triginta amplius nauium in litoribus nostris collocabatur. Cras in mare rursus exibit: Colbergae obsidionem, vt quidem fertur, susceptura.

LONDINO. XXIV. IVLII.

Ex diebus aliquot valetudine Rex minus commoda vtitur. pustulis dicitur labore eis, quas vulgo variolas nothas * vocant. Sed ita se exseruisse easdem audimus, vt magna spes sit, fore,

re, vt intra paucos dies valido Rege et reſtituto gaudeamus.

* Windblattern.

Praeter Wedderburnium, qui primus victoriae nuntius diebus aliquot ante aderat, venit heri a Ferdinando duce miſſus Adiutor alarius * idemque militum tribunus Fitzroi, paullo accuratiorem deſcriptionem adferens. Indixit ſtatim Auguſtiſſimus in diem ſolis ſupplicationem ** omnibus vrbis noſtrae templis celebrandam.

* Flügeladiutant.
** Dankfeſt.

Heri pariter a Pruſſiae rege celer nuntius aulae noſtrae aduenit. Eam Pruſſus copiarum inſtructionem * nuperrime inſtituit, vt breui tempore rerum magnarum nuntios exſpectare inde poſſe videamur.

* Diſpoſition bey den Armeen.

Ab Holmeſio, claſſis praefecto, nauis Gallorum bellica ſexaginta tormentis inſtructa, capta eſt, et in Iamaicae portum ducta. Magnam illa pecuniae vim, ornamenta vaſaque multa vſui ſacro dicata *, Indicum **, ſaccharum cet. vehebat.

* Kirchengeräthe.
** Indigo

Claſſes mercatoriae * binae, quarum altera nauibus quadraginta, altera centum et quadraginta conſtabat, ex Indiae portubus profectae,

comitante quod fatis esset praesidio **, ad oram nostram adpulsae sunt.

* Kauffahrdeyflotte.

** Unter hinlänglicher Bedeckung.

PRAGA. XXI. IVLII.

Laudoni exercitus die huius mensis XVII. haud procul Brunauio adhuc degebat. Brentanus dux cum magno militum expeditorum * numero vltra Waldburgum, Silesiae oppidulum, subsistit.

* Leichte Truppen.

Russi ad Viadrum tendunt sursum: eorum prima acies Trebnitium, ad tertium a Vratislauia lapidem, iam venerat. Ziethenius, hostium dux, transiecto rursus Viadro Vratislauiam petiisse fertur.

Qui Laudoni imperio paret, exercitus ad octoginta militum millia augetur. Quo quidem consilio non Zittauia solum Odonellianum agmen eo abiisse, sed Dresda etiam legiones eodem ductas esse scimus. Fieri non potest, quin subita rerum Silesiacarum conuersio sequatur. Beckius, ad Zittauiam cum quinquies vel sexies mille hominibus mansit, Silesiam ea ex parte seruaturus.

EX TRACTV HANNOVERANO. XXX. IVL.

Broglii exercitus, quantum coniectura colligimus, Cassellas petet. Eum insequitur Ferdinandus. Sobisii copiis, quae trans Ruram se receperunt, instat Sereniss. Brunov. Princeps.

Paucis ante diebus de hostium agminibus, vnum quidem Hämelschenburgum venerat, aliud Ludam haud qrocul pyrmonto: sed vtrum-

que

que iam discessit. Sunt, qui Lucknerum ducem, qui Pyrmonti in praesens consistit, cum acie discedentium extrema pugna velitari concurrisse, confirment.

ALTONA. IV. AVGVSTI.

Ex Strelitiensium litteris, serenissima Magnaebritanniae regis sponsa, cum Stadam venerit, nauem ibi, quam Charlottae cursoriam * vocant, conscendet. Londinum vsque comitatura serenissimam dicitur matrona perillustris Cocceia, vidua.

* Charlotten - Iagdt

RES LITTERARIAE.

Gronouianae editionis exemplum in tabernis librariis iam pridem frustra quaerebant, qui emendatissimum habere Plautum vellent. Diuturni desiderii exspectationem nunc expleuit Georgii, bibliopolae Lips. cura, cuius impensis prodierunt *M. Accii Plauti quae supersunt Comoediae, cum commentario ex variorum notis et obseruationibus, ex recensione Ioh. Frederici Gronouii. Accessere ex eiusdem lectionibus Plautinis notulae asterisco notatae. Cum Praefatione Io. Augusti Ernesti.* 8. mai. Alphab. 3.

Ex praescripto indice iam vident quibus Batauae editionis notitia est, auctam esse Lipsiensem nouis Gronouii animaduersionibus. Elegans praeterea et nitida est: ipsumque hoc quod in partes duas tributa, commoditatem adfert emtori, qui compagem paullo crassiorem nolit, vt duobus concinnari voluminibus queat. Sed in

dotibus eius numeramus quoque praefationem Erneſtinam, quae tum de editoribus Plauti, tum de interpretibus ita diſputat, vt in illa breuitate diligentius non poſſit.

Non facile alium eſſe demonſtrat de ſcriptoribus Latinis, qui aeque male ac Plautus tractatus fuerit ab iis, qui eum emendatiorem reddere cuperent: praeſertim cum plerique ad eam rem parum vel ab ingenio ac doctrina, vel potius a libris bonis inſtructi accederent. Qui aliis porro ſaluti fuerint, numeri poëtici, refrenanda corrigendi, id eſt, corrumpendi libidine, hos vero Plauto certiſſimam peſtem attuliſſe: dum quisque ad eas, quas ſibi opinione finxiſſet, metri leges vtcunque, vel addendo, vel detrahendo, vel mutando reuocaret, et iis parere cogeret. Quid in Terentio refingendo Bentleius fecerit, notum eſt. Idem ſe in Plauto facturum minabatur. Quo certe futurum fuiſſet, vt Plautum vix maiori ex parte receptum perdidiſſemus.

Animaduerterat iam ſaeculo XVI. peruerſum emendandi ſtudium Simo Carpentarius, qui Plauti Comoedias 1513 Lugduni, quod veriſimile eſt, edidit. Cauſſam corruptionis ex libidine in primis faciendorum aut concinnandorum verſuum ad leges metricas agnouit et nominatim reprehendit Nic. Angelius, cum anno poſt noui exempli Plautum Florentiae ederet.

Duobus illis, Gallo et Italo, cum Plautus iam nonnihil debuiſſet, ſecuti, qui illorum diligentiam longe multumque ſuperarent, Germani tres. Primus quidem *Ioach. Camerarius*, qui

qui antiquissimis et optimis codicibus manuscriptis comparandis, ita Plautum correxit, vt prope nouus videri posset; vt merito sospitator Plauti adpelletur. Post cum comoediae nostrae rursus tentarentur ab iis, qui versus ad leges suas concinnatos cuperent *Iann. Gruterus* eas ex Camerarianis et aliis codicibus a 1592 suae integritati restituit. Tertius denique accessit *Ioh. Frider. Gronouius* (Hamburgi, patre Wismariensi, natus, Dauentriae et Lugduni Bat. nominis famam consecutus) qui et Camerarianis et Gruterianis inuentis et aliis codicibus vsus est.

Interpretes Plautus probabiles duo potissimum ante Gronouium nactus erat, alterum Lambinum, sui ingenii et doctrinae copiis fretum; alterum Taubmannum, qui quidquid alii ad bene intelligendum vel in commentariis ad Plautum, vel sparsim in libris suis dixissent, in commentarii continuum corpus redigeret, adspersis etiam suis. Horum omnium delectum habuit in adornandis obseruationibus Gronouius, ita vt de suo etiam adderet, quae vel ad cognoscendam interiorem latinitatem, vel ad sensum obscurorum locorum, aut iocorum vim et venustatem pertinerent. Quo factum est, vt ipsius editio ceteris omnibus praeferretur. Non defuerunt post Gronouium, homines docti, qui ea scriberent, per quae aliquid nouae vel emendationis, vel lucis accessurum Plautinis Comoediis putarent. Sed placuit talia colligenda relinquere ei, qui nouum commentarium in Plau-

Plautum aliquando ſcribere ſuſciperet, et ſola ea quae Gronouius ſcripſiſſet, repetere.

Quae cum hic iam renouata omnia videamus: optamus cum editore celeberrimo, vt ſtudium quoque legendi Plauti, quod magnopere quondam vigebat, atque ad intelligendam linguae Lat. proprietatem vnice ducit, renouetur. Ac tametſi in nonnullis locis Plautinos et numeros et ſales patienter nimium miratos fuiſſe Romanos facile credamus Horatio: in plurimis tamen venuſtates et lepores reperimus eos, qui non gloriofius, quam verius ab ipſo Plauto ſcriptum probent Epigramma ap. Gellium, Noct. Attic. I, 24.

Poſtquam morte datus Plautus, comoedia luget;
Scena eſt deſerta deinde Riſus, Ludu' Iocusque,
Et numeri innumeri ſimul omnes collacrimarunt.

Hamburgi ſuperiori hebdomade alter candidatorum vacui muneris (vid. Libell. VIII p. 63 eruditionis ſuae ſpecimen diſputando publice edidit. *Iuſſu et auctoritate ampliſſimi Scolarcharum collegii argumenta quaedam ad euincendum quod ad inueſtigationem cognitionis perfectio facultatum animae practicarum aeque neceſſaria, quam theoreticarum, in Gymnaſio Hamburgenſi d. XXX Iulii defendet Martinus Fridericus Piliſcus. R. M. C.* plag I et dimid. 4.

Commentatiorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extraneis quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XI.
Die Veneris, VII. id. avgvsti, cIↄIↄccLXI.



HAFNIA. XXXI. IVL.

Vidimus hic proximo Martis die, quo nihil optatius, nihil iucundius videre potuiſſemus. Recuperata valetudine in vrbem redibat Rex amabiliſſimus, tot votis ciuium et deſideriis expetitus. Excipiebat FRIDERICVM communi inter ſe congratulatione ingens hominum, qui ad portam et in vrbis aggere praeſtolabantur, multitudo. Poſtridie vrbem cum rure commutauit Auguſtiſſimus, futura hebdomade ad nos rediturus.

WARSOVIA, XXIII. IVLII.

Nudius quartus Princeps regius Clemens, ſa-

tato Rege, Aquisgranum * abiit, comitantibus Bellegardo, Regis Electoris administro, et Zawoiskyo, supremo militiae adiutore **. Inde Romam petet celsissimus Princeps, sanctioribus studiis vacaturus.

* Aachen.

** Generaladjutant.

Quam Patrum Iesu collegium, quod Leopoli * est, litem intendit academiis Cracouiensi et Zamosciensi, ea hic ex diebus octo, magno vtrinque disceptantium motu, in iudicio aulico agitatur.

* Lemberg.

Lubomirskyus Princeps, summus regni Poloniae ensifer *, et Potokyus comes idemque Palatinus ** Belcensis, grauiori morbo adfecti sunt, quam vt conualescendi spes supersit.

* Krongrosschwerdtträger.

** Woywode.

LVTETIA PARISIORVM. XXVII. IVLII.

Sobisius Princeps castrorumque praefectus, si famae credimus, primus cum auctoritate administer regius * intererit concilio pacificationis Augustano.

* Als erster Königl. gevollmächtigter Minister.

BERNA. XIV. IVL.

Abhinc paucis diebus Thermas * se conferent foederatae Heluetiorum reipublicae ** ordines, comi-

tiorum caussa: quibus tum de rebus interioribus deliberabunt, tum de legatione, *** quam Augustam Vindelicorum ad pacis concilium mittent.

* Baden.
** Eidgenossenschaft.
*** Deputation.

Sardiniae Regis copiae tametsi expletae sunt numero, omnibus tamen locis confinibus inueniuntur qui milites conducant. Ac quod arrhabonem Rex praeberi iussit valde liberalem, vndique ad conquisitores multitudo confluit. Colliguntur per silentium etiam cohortes aliquot nulli legioni adscribendae *.

* Freycompagnien.

EX LVSATIA SVPERIORE. XXX. IVL.

Mirifica nunc omnes exspectatio tenet rerum in Silesia vel gestarum iam, vel gerendarum. Haud procul Münsterberga acerrima inter Prussos et Austriacos per procursationem pugna commissa fertur.

Vratislauiae tanto studio aggeres struuntur, vt nemo fere sit, qui ab opere faciendo immunis relinquatur.

EX TERRIS BRANDENBVRGICIS. II. AVG.

Berolino qui veniunt, multa ibi a variis artificibus egregio pretiosoque opere perfici narrant, quibus Sponsam donaturus sit Magnae britanniae Rex.

EX TRACTV HANNOVERANO.
IV. AVGVSTI

Die menſis huius ſecundo ad Bürenum adhuc conſtiſtebat exercitus foederatus. Galli Suſato ita diſceſſerunt, vt trecentos ibi vulneratos reliquerint. Vrbi quidem ſoluenda imperauerant, tributi nomine, quadraginta millia imperialium. Sobiſii exercitus circiter vicies mille homines complecti dicitur, poſtquam ad Broglii copias reliqui abierint. Quae quo nunc loco conſiſtant, compertum eſt nemini.

Lucknerus, ſupremus excubiarum praefectus * cum agmine, quod ducit, ad Steinhemium, Paderbornenſe oppidulum, progreſſus eſt: Freytagius, militum Tribunus, Holzmündam diſceſſit.

* Generalmajor.

HAMBVRGO. VI. AVGVSTI.

Gymnaſii noſtri Profeſſor communibus Patrum ſuffragiis dictus eſt Vir praenobiliſſimus atque doctiſſimus, Iohannes Henr. Vinc. Noelting, Viri plurimum reuerendi Iohannis Andreae Noelting, ad aedem St. Michaëlis Diaconi longe meritiſſimi, filius.

ALTONA. VII. AVGVSTI.

Qui e Saxonia nuntii veniunt, pugnam velitarem narrant, qua cum agmine Auſtriaco acriter decertarit manus Pruſſica venatorum militarium.

Ham-

Hamburgo Lutetiam Parisiorum profectus est perillustris a Champeaux, Galliarum Regis ad circulum inferioris Saxoniae legatus.

RES LITTERARIAE.

Complura iam ex celeberrimo Brunouicensium Collegio Carolino scripta prodierant, quae ad vernaculae orationis cultum siue solutae, siue ligatae, pertinerent. Eberti, Zachariae, aliorumque doctissimorum virorum nemo est quin ingenium et elegantiam suspiciat ac miretur. Sed exspectabatur dudum aliquid eius generis etiam a Gärtnero, cuius cognita virtus et politissima doctrina desiderium etiam accendebant. Eo nunc gratior esse debet, quae subscripto viri eloquentissimi nomine prodiit Orationum collectio. *Sammlung einiger Reden, von C. C Gärtner, Professor der Sittenlehre und der Redekunst an dem Herzogl. Collegio Carolino. Brunsw. im Verlage des Fürstl. Waisenhauses* 1761. plag 8. et dimid. 8 mai.

Orationes numero paucae sunt, sex enimtantum modo complectitur haec collectio, generis panegyrici omnes: sed adeo pulchras, adeo ad politulum illud, quod regnare in aulis Principum solet, iudicium concinnatas, vt facile auctorem agnoscamus magnorum hominum et elegantissimorum vsu perpolitum. Iam qui eas in splendido Principum consessu dixerunt, Iuue-

nes, tales fuerunt, qui natalium ſplendore nouam eloquentiae gratiam conciliarent. Sed age, nomina eorum cum orationum argumentis ponamus.

Primam natalibus ſereniſſimae Ducis Philippinae Charlottae ſcriptam pronuntiauit Wilhelmus Iulius, nobilis a Plotho. *Secundam* in nuptiis Erneſti Friderici Salfeldiae Ducis cum Sophia Antonia Principe Brunouic. dixit Chriſt. Alb. Gunther Liberbaro a Brockenburg *Tertia* rurſus Sereniſſimae natalibus conſecrata fuit a Iohanne Friderico a Lattorff. *Quartam* in Caroli Ducis, fundatoris collegii Carolini, ſacris natalitiis habuit Hans Chriſtian Liberbaro a Schwarzenau. *Quinta* Sereniſſimae Duci diem natalem gratulatus eſt Carolus Ludouicus Comes a Giech. *Sexta* idem officium Carolo Duci praeſtitit Hans Iulius Comes a Schweinitz et Krain, idemque Liberbaro a Kauder.

Ceterum, qui praefatus eſt, librarius ſpem facit edendi non ita multo poſt ſecundi voluminis, quod carmina Gärtneri complectetur.

Berolini ex taberna Georgii Ludou. Winter prodire tandem coepit quod iam dudum promiſſum

miſſum erat, *Spectaculum Naturae et Artium, quatuor linguis, Germanica, Latina, Gallica et Italica.* Prima haec collectio, plagulis 15 formae quartae, tabellas exhibet triginta, deſcriptiones viginti octo. Et illas quidem ſatis affabre caelatas conſpicimus. In aduerſa pagina quatuor areis diſtinguitur totidem linguis facta naturae vel artis explicatio.

In praefatiuncula de tarditate huius opusculi moraque ſe purgat editor, iis praeſertim, qui pretium repraeſentauerant; atque ſi res ex ſententia, quod quidem ſperat, euenerit, ſedulo ſe pollicetur facturum, vt mercatu proximo auctumnali collectio ſecunda proſtet. Praemittetur operi aliquando praefatio amplior, quae rationem eius omnem, vſumque copioſius declaret.

Subiungere liceat in hoc libello, quae menſe proximo acciderunt, mortes virorum quorundam et dignitate et doctrina illuſtrium. Naturae itaque conceſſit

Romae, d. XII. Iul., anno aetatis ſeptuageſimo nono, *Dominicus Paſſionei,* eminentiſſimus aulae Pontificiae purpuratus, idemque litteratorum Mae-

Maecenas summus. Cuius obitu octauus iam in senatu sacro vacat galerus purpureus.

Parisiis, d. III. Iul. *Emanuel a Parthenay.*, anno aetat. nonagesimo octauo. Hic Bossueti Historia vniuersali Latine conuertenda primum inclaruerat.

Francofurti ad Moenum, d IV. IVL. *D. Ioh. Philipp Fresenius*, ordinis sacri Senior meritissimus.

Lipsiae, d. VI. IVL. *D. Christoph Wolle*, disciplinae sanctioris extra ordinem Professor, et ad diui Thomae Archidiaconus.

Londini, circa mensis exitum, *D. Thomas Scherlock*, anno aet. octogesimo. Doctissimus ecclesiae Anglicanae Episcopus, variisque scriptis clarus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extraneis quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluens.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XII.

DIE MARTIS, III. ID. AVGVSTI, clɔ Iɔcclxi.



HAFNIA. III. AVGVSTI.

Die XXVIII. Iulii Rex augustissimus Virum perillustrem Schimmelmannum, Ahrensburgi dominum, Commerciorum praefectum summum * dixit, regiumque in circulo Saxoniae inferioris Administrum.

* Intendant general de commerce.

Quae ex portu Islandiae profecta, nauis quatuordecim dierum cursu litori nostro redux appulsa est, piscatum nuntiauit in istis locis non valde quaestuosum hoc anno euenisse: non quo oris maritimis copiosi illi piscium greges deessent;

sent;

ſent; ſed quod procellae vehementiores ac tempeſtates mare commotum tenerent.

HOLMIA. XXXI. IVLII.

Heri Locka Drottningholmiam reuerterunt Rex et Regina cum celſiſſima gente regia.

Duabus legionibus equitum Hungarorum * nouis praeficiendos Tribunorum dignitate putauerunt regni Sueciae Ordines, Wrangelium Liberumbaronem, regiumque Hamburgi adminiſtrum, et Comitem a Putbus, Tribuni adhuc legatum **.

* Hularenregimenter.

** Oberſtlieutenant.

In exercitu vt aemulatione incendenda virtutis ſtudium alatur, praemia conſtituta ſunt certaque ſtipendia his, quos rebus praeclare fortiterque gerendis eximie et inſigniter meritos fuiſſe conſtiterit.

EX TRACTV ANHALTINO. I. AVG.

Lipſia nunciatur, iuſſos eſſe vrbis incolas, comparare ſibi in menſes tres, quae ad victum pertinent: ſuburbiis etiam, nulla mora interpoſita decedere, quod fieri poſſit, vt incendenda videantur, exercitu imperii adpropinquante.

FRANCOFVRTO AD MOENVM. III. AVG.

Litteris Weſtphalicis d. XXX. Iulii datis cognouimus, Paderbornam ab omnibus Gallorum copiis vacuam eſſe, a Broglioque duce caſtrorum principia Driburgum translata. Ibi quidem exercitus cornu dextrum degit; ſiniſtrum, cui praefectus Eques a Muy, prope Dringenber-

bergam. Priores agminis ordines *, praefecto Closenio, ad Istrupium collocati sunt; impedimenta exercitus maiora ** ad Peckelshemium; manus subsidiaria ***, Lusatiae Comiti parens, ad Niemium. Comes vicarius a Belsunce, Werram superiorem obseruat.

* Avantgarde.

** Das grosse Gepäcke.

*** Die Reserve.

Ex tractu Lipsiensi allatae litterae, aduenisse exercitum imperii et postulasse narrant, vt vrbs sibi traderetur.

EX PRAETORIO FOEDERATORVM BVHRENENSI, III. AVG.

Heri a meridie ex copiis Anglicanis Satellitum desultoriorum * legiones tres, pariterque de magno exercitu nostro cateruae pedestres ** binae ad Granbyi agmen, Meerhofium versus, tendebant ita, vt tentoria sua impedimentaque in castris relinquerent. Eodem paullo post equo vectus, serenissimus Ferdinandus noctem cum illis transegit. Eam noctem totam in armis fuerunt tum illae, quas diximus, tum magni exercitus nostri copiae. Vbi illuxit, etiam prima Spörkii acies Brinkeno Meerhofium tetendit, relictis pari modo tentoriis impedimentisque.

* Dragoner-Garde.

** Brigaden Infanterie.

Vixdum ad Granbyi agmen peruentum erat, cum hostes, qui tum isthic, tum pone Montem

M 2 Mar-

Martis * magno numero obuiam contrauenissent **, vehementer ceperunt nostros tormentis vexare. Neque multo post ab vtroque agmine aduerso scloppetis acta res est. Wangenhemius interea, summi ducis vicarius, cum agmine suo quod visus fuerat Montem Martis ducturus, dextrorsum oppidum praeterit, et hostem partim a tergo adoritur, partim a latere circumvenit. Itaque Galli insigni clade adfecti, perturbatis ordinibus, Warburgum se recipere coguntur.

* Stadtbergen.
** starkaufgedrungen.

RES LITTERARIAE.

Callimachi hymni, epigrammata, et fragmenta, cum notis integris H. Stephani, B. Vulcani, Annae Fabri, Th. Graeuii, R. Bentlei; quibus accedunt Ezechielis Spanhemii Commentarius, et notae nunc primum editae Tiberii Hemsterhusii, et Dauidis Ruhnkenii. Textum ad mss. fidem recensuit, Latine vertit, atque notas suas adiecit Io. Augustus Ernesti Lugd. Batau. apud Sam. et Io. Luchtmanns, academiae typographos. 1761. 8. mai. Tomis duobus, quorum prior uno Alphabeto et 20 plagulis; alter duobus et decem plag. constat.

Nunquam adhuc elegantius, nunquam curis eruditorum emendatius prodiit Callimachus, quam hac editione factum est. Qui enim nostra memoria principatum fere tenere litterarum Grae-

Graecarum putantur, apud Batauos Hemſterhuſius, et Ruhnkenius, in noſtratibus Erneſti, hi ad ornandum pro virili poëtam acceſſerunt. Primae tamen hic partes Erneſtinae ſunt, eaedemque tam illuſtres, vt in nullo auctore Graeco edendo maiorem Vir eruditiſſimus vel diligentiam vel laborem poſuerit.

Puer iam Poëtae huius familiaritatem comparare ſibi coeperat, tum Spanhemii commentario, quem prope ambitioſe laudari vidiſſet, tum hymnorum venuſta ſimplicitate incitatus. Quam cum repetenda ſubinde lectione deinceps coleret, fiebat, quod in omni longiori amicorum conſuetudine ſolet, vt interdum videret aliquid latentis vitii, non quod poëtae ipſius eſſet; ſed quod ei ab aliorum vel negligentia vel mala ſedulitate adſperſum eſſet. Coepit poſt haerere nonnunquam in ſenſibus verborum: nec ſatisfaciebant interpretum reſponſa, omnium minime Spanhemii. Excutiendis omnibus cum ſibi nonnihil profeciſſe viſus eſſet, conſilium cepit edendi Callimachi. Sed illud abiicere tum coëgit duplex editio, Lipſienſis et Britannica. Ante annos aliquot a Luchtmannis, qui de illo conatu eius reſcierant, rogabatur, vt ſuam ipſis operam in renouando Graeuiano exemplo dicaret. Enimuero tum maioribus copiis, maiorique apparatu et cura rem agendam exiſtimauit.

Primum igitur omnium librorum manuſcriptorum opem ſibi aduocandam duxit. Adiit *Florentiae* bibliothecam Mediceam. In qua cum

non comparuisset ille vetus codex, vnde prima editio ducta videbatur, conuertit se ad Ambrosianam *Mediolani*: indeque duorum e saeculo fere vndecimo librorum lectiones retulit. Impetraturum se Venetiis ex bibliotheca S. Marci putabat excerpta codicis, qui princeps in hoc genere ponebatur: sed ea res, incertum qua de caussa, intra promissorum spem stetit. Mox *Romanorum* Vaticana quatuor codicum e saeculo decimo quinto lectiones misit. Hinc a Ruhnkenio V. C. lectiones accepit e codice regio *Parisinae* bibliothecae notatas, item e Vossiano *Leidensi*, nec minus e *Palatino* Salmasii. Praeterque illa codicum excerpta nactus est exemplum Callimachi ex editione Vascosani, item aliud editionis Aldinae.

Post haec cura fuit conferre inter se editiones, praesertim veteres, quae non satis diligenter inspectae ab editoribus, ne a Graeuio quidem, fuerant. Primae igitur editionis, quae Florentina est per Lascarim facta a. 1494 cum visendae facultas non contingeret, lectiones tamen a Graeuiana diuersas accepit Londino. Reliquas editiones excussit ipse, Aldinam, Frobenianam, Parisinam ap. Vascosanum, Stephanianam cet.

His praesidiis librorum scriptorum et editorum instructus contulit se Vir praestantissimus ad formandum textum hymnorum. In quo certe hoc consecutus est, vt ille pluribus locis emendatior, quam in superioribus editionibus nominatim Graeuiana, quae adhuc emendatissima visa erat, prodiret. Supplementa lacunarum

rum non eiecit quidem, sed tamen inclusit vncis. De coniectura textum vix vno et altero loco mutauit, sed in re manifesta, et eruditissimorum virorum consensu. In duobus hymnis aliquoties lectionem vulgatam Ionicae formae mutauit in Doricam: cum boni editoris esse crederet, certam aliquam legem sequi. Superiorum more editorum Epigrammatum Fragmentorumque collectioni prodesse studuit, addendis quae aliorum diligentiam fugissent.

In reliquis praestantissimae huius editionis dotibus eminent interpretatio notaeque Ernestinae. Cum versio hymnorum vulgata multis locis parum accurata, nec satis Latina esset, novam facere, quam veterem et alienam interpolare maluit. In notis primum hoc egit, vt mutati textus Graeuiani rationem redderet, varias lectiones adferret, coniecturas excuteret: post vt obscura et ambigua perspicue explicaret, quaedam etiam in verbis et sententiis illustraret. In quo laudabili et breuitate et modo vsus est, vtpote qui ea hic legenda dare noluerit de verbis et formis loquendi, quae ad quemlibet alium scriptorem dici possent, nec proprie ad textum Callimachium pertinerent. In Fragmentis si qui sint, qui copiosiores notas datas velint, hi cogitent, quanto rectius sit, libris veterum scriptorum integris legendis ingenium ad copiam rerum et verborum aler, et ad elegantiam cogitandi et dicendi acuere ac polire, quam in veterum et rariorum verborum, vt Augustus vocabat, foetoribus eruendis et tractandis ingenium

et tempus vexare. Ad has tamen reliquias tractandas ſic acceſſit,vt quae per obſeruationes, quas in promtu haberet, aut cum ingenium aliquoties ad cogitandum intendiſſet, vel corrigi vel explicari et illuſtrari poſſent, ea non negligeret.

Quod ſupereſt lectoribus noſtris non ingratum fore putamus addi hic a nobis nomina virorum, qui in hac editione iuuanda humaniſſimum Editori officium praeſtiterunt. Ex Italis laus illa debetur *Martino*, bibliothecae Mediceae cuſtodi, *Ioanni Checcotio*, Canonico et Archipresbytero Vicetino, *Barſotto* denique, Collegii ſcholarum piarum in vrbe Roma rectori: in Helvetiis *Breitingero*, et *Beckio*, Baſilienſi Theologo: in Batauis *Hemſterhuſio*, ſed in primis *Ruhnkenio*, Graecarum litter. in Leidenſi acad. Profeſſori, meritiſſimo. Londini vtile ſtudium nauauit Vir reverendus *Henricus Gally*. His gratiam habebunt nobiscum humanitatis et elegantioris doctrinae ſtudioſi.

Sed iidem dolebunt etiam nobiscum iacturam, quam non Georgia Auguſta magis, quam litterae omnes, in primis hae noſtrae, die III. huius menſis fecerunt in Ioanne Matthia Gesnero: tametſi ſenex reliquit vitam, quam virtute et immortalibus meritis ornauerat.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extraneis quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XIII.

DIE VENERIS, XIX. CAL. SEPT. CIↃ IↃCCLXI.

MELITA. XXX. IVNII.

Tametsi malum nobis, hoc certe anno, a Turcis non metuimus: nihil tamen supremus ordinis Magister *, senex octogenarius, praetermittit eorum, quae ad excipiendum, fortiterque propulsandum impetum pertinere iudicat. Omnia nunc instructa iam et ornata habemus. Legionibus sex, quae castra versus occidentem habent, Princeps Heidershemensis praeest, supremi magistri in Germania Vicarius **. Reliquae copiae Simoni, summo militum duci, parent. Classis naues complectitur quadraginta quatuor, in his maiores

N

iores *** tres, triremes **** ſex, actuarias quatuor *, bellicas minores ** item liburnicas *** vnam et triginta. Omnis ora maritima ſuggeſtis tormentorum ****, atque aggeribus munita eſt.

* Groſsmeiſter.
** Groſsprior von Deutſchland.
*** Schiffe von der Linie.
**** Galeeren.
* Galliotea.
** Fregatten.
*** Xebequen.
**** Batterien.

GENVA. XVIIJ. IVLII.

Proxima hebdomade Baſtia reduces hic exſpectantur Senatores noſtri, ſpe omni pacificandae inſulae abiecta. Neque enim ſunt, qui ad pagos * Corſicanos abire, vel vllas negotii cum inſulanis agendi, partes excipere velint. Quod hi laqueo interimunt, nulla mora interpoſita, quemcunque eo ad ſe conſilio miſſum ſuſpicantur. Duas naues bellicas minores recens conſtructas tricenis tormentis in naues noſtras armauerunt.

* Pieven.

Quae cum ita ſint, de tradenda Philippo regio Hiſpaniae filio, inſula ſerio deliberant Senatores, ſatius eſſe rati decedere regno, ſi obtineri

neri tractus possit territorio nostro adiacens, quam persequendo iure opes atque copias ancipiti fortunae permittere.

VINDOBONA. XXVII. IVL.

Qui, quo in statu sint res Silesiacae, paullo attentius considerauerit, vix sibi fore persuaserit, vt aula nostra inducias ineat. Ad iustum res praelium, pugnamque decretoriam spectare videtur, neque alia ratione confectum et compositum iri bellum, et genere ipso et magnitudine longe eorum, quae hoc seculo gesta sunt, grauissimum.

PRAGA. I. AVGVSTI.

Certissimis auctoribus accepimus, magnam exercitus Russici partem in Silesiam peruenisse, ipsaque castrorum principia Oppaliae* constituta esse. Laudonus, summus rei tormentariae praefectus, cum legionibus nonnullis dimisit comitem a Draskowitz, supremi castrorum praefecti vicarium **, qui agmen Bethlemium augeret, eiusque ipse imperium gereret.

* Oppeln.

** Generalfeldmarschallieutenant.

Contuendi hic facultatem habent, qui eiusmodi specie delectantur, leonis, et formae dignitate magnitudineque, et mansueta praeter morem natura valde commemorabilis. Matronarum leonem, propter mite ingenium, de-

minus vocat. Vindobonae, vnde huc adducebatur, dignam iudicarunt beluam, quam contemplarentur Augustissimi, cum gente imperatoria.

EX SILESIA INFERIORE. V. AVGVSTI.

Russi cum aliquot abhinc diebus agmen copiarum traiicere Viadrum vellent, in suggestum tormentorum Prussicum, cuius suspiciones nullas haberent, incidebant. Mittebantur tamdiu e tormentis fulmina, dum Russi retrocederent. Fragores procul auditi coniecturas mouerunt varias. Fuerunt, qui vel commissos exercitus hostiles putarent; vel Ferdinandi reportatam a Gallis victoriam celebrari. Sed haec militaris congratulatio iam facta erat d. XXIV. Iulii. Neque adhuc praelio congressae sunt copiae: necdum conuenisse inter duces *Butturlinum* et *Laudonum* perhibent, vter eorum in aduersos hostes prior faciat impetum.

LIPSIA. III. AVGVSTI.

Sedulo hic instruere pergimus quaecunque requirere videtur defensio contra hostem paranda. Mensis elapsi die XXVIII. ad centena vehicula sudes* conducebant. Ex eo vrbis portae vespere hora nona clauduntur, emittunturque stationes excubitorum priores **. Suburbiorum incolis indictum nuper fuit, sibi rebusque suis prospicerent, si forte praesidii praefecto *** incendendi necessitas imponeretur. Ci-

vibus

vibus conquirenda sunt cibaria in mensis tres. Cohors quaedam nulli legioni adscripta, vt suburbia tueatur, vrbis portas tenet. Magistratui nostro demandatum est, vt curam gerat praesidii militaris, eaque de caussa Plissae castellum **** frumento refertum praestet.

* Pallisaden.

** Piquets.

*** Commendant.

**** die Pleissenburg.

DESSAVIA. VII. AVGVSTI.

Henricus Prussiae Princeps delectam militum manum dimisit, quae imperii exercitum a lateribus circumueniat. Qua re fit, vt progredi vlterius nequeat. Lipsia nihilo minus strenuam meditatur defensionem, si accidat, vt vrbis deditio postuletur.

HANNOVERA. XI. AVGVSTI.

Ex clade illa, qua die quinto huius mensis a Granbyano agmine adfectum fuit Gallicum, fructus ad nostros eo ampliores redundant, quod hostes trans Dimalam * repulsi fuerunt.

* die Diemel.

ALTONA. XIV. AVGVSTI.

Vratislauiensium litterae die quinto datae recte omnes perlatae sunt. Quo ipso confutatur rumor, qui vrbem a Russis cinctam sparserat.

RES LITTERARIAE.

Eduardi Youngii meditationes nocturnas nemo fere erit magnorum, quae fert Britannia, ingeniorum cultor, quin norit, quin cupide legerit et relegerit. Ea est tum argumenti gravitas, tum elocutionis vis atque dulcedo, vt nihil possit illis noctibus luculentius, nihil suauius cogitari. Decem iam anni sunt, cum praestantissimum carmen illud Germanice conuertit sermone soluto, sed ad ligati suauitatem proxime accedente, *Io. Arnoldus Ebert*, Vir celeb. Carolini Brunouicensis Professor. Tertiae editionis ante quinquennium factae cum diuendita exempla essent, noua nunc comparuit superioribus emendatior iterum, multoque splendidior. Verba hic ipsius auctoris legimus, quibus e regione addita est interpretatio illa, et subiunctus commentarius amplissimus.

Dr. Eduard Young's Klagen, oder Nachtgedanken über Leben, Tod, und Unsterblichkeit. In neun Nächten. Sunt lacrimae rerum, et mentem mortalia tangunt. Virg. Nebst desselben sieben characteristischen Satiren auf die Ruhmbegierde, die allgemeine Leidenschaft. Aus dem Englischen ins Deutsche übersetzt, durchgehends mit kritischen und erläuternden Anmerkungen begleitet, und mit dem nach der lezten englischen Ausgabe abgedruckten Originale herausgegeben von I. A. Ebert, Prof. Erster Band. Braunschweig 1760. 8. mai. Alphab. I. plag. 5. Cum nouem sint noctes

Youn-

Youngianae: earum quatuor complectitur volumen hoc primum.

Noſtrorum hominum haud facile quisquam reperietur, qui vel Ebertum linguae Anglicanae ſtudio et ſcientia ſuperet, vel vernaculae noſtrae vim et elegantiam ad reddendam preſſi carminis et paullo abſtruſioris virtutem felicius transferat. Itaque huic interpretationi contingit, quod in plerisque contra fieri ſolet, vt vehementius etiam probetur lectori, qui auctorem ipſum intelligat loquentem.

Sed ad commendandum opus nihil accommodatius erat adnotationibus cuiusmodi hic additas videmus. In medium profert doctiſſimus Interpres partim veterum et recentiorum loca, quae ante oculos habuiſſe, atque adeo imitatus fuiſſe putetur Youngius: partim ſimilia aliorum cogitata, quibus hi Youngium imitati videantur. Nonnunquam auctoris ſententiam paullo planius effert, et ex aliis ipſius locis confirmat et ornat. Sunt etiam obſeruationes, quae vel linguae Britannorum verbum aliquod aut formulam explicent, vel ritum gentis et conſuetudinem, cuius ignoratione haerere ſaepiſſime noſtri in legendis Anglis ſolent, accuratius tradant.

Denique editionem nouam noua inſcriptione dica-

dicatam voluit Viro summe venerabili Iohanni Frid. Wilhelmo Ierusalem, Youngianae virtutis aemulo.

Vix de Brunouicensi prelo exierat illa Eberti interpretatio, cum ecce aliam luci publicae exposuit vicina Hannouera, specie et nitore valde similem: quae pariter contextum Youngii praefert, sed hexametris vernaculis redditum, nullo commentario addito. *D. Edouard Youngs Klagen oder Nachtgedanken über Tod, Leben und Unsterblichkeit. Englisch und Deutsch. Hannover* 1760, 1761. Duobus illa voluminibus 8. mai. constat. Prius sex noctes complexum totidem, quot Brunovicensis pars prima plagulas habet: alterum, quo reliquae tres continentur. Alphab. I. et 8. plagulis absoluitur. Nomen suum ignorari voluit interpres, reliquo officio ita perfunctus, vt debebat is, cui cum Eberto contentionis esset certamen.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XIV.

DIE MARTIS, XV. CAL. SEPT. CIↃ IↃCCLXI.



LONDINO. IV. AVGVSTI.

Heri vesperi ad societatem mercatoriam Indiae orientis venit terrestri itinere missus a Praeside et Senatu Bombayensi nuntius. Mihiense castellum, et quidquid orae Malabaricae eo pertinet, facta deditione d. X. Februarii in arbitrium ac potestatem Anglorum venisse.

Georgius Anson, ex Angliae optimatibus *, in summo rei naualis ** senatu primus a negotiis commissis, Magnaeque britanniae propraetor naualis ***, ad altiorem nuper dignitatis gra-

gradum euectus est. Dixit eum Rex Praetorem ****, et supremum omnis rei maritimae praefectum *****.

* Lord.

** erster Lord-Commissarius der Admiralität.

*** Vice-Admiral.

**** Admiral.

***** Oberbefehlshaber der ganzen Englischen Marine.

Aularum nostrae et Gallicae deliberationes quemadmodum ceciderint et quo loco sint, tamets nondum compertum est: illud tamen in aprico est, aulam nostram magni momenti res meditari gerendas. Eoque minus dubium fuerit, traiectum iri in Germaniam decies mille milites, quibus confirmandae videbantur copiae Anglicanae; quod vasa sua sarcinasque in naues iam imposuerunt plurimi militum praefecti.

In portu Spithead parata copia est nauium vectoriarum *, quae Alcidae, nauis bellicae, praesidio, simul ac ventum idoneum nactae erunt, Eboracum nouum ** petent. Transuehentur illis nauibus copiae, duce Amherstio, in Floridam et Louisianam incursionem facturae.

* Transportschiffe.

** Neu-Yorck.

Plimutho pergunt ad Bellam Insulam cursum dirigere naues, frumento et animalibus viuis onustae. Ibi quas habemus copiae et vigent, et valent. Ex

Ex nostro in Germania exercitu mors nuntiatur Blackii, sacerdotis castrensis et aulici. Et ea quidem iactura dupliciter adficimur. Primum singularem Vir eruditionem cum pari vitae sanctimonia, morumque suauitate coniunxerat. Alia praeterea dos erat, non illa quidem per ecclesiae Anglicanae liturgiam magnopere necessaria, quod scriptorum ludo * cum paucis inter nostros excelleret. Delectabatur hominis consuetudine Galliae regis in aula nostra quondam legatus, Marchio a Mirepoix ita, vt saepiuscule ad ludendum inuitaret. Huius quoque commendatione effectum fuisse dicunt, vt in sacerdotes aulicos referretur.

* Schachspiel.

EX SILESIA INFERIORE.
IX. AVGVSTI.

Funestus Lignitio fuit dies huius mensis sextus diro incendio, quod inde ab hora matutina tertia ad octauam amplius centenas aedes in cineres conuertit.

DRESDA. IV. AVGVSTI.

Aduersorum in hoc tractu exercituum idem adhuc status permanet. Equites in campis tendunt *. Copiae imperatoriae regiae meditationes certaminum grauiorum ** semel iterumque obierunt, inspectantibus Daunio, ceterisque militum ducibus. Legionum nonnullae

tormentis sclopetisque varia exercitationum genera perſecutae ſunt ***.

* cantonniren.

** groſſe Manoeuvres.

*** manoeuvriren.

In caſtris Henrici, Pruſſorum Principis, militari more celebrata fuit illa ad Lupiam victoria *.

* Victorie ſchieſſen.

Increbeſcit rumor, qui pertulerat, ex eiusdem copiis agmen ad duodecim millia militum Albim primo quoque tempore tranſiturum. In Sileſiam illud perrecturum narrant, eoque conſilio quinquaginta pontones illos ad Strehlam deorſum tranſuectos eſſe.

Strenue vrgent opus qui in reparandis ornandisque palatii aedificiis verſantur. Sed Regis apud nos futura hieme videndi pertenuis ſpes eſt, vel nulla potius, poſtquam de veſtiario regio *, quaecunque ad hibernum cultum pertinent, cum reliqua eius generis ſupellectili Warſouiam translatum iri accepimus.

* Garderobbe.

Nondum ceſſat interdictum illud, quo in ſuburbiis moliri aedificationem vetamur.

MAGDEBVRGO. XV. AVGVSTI.

Ex Silesia accepimus numerosum illud agmen Russicum, quod prope Vratislauiam constiterat, die sexto huius mensis coepisse, septem aggeribus opugnare vrbem *, et ex tormentis globos lapideos iacere **; id cum maxime fieret, Tauenzienium, summi ducis vicarium, cum cohortibus septem vrbe egressum, gradu hostes locoque depulisse ***. Clades Russorum et iactura non exigua fuit. Nostrorum militum non nisi septem desiderati. Die nono magnus hostium exercitus ad Trebnitium in accliuibus locis consistere visus est; die decimo haud procul Volauia fuit Czernichevii agmen.

* von Batterien beschiessen.

** Haubitzgranaten werfen.

*** delogiren

HANNOVERA. XIV. AVGVSTI.

Exercitus foederatus per dies tres continuos magna itinera confecit. Die mensis duodecimo Detmoldiam peruenerat, vbi castrorum initia nunc habet Ferdinandus. Spörkenius Lemgouiae iam erat cum agmine suo nudius tertius. Haud ita pridem ad vicum Willebaden-Essen Broglius haerebat. Itaque nostri multum antecesserunt hostem: qua quidem re et Hamela et omnis ad Visurgim regio satis tecta videtur.

RES LITTERARIAE.

Ioannes Bapt. Ioseph. Villart de Grecourt, lucem adspexerat Turonii * circiter annum 1683. A teneris sacro ordini destinatus beneficium canonicum **, quod dicunt, iuuenis obtinuit. Cum ad tempus conciones sacros non sine laude habuisset, displicere illud vitae genus coepit. Itaque Lutetiam Parisiorum excurrere frequentius instituit, ibique deliciis frui, quas parere hominum politiorum coetus et celebrationes solent. Ingenium liberale et hilare, viuida vis imaginandi, natiua quaedam festiuitas, facillime ei studia hominum amoresque conciliabant. Latinis litteris satis excultus cum Romanorum praestantissimo quoque quandam veluti familiaritatem contraxerat. Scriptores gentis suae vernaculos non legebat magnopere, praeter Rabelesium, Marotum et Fontanum, quos memoria tenebat totos. Libertatis tantus amor erat, vt nulla se lege perpetua seueraque, neque in vitae neque in studiorum ratione adstringi pateretur. Viuere desiit Turonii d. II. Apr. a. 1743.

* Tours.

** ein Canonicat.

Poëtarum nostrae aetatis nemo fere carmina sua tot editionibus repetita vidit, quot Grecurtus. Sed lucri studium fecit, vt multa paullatim, quae Grecurti non essent, adderentur,

non-

nonnulla etiam deformarentur. Exſpectabatur exemplum diligentius adornatum; quo conſilio contendenda erant ſuperiora, conſulendi qui cum auctore familiarius vixiſſent eius generis exiſtimatores. Atque huic diligentiae debetur noua haec, quae prodiit editio. *Oeuvres diverſes de Grecourt; nouvelle edition, ſoigneuſement corrigee, et augmentee d'un grand nombre de pieces qui n'avoient jamais été imprimées, A Luxembourg*, 1761. *in* 12. 4. *Vol.*

Volumine primo Epiſtolas legimus et Fabellas. Et illae quidem maximam partem vel vitam pingunt ſenſumque auctoris, vel hominum quorundam illuſtrium, quibus inſcribuntur, honori dicatae ſunt. In Fabellis ſunt, vbi vtile dulci mixtum compareat. In primis placet illa, quam Solitarium et Fortunam inſcripſit. Quae ab Hagedornio noſtro elegantiſſime reddita in huius operum parte ſecunda legitur.

Volumen ſecundum narrationes et cantiunculas complectitur. In illo narrandi genere regnare videtur Grecurtus: tanta eſt varietas rerum et ſuauitas. In elocutione tamen et verſibus ſtruendis negligentior nonnullis viſus eſt: deinde etiam laſciuior aliquanto, quam ferant honeſtae voluptatis amatores. Pulcherrimae narrationis exemplum eſt quod inſcribitur Linaria Ioannis XXIII. ab Hagedornio pariter conuerſum *. Ad cantiunculas quod attinet, pluri-

plurimae turpiculae ſane ſunt, et crapuloſae libidini, quam humanis deliciis aptiores.

* der Hänfling des Pabſtes Iohannes des XXIII.

Tertio volumine comparent Epigrammata, carmina Madrigalica, vt conſuetudo recentiorum vocat: in his optima videntur, quae a Voltario profecta aliunde ſcimus. Sequuntur carmina mixti generis: poſt neſcio quid Dramatis comici, cuius inſcriptio eſt les Rillons-Rilletes: hinc Philotani nomine carmen ſatiricum, et huius veluti adpendix Bibliotheca damnatorum: denique noua quaedam, neque ante hac euulgata.

Quae in volumen quartum reiecta ſunt, eorum nihil eſt Grecurti. Carmina ſunt non vnius generis, praeſtantiſſima, ſi a paucis diſceſſeris, et variis auctoribus debita, Henaldo, Mangenoto, Montcrifio, Bernardo, Arnaldo, Voltario, St. Lamberto, aliis.

Gloriae Grecurtianae rectius conſultum fuiſſet ab editore, ſi praetermiſiſſet ea, quae non tam ingenium artemque Poëtae, quam corruptum viuendi licentia iudicium poſteritati notum facient.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XV.

DIE VENERIS, XII. CAL. SEPT. cIↃ IↃCCLXI.



VINDOBONA. V. AVGVSTI.

Hebdomade proxime futura iter Augustanum inituri putantur, qui nomine imperatorio regio cum auctoritate Legati mittentur. Ad perficienda vasa conuiualia *, quibus valde pretiosis vtentur, quam diligentissime incumbunt fabri apud nos argentarii.

* Tafelservice.

ERLANGIO. XIV. AVGVSTI.

In Franconiae circulo suppeditandorum Gallis pabulorum designatio * agitatur. Per quas

regiones diſpertitae hac aeſtate fuerunt Gallorum copiae, quaeque adhuc legionibus aliquot Saxonum equeſtribus alimenta praebent, his ex circuli ordinum decreto, damnum illud praeſtabitur. Quae enim praecipue et extra modum impendia fecerunt, ea reſarcient tractus reliqui nulla copiarum manſione vexati. Neque minus quidquid ex pabulis ſuperat, ſibi ſeruabunt. Sed qui Gallorum a commiſſis ſunt **, hoc omne, tamquam ex ſtipulatione ſuum, vindicant, vtque in horrea ad Moenum Gallica transportetur, poſtulant.

* Eintheilung der Fouragelieferung.

** das Franzöſiſche Commiſſariat.

DRESDA. V. AVGVSTI.

Quo tempore praeter morem quietus eſſe, ac paene otioſus videtur exercitus vterque, imperatorius regius, et *Pruſſicus*, negotium inſiſtit ſuum communis Germaniae exercitus. Qui ſtationes militum principes * ad Mitweydam vsque et Geringswaldiam nuper promouerat. Quarum ſtatum exploraturus Kleiſtius, Pruſſorum tribunus, cum militibus mille octingentis ad Rochlitium proceſſit. Inde d. XXIX. Iul. Döbelium iam reuerterat.

EX SVECORVM PRAETORIO REHBERGENSI IX. AVG.

Pruſſi, iacturam, quam die V. huius menſis prope

prope Bartovium fecerant, vlturi, poftridie mane in illas ad Röpenacum itineris anguftias *, quas ab exigua manu teneri crederent, impetum fecerunt acerrimum.

* Pafs.

Ad dextram anguftiarum cum legione Weftermannica confiftebat Wrangelius, Tribuni legatus, collocato prope pontem tormento, et ad finiftram milite excubitore *.

* ein Piket.

Ita confiftentes noftros hoftis adoritur Bellingius, cum leuis armaturae equitibus fuis, cum peditibus nonnullis, et quinque difpofitis in fronte tormentis. Reliquum interea peditatum ab vtraque parte angufte proçedere * iubet a lateribus nos circumuenturum.

* defiliren.

Wrangelii prima cautio eft, ne a tergo teneatur. Itaque cogere fuos incipit, et quadrato agmine aliquot centenos paffus, feruato ordine, retrocedit.

Hic opportune noftris auxilio venit Heffenfteinius comes, legionem Oftrogothicam adducens. Ipfe, fequente primo granata ignifera iaculantium manipulo, per Weftermannos, qui

ordines paullulum laxant, transit, atque fusis in hostem glandibus, Wrangelio explicandae primae aciei * facultatem praebet.

* en Fronte deployren.

Quo facto, hostis ex omni parte cedere incipit: cumque praeterea Dalecarliae legio, itemque cohors non legionaria, eum a latere circumuenisset, quam citissime potest, se recipit. Nos viarum angustias rursus occupauimus.

MAGDEBVRGO. XIII. AVGVSTI.

Heri tristi nuntio accepimus, Albertum Henricum, Principem Brunsuicensem ex vulnere d. XX. Iulii, cum hostium prope Werlam stationem quam fortissime vrgeret, accepto, die nono Augusti Hammonae diem obiisse. Aula propter illum *casum in quatuor hebdomadas lugubria sumet.*

EX PRAETORIO FERDINANDI PROPE REILSKIRCHEN. XVI. AVG.

Blombergo huc translata sunt castrorum initia. Non leui coniectura ducimur, vt instare praelium putemus. Exercitus noster praeclare se habet. Princeps Brunsuicensis Hardenhusii ad tertium a Warburgo lapidem cum agmine constitit: Kielmanseggius, militum dux, cum desultoriis equitibus * Bockii, et legionibus pede-

destribus quinque, in tractu Monasteriensi. Quam ad vrbem ita approquinquat Sobisius, vt obsidione eam cingere velle videatur. Lucknerus consilia Belsuncii vt irrita fierent effecit. Ad ripam Visurgis citeriorem omnia ab hoste vacant. Hic, cum nobis, Vslariam versus, satis fortiter restitisset, repulsus fuit, relictis, quos captiuos abduximus, triginta militum praefectis, et sexcentis gregariis. In illis erat Iennertus, legatus legionis **, quae tantum non omnis deleta est. Qua nos occasione vexilla cepimus tria. Quod si viarum angustias tempore occupare venatores nostri militares potuissent: futurum videbatur, vt vniuersum Belsuncii agmen interciperetur. Lucknerus dehinc Huxariam *** tetendit, hoc consilio, vt et pontem ibi hostium, et officinam pistoriam destruat.

* Dragoner.

** Brigadier.

*** Höxter.

RES LITTERARIAE.

Cum Homerum commendabamus libello II, Graecarum litterarum studiosis, nondum allata nobis erat quae Turici nuper hoc indice prodiit, *Noua clauis Homerica: cuius ope aditus ad intelli-*

gendos sine interprete Iliadis libros omnibus recluditur. Interspersae sunt selectae clariss. virorum Camerarii, Clarkii, Ernesti, cet. annotationes et scholia. Opera Ioannis Schaufelbergeri, publici in schola Turic. Paedagogi. Praefatus est Io. Iacob. Breitingerus, Prof. philolog. s. publ. et Canon. Turic. plag. 20. 8. mai.

Ipsa illa Homeri editio Ernestina occasionem dedit Schaufelbergero conficiendae clauis Homericae. Cum enim lectores illa requirat, qui sermonem Graecum iam satis calleant, quod pleraeque notae in prosodia, arte critica, ceterisque eiusmodi versentur: adornandum videbatur interpretandi subsidium, quod etiam iis, qui mediocriter litteras Graecas intelligerent, esset accommodatum.

Itaque primo singularum prope vocum analysin instituit, earumque vim ac potestatem ostendit. Deinde, quae ex antiquitatibus Graecorum illustrari debebant, in medium attulit. Cumque nonnullis s. codicis locis lux aliqua adfundi ex auctoribus profanis possit: huius rei etiam periculum aliquod in Homero faciendum putauit, Geo. Raphelii, Lamb. Bosii, aliorumque exempla secutus. Neque minus praestantissimorum Homeri interpretum animaduersiones, quoties ad explicandam artis poët. rationem facerent, in consilium adhibuit. Scholiis etiam

in

in Homerum vſus eſt iis, quae ſtudio Ioſuae Barneſii Cantabrigiae edita ſunt a. 1711.

Hanc primam operis partem, quae libros Iliadis quatuor priores complectitur, lectoribus offerre Auctor tanquam laboris ſpecimen voluit. Quam ſi beneuolo et aequo animo acceperint, mox ſecundam, et reliquas deinceps promittit ſecuturas. Finem denique labori imponet indice, in quo nomina deorum, heroum, populorum, locorum, quorum in Homero mentio fit, explicabuntur.

Breitingeri, Viri cel. praefatio conſilium diuinum in conſeruandis tot antiquae Graeciae monumentis perſequitur, ipſiusque linguae praeſtantiam praedicat, quae tanta ſit, vt prae Romana communis eruditorum lingua fuiſſet conſtituta, niſi religioſa quaedam ſuperſtitio hanc prae illa in publicum eccleſiae occidentalis vſum conſecraſſet. Deinde auctoritate ac teſtimoniis probat doctiſſimorum virorum, magna ineſſe in litteris Graecis, et in vniuerſa poëſi praeſidia, tum ad caeleſtem doctrinam explicandam, tum ad reliquum orbem liberalis cultiorisque diſciplinae fulciendum et ſuſtentandum. Denique laborem hunc commendat Schaufenbergeri, qui auctore et ſuffragatore Breitingero ad clauem eiusmodi parandam acceſſerit, quae non ieiunum et proletarium indicem, qualis

eſſet

esset illa clauis in Homerum Schreueliana, sed commentarium vtilissimum praestet.

Est nobis ad manus clauis Homerica, opus primum in Anglia concinnatum, cet. quae Roterodami a. 1655. 8. min. sine auctoris nomine prodiit. Illius libri exemplum a. 1673. editum in auxilium a se vocatum profitetur Turicinus noster.

Lutetia Parisiorum refertur, nouam propèdiem a Voltario curatum iri Operum Petri Cornelii (Corneille) editionem, obseruationibus caelatisque tabellis ornatam: repraesentari ab emtoribus pecuniam in sumtus, atque ab ipso Rege suppeditatum esse ducentorum exemplorum pretium. Ex splendida editione quod lucri futurum sit, hoc omne ad *Corneliam* virginem, summi poëte proneptem, rediturum, cuius educandae curam Voltarius susceperit.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini; praestantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XVI.

DIE MARTIS, VIII. CAL. SEPT. CIↃ IↃCCLXI.



LIBVRNO. I. AVGVSTI.

Constantinopoli grauissimam erupisse seditionem, multumque per eam sanguinis effusum esse, accepimus. Quibus illa caussis coorta sit, nondum constat. Illud scimus, in consilio magni Imperatoris supremo * iam ex aliquo tempore discordias factionesque gliscere coepisse.

* Divan.

COLONIA ALLOBROGVM. V. AVG.*

Aduenit huc per dies hosce Dux Villarii, Prouinciae praeses**, Tronchini, celeberrimi apud nos medici, consiliis et opera ad confirmandam

valetudinem vſurus. Illi Voltarius arcem ſuam, Delicias dictam, conceſſit habitandam. Die huius menſis octauo exſpectatur illuſtriſſ. ab Etrées, ſupremus caſtrorum praefectus, cum Duce ab Uſèz, eadem de cauſſa huc venturi.

* Genf.

** Gouverneur von Provence.

LONDINO. XI. AVG.

Multum in aula verſatur Buſſyus Galliae Legatus, eiusque dignitati diligenter conſulitur. Crebra idem conſilia agitat cum Pittio, et reliquis adminiſtris regiis. Litterarum, quas de pacis negotio ab aula ſua nuper miſſas accepit, tametſi argumenta ipſa ignoramus, illud tamen confirmatur, non ingrata viſa fuiſſe aulae noſtrae: nihilo minus eſſe in illis, quae immutata magnopere velimus.

Quae miſſus a Stanleio curſor heri attulit, non exigui momenti fuiſſe, indicio eſt, quod ſimul ac relatum de illis ad Regem eſſet, aduocatum fuit conſilium maius, quaeſitumque, nouae conditiones a Gallis latae accipiendaene viderentur, an minus?

Reuocatae a nauigatione dicuntur legiones, quae in Germaniam traiicere parabant. Eo profecturos volunt de nuper conſcriptis, quot opus ſit ad redintegrandas copias praelio Filinghuſano diminutas.

Interea proſpero ſucceſſu noua peditum legio ſcribitur Voluntariorum Reginae nomine ornanda.

nanda. Mille homines erunt. Eorum iam maxima pars lecta est.

Neque minus nautici, quo fieri potest, studio coguntur *. Quorum, ex quo mandata agi coepta sunt, decem millia conquisita dicuntur. Quibus alterum tantum adiectum iri perhibent.

* Matrosen pressen.

EX LITTERIS BEROLINENSIBVS. XX. AVG.

Heri, cum abierat cursus publicus, circa meridiem, nuntiauit extra ordinem celer *, die huius mensis decimo quinto haud procul Lignitio iusto praelio caesum fuisse a Rege nostro Laudoni exercitum, eique iunctum Fermori agmen: Glogauiae retineri per excursiones hostiles eius victoriae nuntios: exinde sine vlla mora Regem iter habuisse ad magnum Russorum exercitum: Ziethenio partes dedisse persequendorum Austriacorum.

* Stafette.

Hac nocte cursor aderat militum praefectus, qui hodie prima luce iter inceptum perrexit. Haud dubiam esse confirmabat Austriacorum cladem. Magdeburgum properabat. Inde igitur exspectanda erunt reliqua.

MAGDEBVRGO. XXII. AVG.

Russorum exercitus, die XII huius mensis prope Leobusium * Viadro traiecto, Parchwitium inter et Lignitium castra posuerat. Exinde

Lignitio aeque ac Glogauia litteris d. XVII datis relatum primo, mox aliis poſtridie eius diei ſcriptis confirmatum legimus, Regem die XV. praeclaram ab Auſtriacis Ruſſisque victoriam reportaſſe. Huius ratio omnis enarrabitur, ſimul ac communicandi cum exercitu regio data rurſus facultas fuerit.

* Leubus.

Bellingius, militum tribunus, detrimenta inferre Suecis nunquam intermittit. Agmen Heſſenſteinii prope Cölpinum iterum adortus equitatum cecidit hoſtilem, compluresque abduxit captiuos.

Die XII. praeſidiariorum Sedinenſium manus illa prope Neuwarpum ſcapham * Suecorum, cum exſcenſionem *parabant milites*, cepit.

* Chaloupe.

EX LITTERIS SILESIACIS. XXII. AVG.

Vratislauiae a Ruſſorum tormentis, quibus per horas ſex verberata vrbs fuit, haud leue damnum illatum dicitur, in primis templo canonicorum*. Dimittere oppugnationem coacti Leobuſium Ruſſi diſcedebant duce Czerniſchevio (cuius agmen vicies mille capitum cenſetur): cumque eorum magnus exercitus, qui inter Leobuſium Vratislauiamque conſiſtebat, agmen Knoblauchii Pruſſicum facile cohibuiſſet; Viadro Czerniſchevius nullo negotio traiecto

prope

prope Parchwitium fubftitit. Inde ad Lignitium progreffus cum Auftriacis, Draskovitio et Bethlemo fe coniuncturus erat.

* der Dom.

Perfpecto eius confilio, Rex Cantio Lignitium celeri itinere proficifcitur. Ad Nicolftadium die huius menfis XV. agmen Auftriacum (duodecim millia militum erant, et horum maxima pars equites) inuadit, ac diffipat. Auftriacorum grauiffima clades fuit, equitum praecipue, et granata ignifera iaculantium. Quo facto Rex copias fuas prope Walftadium collocauit. Rufforum exercitus a Knoblauchio; Laudoni, prope Iaurauium*, a Ziethenio feruatur.

* Iauer.

In tractu quidem Parchwicenfi nihil geftum perhibetur, praeter quam quod tormenta a Ruffis Pruffisque excuffa fuerunt. Iam ex eo tota res pendebit, quousque exercitus aduerfi locum fuum ftatumque tueri poterunt*. Ruffi populationem late faciunt. Auftriacorum agminum praecipue laudatur Beckii, quod accuratae difciplinae pareat ** eo vsque, vt Rufforum leuiter armatos populatione prohibeat.

* *fich in ihrer Pofition erhalten.*

** gute Mannszucht halten.

RES

RES LITTERARIAE.

Polybium, fummum ex Graecis prudentiae militaris magiftrum, noftra memoria celeberrimum reddiderunt praeclari illi et ampliffimi commentarii, quibus eum illuftrauit, et ad vfum hodiernum transtulit Folardus, Eques. Diffufi operis quae prodierat epitome, opere ipfo praeftantior, noua nunc editione eiusmodi et ornatum et fplendorem accepit, vt nihil in hoc genere cogitari excellentius queat.

Efprit du Chevalier Folard, tiré de fes Commentaires fur l' Hiftoire de Polybe, par main de Maître. Ouvrage utile aux Officiers: nouvelle edition, corrigée et plus ample d'un tiers que toutes celles qui ont paru jusqu'à prefent, avec vingt quatre plans ou figures neceffaires pour l'intelligence de cet abregé. A Berlin chez Chretien Frederic Vofs, et fe trouve à Lyon chez Jean Marie Bruyfet, Imprimeur Libraire. 1761.

Nec noftrae tenuitatis eft, ornare commendatione epitomen illam, neque omnino neceffe eft; cum longe lateque diffufa eius laus fit. Quae fi minus celebrata foret, fufficeret nominare Auctorem, fummique manum Artificis venerari, vt, quo loco haberi opus debeat, adpareret. Equis enim de re militari rectius, quis prudentius fcripferit, quam Rex et ingenio, et rerum bellicarum vfu maximus?

Quae

Quae adhuc plurimis locis factae editiones fuerant, ex mancis omnes erant et inchoatis exemplis ductae, variis etiam praeterea mendis obsitae. Noua haec iussu Auctoris, et tanquam in ipsius conspectu adornata, qua fieri potest, cura et diligentia perfecta est, multis etiam capitibus nouis, iisque grauissimis aucta: v. g. de receptu ex clade honorifico; de impressionibus in castra faciendis, oppugnandique cautione; de adhibenda itinerum diligentia, prouisioneque in praeliis, siue plano loco, siue angusto et montoso, adiunctis instruendae aciei modis; de lacessendo interpellandoque exercitu obsessore; de cautione in statiuis adhibenda, cet.

Additae praeterea caelatis tabellis sunt nouae sex. Nullum denique elegantiae typographicae genus praetermissum videtur.

The History of the Theatres of London and Dublin, from the Year 1730, *to the present time* etc. *By Mr. Victor, late one of the managers of the Theatre-Royal of Dublin. London for Davies.* 1761. 2 Vol. in 12.

Historiam hic theatrorum tum regii Dublinensis, tum Londinensium enarrat Victor, actor ipse fabularum, reique scenicae praefectus, quaeque apud Anglos et Hibernos per annos triginta ludorum ratio fuerit, satis diligenter exponit. Adiunxit indicem fabularum omnium

in ſcenis Londinenſibus inde ab a. 1712 actarum, quem multis etiam adnotationibus et obſeruationibus illuſtrauit. Aptiſſimus ſane liber eſt ad eorum, qui ludis ſcenicis ducuntur, delectationem. Nouerat ipſe et diligentius perſpexerat qui hoc ſaeculo inter Anglos agendis fabulis inclaruerunt. Multa de illis ſingularia refert, neque ante hac edita eiusmodi, quae retinere lectoris ſtudium poſſint.

Gli Scrittori d'Italia etc. hoc eſt, Scriptores Itali cet. Auctore Mazzuchello, comite. Brixiae, apud Boſſinum. IV. volum. in fol.

Perſequitur vaſto opere illuſtris auctor vitas eorum, qui inter Italos ſcribendis varii generis libris nomen famamque conſecuti ſunt: eorum que ſcripta ipſa obſeruationibus hiſtoricis et criticis illuſtrat. Volumina iam erant tria. Quod nuper acceſſit quartum, neque inquirendi ſtudio, neque explicandi ſollertia illis cedit. Eandem hic diligentiam animaduertent lectores, eandem in diiudicandis libris ſagacitatem et elegantiam. Quintum volumen parat eruditiſſimus editor. Quod ſi reſponderit ſuperioribus, dubium nullum eſt, quin inſigni ſibi beneficio deuincturus ſit litterarum cultores.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XVII.

DIE VENERIS, V. CAL. SEPT. CIƆ IƆCCLXI.



ROMA. I. AVG.

Nouissimo cursui publico tradita fuit Pontificis epistola*, quae adsciscі in quamlibet Germaniae ecclesiam posse declarat Clementem, regium Saxoniae Principem.

* Breve.

VINDOBONA. XII. AVG.

Ex diebus aliquot ad Diui Stephani iterum in supplicationem sacramque pompam processum fuit*. Rei sacrae heri a meridie interarant Imperatrix Regina, et celsissimarum Archiducum nonnullae.

* eine Procession anstellen.

R Nuper

Nuper admodum de poteſtate ſupremi aulae praefecti * exemti ſunt, et ad militarem rationem inſtructi, Equites imperatorii regii corporis cuſtodes **, conſtituto etiam iudice militari. Eorum ſenioribus tanquam inſigne tribuit Regina Apoſtolica, vt, cum veſtibus ſuis priuatisque induti prodeunt, pectore faſciolam *** peculiarem geſtent, qua agnoſci, et diſtingui pro ordinis dignitate queant.

* Oberſthofmarſchallamt.

** Hatſchierleibwacht.

*** Bandouliere.

Qui die menſis octauo aduenerat, Bipontinus Princeps Fridericus, poſtridie eius diei Schönbrunnam conceſſit. Propediem, vt fama eſt, Poſonium * abibit.

* Presburg.

ARA VBIORVM. XVIII. AVG.*

Nudius tertius Elector noſter ſereniſſimus Praeſulque ſummus, accepto Roma pallio, in ſacello aulico a Lucino, Pontificis legato, ſollemni ſolitoque ritu conſecrabatur.

* Bonn.

Die XV. Colonia Agrippina, quo pridie venerat, Aquisgranum * profectus eſt Clemens, regius Saxoniae Princeps.

* Aachen.

LON-

LONDINO. XIV. AVG.

Hic quidem ſpem pacis cum Gallis faciundae euaneſcere omnem videmus. Non conueniunt, quae nouiſſime a Buſſyo latae ſunt, conditiones: neque enim conſtituunt de capitibus iis, quibus inniti pax firma ſtabilisque deberet. Futurum potius eſſet, illis acceptis, vt ſaepiſſime in neceſſitatem adduceremur tuendi armis poſſeſſiones noſtras extraneas. Itaque deliberationum, quae vtroque conſilio maiori, diebus XII. et XIII. in Palatio diui Iacobi * agitatae ſunt, haec ſumma fuit: „Dimittendas videri pacis conditiones „Gallicas, neque enim accipi poſſe ſaluis, quae „tum nobis ipſi, tum ſociis debeamus, officiis. „Experiundum eſſe, an bello acrius perſequendo „effici poſſit, vt aequiores ferantur.“ Atque de illa ſententia, miſſo ſtatim curſore, certior factus eſt Stanleius. Incredibili omnes cupiditate ardent cognoſcendi conditiones illas reiectas. Huic propediem ſatis fiet, ſi, quod ſperamus, typis expreſſae in vulgus emittentur.

* St. Iames.

Sunt, quae ſuſpicionem moueant, Gallos id agere, vt in Magnam Britanniam aliquid tentent, quo copias noſtras diſtineant*. Propterea iuſſae ſunt complures naues bellicae minores**, diuerſis inter Caletum et Dunquercam *** curſibus, Gallorum ſi qua molimina ſint, explorare.**** Quin breui etiam exitura putatur numeroſa claſſis. Certe nauibus bellicis

nouis (quarum Oceanus et Blenheim tormenta nonagena; Africa sexaginta quatuor vehit) mandatum est, vt primo quoque tempore cum aliis nonnullis Portum Magnum ***** petant.

* Eine Diversion machen.
** Fregatten.
*** Calais und Dünkirchen.
**** kreuzen.
***** Portsmouth.

CLIVIA. XIX. AVG.*

Quae exercitum Sobisianum reliquerunt, cohortes praetoriae **, in hoc tractu consistent. Cuius rei quae caussa sit, prorsus ignoratur. Heri Calcariam venerant generosi equites desultorii***: quos hodie huc putamus venturos. Leuiter armati equites**** vrbe nostra excedent et alio quodam loco tendent*****. Reliquae copiae Xanthi, et in ceteris ad Rhenum locis degunt.

* Cleve.
** Trouppen vom Königl. Hause.
*** Gens d'Armes.
**** leichte Cavallerie.
***** Cantonniren.

EX PRAETORIO FERDINANDI BRONKHUSANO. XXIV. AVG.

Fürstenbergo nudius tertius mouit Gallorum exercitus, et per vicum Sollingensem transiit. Vslariae praetorium collocasse dicitur.

BRVN-

BRVNSWICO. XXIV. AVGVSTI.

Gallos, qui nuper admodum Visurgim traiecerant (quadragies mille erant) repulsos fuisse, modo a celeri nuntio accepimus. Proximo Iouis die serenissimus Hassiae dominus Luneburgum concedet.

RES LITTERARIAE.

Duabus potissimum rebus nobilitatum fuit saeculum decimum quintum, arte typographica inuenta, nouoque orbe detecto. In vtroque genere, quis verus auctor repertorque fuisset, dubitatum aliquamdiu disceptatumque fuisse nouimus. Artis tandem inuentio auctori suo, nominique Germano vindicata est. De nouo orbe, communior quidem sententia Columbum laudat, sunt tamen qui Vespatium, alii qui Behaimum, Germanum, repertorem demonstrent. Litem, posthabito patriae studio, sola veritate rerumque testimoniis ductus diremisse nobis summa inquirendi iudicandique sollertia videtur E. Tozius, Academiae Gottingensis a secretis. Prodiit ibidem opusculum vernacula oratione eleganter conscriptum, in 8. paginis 128, hoc indice, *Der wahre und erste Entdecker der neuen Welt, Christoph Colon, gegen die ungegründeten Ansprüche, welche Americus Vespucci und Martin Behaim auf diese Ehre machen, vertheidigt von E. Tozen, Universitäts-Secretair zu Göttingen.*

Disputationis partes duae ſunt. Prior euincit, *Chriſtophorum Colonum* (ab Hiſpanis enim Colon, ab Italis Colombo, vulgo Columbus vocatur) *fuiſſe, qui primus tum terram continentem, tum inſulas noui orbis detegeret, et hunc propterea ipſius potius, quam Americi Veſputii nomine adpellandum videri.* Non nouam quidem ſententiam tuetur conſultiſſimus Tozius; Gallorum enim nonnulli, in his nuperrime Prevot, idem ſtatuere: ſed lucu-lentius rem omnem enarrat, nouisque teſtibus, vt eſt in rerum geſtarum monimentis diligentiſſime verſatus, confirmat.

Chriſtophorus itaque Columbus, Genuenſis Italus, ſupremus turmae Hiſpanicae praefectus, ſuſcepta a. 1498 tertia nauigatione (prima a. 1492 inſulas Cubam, Hiſpaniolam; altera a. 1493 et ſequentibus, Iamaicam detexerat) ad noui orbis terram continentem oramque maritimam Pariae primus omnium delatus, vlterius etiam quarta nauigatione prouectus eſt. Americus contra Veſputius, Florentinus, primum iter maritimum anno demum 1499 et ſequenti; alterum 1502, vtrumque mercator et nauta ſub Alphonſi de Ojeda imperio, fecit. Sed, quod primus terrae continentis videri repertor vellet, edita itinerum ſuorum hiſtoria, primum ad annos 1497 et 1498; alterum ad 1499 et 1500, inſigni impudentia retulit. Poſt, cum a Rege Hiſpaniae tabulas noui orbis terreſtres et maritimas deſcribere iuſſus fuerat, fraudulenter illa opportunitate vſus,

quae

quae detectae erant regiones, ex ſuo nomine Americam inſcripſit. Actum de Coloni gloria erat: niſi filius, Diego Colon, iniuriam vlturus, lege agi, cauſſamque cognoſci voluiſſet. Ita nudata quidem fraus fuit; ſed nomen nouo orbi ſemel impoſitum ad noſtram aetatem remanſit: tametſi commutandum cenſebant Hiſpani, et Luſitani. Erant, qui Coloniam, vel Coloneam, vel nouum orbem Hiſpanum dici vellent. Bodmerus carmine illo, quo repertorem cecinit, Colombonam adpellat. Quae cum ita ſint, fruſtra eſſe conſilium intelligitur Bandini abbatis, qui Florentiae nuper, vita Veſpucii Italice ſcripta, liberare ciuem ſuum a fraudis ſuſpicione voluit.

Altera disputationis parte, *Vtrum Martino Behaimo, clariſſimo nauigatori, tribui orbis noui detectio poſſit*, ſimili diligentia ſollertiaque disquiritur. Behaimo, Norimbergenſi, illam gloriam primus adſcripſiſſe, pro ſuo in vrbem ſtudio, videtur Wangenſeilius, Profeſſor Acad. Altorf. celeberrimus. Ab hoc detectas primum inſulas Azores, et alio itinere reliquas: quin ad fretum Magellanicum penetratum fuiſſe. Quae a Wagenſeilio accepta confidentius etiam tradidere, Wulferus, Cellarius, Omeiſius, et ipſe adeo Schwarzius: mirifice vero auxit et ornauit Io. Frid. Stüven, qui credere nos iuſſit, Behaimum detectas a ſe regiones tabula geographica deſcripſiſſe, hanc obtuliſſe Alphonſo V. Luſitano. Eam deinde viſam Colono, qui vt poſtea Magellanus

con

consilium inde detegendi orbis ceperit. Testimonii caussa globum terrestrem, quem dicunt, commemorat, Norimbergae apud illustrem Behaimorum gentem adseruatum, quo Behaimus omnia ipse delineauerit. Hunc in aes incisum exposuit cel. Doppelmair. Laudatoris audaciam reprimere poterat Behaimi ipsius modestia, qui, Colono superstes, nihil sibi ex ipsius laude decerpsit.

Illa omnia diligenter collecta expensaque doctissimus Tozius, tum collatis studiose rationibus, tum vero testibus locupletissimis, refellit.

Ceterum, terrae eiusmodi transmarinae coniecturam Veteres iam fecisse, ex locis quibusdam adparet. Detectioni praelusisse videtur Seneca tragicus, in Medeae actu II. extr.

> Venient annis *saecula seris*,
> Quibus Oceanus vincula rerum
> Laxet, et ingens pateat tellus,
> Tethysque nouos detegat orbes,
> Nec sit terris vltima Thule.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinq cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XVIII.
DIE MARTIS, CAL. SEPT. CIƆ IƆCCLXI.



HAFNIA. XXIV. AVG.

Nouam benignitatis suae significationem dedit Rex augustissimus vrbis ciuibus, cum societati eorum, qui ludicro iaculandi exercentur *, varios reditus indulsit; et, praeter alia ornamenta, hoc, vt regii nominis ductu coronato ** insigniri liceat quae distribui inter eos solent, praemia.

* Schützengilde.
** gekrönter Namenszug.

Sortitionis, quae regio concessu hic celebratur*, octauae expediri hodie classis quarta coepta

eſt. Exiit ſors primaria quatuor mille imperialium: ea ad collectionem Othinianam * * pertinet.

* privilegirte Königl. Lotterie.
** Odenſee.

LONDINO. XXI. AVG.

Auguſtanae legationis a ſecretis eſſe Rex voluit Thomam Robinſonum. Sed ipſius concilii quando futurum ſit initium, nemo facile dixerit. Fortaſſis non prius, quam anni tempeſtas armis rem agi vetuerit.

Auidius in dies exſpectatur Regina deſignata. Paucis poſt aduentum diebus in ſacello aulico diui Iacobi ritibus ſacris confirmabitur connubii foedus. Interea ad excipiendam ſponſam regiam nihil non comparatum eſt. Quod ſi tempeſtas ventusque idoneus fuerit, *Thameſi* Greenwichium vsque aduecta Princeps celſiſſima, ibi quidem pernoctabit. Poſtridie vbi ad arcem Whitehalenſem perrexerit, inde carpento magnifico diui Iacobi palatium petet.

Qui Regi Reginaeque inaugurandis dictus erat dies, vtrum dilatus ſit, nondum explorate ſcribi poteſt. Diadema recens factum, quo per illas caerimonias Rex vtetur, nuper ex Turris conclaui, quo gemmae aſſeruantur*, in palatium transferebatur. Reginae concinnatum eſt pectoris ornamentum, quo vix quisquam ſplendidius

dius adhuc conſpexerit. Centies mille libras Sterlingicas illud, et quae princeps in eo gemma fulget, quindecies mille, exaequare pretio dicitur.

* Juweelenkammer des Towrs.

Opes noſtrae maritimae tametſi ad trecentas et quinquaginta naues bellicas, maiores, minores excreuere: complures tamen in naualibus noſtris primae magnitudinis naues conſtruuntur.

HAGA COMITVM. XXV. AVG.

Ex variis locis ad nos perfertur, Ceylon inſulam ab Anglicana claſſe tantum non omnem cingi, indeque naues mercatorias exire prohiberi. Certiora ea de re pluraque edoceri maximopere cupimus. Ex inſula quidem nullus adhuc nuntius peruenit.

AMSTELODAMO. XX. AVGVSTI.

Ex Weſtphalia nuntiatur, iuſſas eſſe cohortes regis Galliae praetorias * Lutetiam Pariſiorum reuerti: quod in eas hi ſumtus impendendi ſint, quibus ali octo mille milites queant.

* die franzöſiſchen Haustruppen.

A Cambeforto, excurſore* Gallico, Oſnabrugam vsque porrecta expeditio fuit. Currum is publicum, qui inde exierat detinuit: neque tamen, quam ſe ablaturum putabat, pecuniam deprehendit.

* Partheygänger.

HILDESIA. XXVII. AVGVSTI.

Ex diebus aliquot Osteroda propius ad nos accessit agmen Luckneri. Cras Hannoueram concessurum putatur. Ibi, quibuscunque arceri vis hostilis potest, diligenter omnia parantur. Operibus quidem vrbs munitionibusque praeclare septa est. Defixae sudes: tormenta in aggeribus disposita: quotidie aliquot centeni homines sarmentorum fasciculos *, cratesque militares ** conficiunt. Neque minus praesidium auctum: namque ad cohortem Landsbergensem nudius tertius Brunsuicensis legio Fridericiana, herique Rhedenia accessit, quam hodie Zandriana consequetur. Itaque quatuor militum millia conficere praesidium censetur.

* Faschinen.

** Schanzkörbe.

RES LITTERARIAE.

The Life of Addison, Secretary of State to King George I. h. e. Vita Addisoni, Regis Georgii I. in rebus publicis a secretis. Londini ap. Paynium 1761.

Natus erat Josephus Addison a. 1672 d. 1 Maii Milstonii, Wiltoniae * vico, patre Lanceloto Addisono, Lichfeldiae decurione **, et Conuentrae *** archidiacono, matre Iohanna Gulstonia, Wilhelmi Gulstoni, Praesulis Bristoliensis, sorore. Sarisberiae **** cum litterarum disciplinis prae-

colebatur, amicitia sibi coniunxit, quo postea familiarissime vsus est, Richardum Steelium. Anno aetatis 15 ad academiam Oxoniensem accessit. Post in Collegium Magdalenae receptus, et liberalium artium magister renunciatus amicitiam colere coepit Henrici Sacheverelli, variis dehinc motibus clarissimi.

* Wiltshire.
** Dechant.
*** Coventry.
**** Salisbury.

Auctoribus veterum classicis diurna nocturnaque manu versandis ita excolebat ingenium, quod praestantissimum nactus erat, vt et pulchre cogitandi iudicandique facultate excelleret, et oratione vteretur Romana, veterique Latio digna. Cuius rei testimonia sunt *carmina latina* eleganter facta, et antiquae plena vrbanitatis. Mox etiam, annos natus viginti duo, patrio sermone, cui summum olim decus conciliaturus erat, nomen coepit illustrare suum. Primum elegantiae vernaculae specimen dedit *epistola ad Drydenium* scripta: alterum *interpretatione libri quarti Georgicorum*, cui praemiserat, suppresso nomine, *disputationem* illam, quae inserta legitur Virgilio Drydeniano. Paullo acrior haec est in eius temporis Aristarchos quosdam, et censores vmbraticos; sed tam erudita, tam pulchra, vt etiamnum criticae artis exemplum habeatur.

Sed in primis, quantum in fublimiori genere valeret, demonftrauit carmine Latino, *quo pacem Guilielmi aufpiciis Europae redditam* a. 1697 cecinit. Hoc non fauorem, fed amicitiam paene fibi conciliabat Iohannis Somerfii, cui illud infcripferat, in Curia Anglicana Senatoris, et figilli regii cuftodis*. Huius beneficio Maecenatis cum trecentas libras numorum fterlingicorum, ftipendii annui nomine, obtinuiffet, confilium cepit ineundi itineris litterarii: mira enim videndae Italiae cupiditate flagrabat. Ante tamen quam abiret, vno volumine collecta edidit carmina fua latina, quae *Mufas Anglicanas* infcripfit: quae quidem adeo probauit Boilauio, cui dono dederat, vt fingularem is elegantiae antiquae facultatem Anglorum ingeniis tribueret. Italiae amoenitate veterumque monimentorum veluti religione captus, vtrumque argumentum pulcherrime perfecutus eft, *epiftola poetica ad illuftriff. Halifaxium* · qua grati fimul in Maecenatem animi magnique documentum eo luculentius ftatuit, quod de republica iam cefferat is, nullamque fortunae fpem oftenderat.

* Lordfiegelbewahrer.

In patriam redux *itineris fuis narrationem edidit*, multis variisque rebus nouis, iucundis, vtiliffimis refertam, planeque eiusmodi, quam antiquitatis pariter ac nouitatis gratia commendet. Epiftola, qua librum hunc Somerfio tradidit, exemplo quoque effe poteft his, qui recte et eleganter

ganter fungi illo dedicandi officio voluerint. Neque minus ex Italia secum retulerat insignem *veterum nummorum* scientiam, quam eleganti mox dialogo exposuit.

Non multo post accidit, vt cum Hallifaxio conquereretur Godolphinus, supremus aerarii praefectus*, de poëtis, qui inuitis fere Musis nobilissimam Marlboroughii ducis victoriam Blenhemensem cecinissent. Itaque Halefaxii admonitu conscripsit Addisonus carmen illud, quod *expeditionis militaris* (the campaign) nomine celebratissimum est. Inde primus ei ad munera publica, et honores amplissimos gradus fuit.

* Lordschatzmeister.

Anno 1709 euulgare coepit, nouo instituto, Steelius libellos morales et satiricos. Cum *Garrulus* (the Tattler) quem vocauerat, comparuisset, auctorem, qui latere voluerat, ex quadam in locum Virgilianum obseruatione agnouit Addisonus, illique se operis persequendi socium obtulit Huius etiam maxima et pulcherrima pars nostro debetur. Pari modo coniunctis deinde viribus a. 1711 ad concinnandum *Spectatorem* (the Spectator) accesserunt. Cuius tanta erat cupiditas legendi, vt singulis diebus vicies mille libelli venderentur. Anno 1713 scribi coepit *Tutor* (the Guardian): maxima et hic parte ad Addisonem auctorem referendus. Nihil nos in illo morali genere et satirico praestantius

tius apud Anglos editum nouimus tribus illis libris. Qui et Gallice Germaniceque conuersi sunt, cupideque lecti, & sublato signo exemplum praebuerunt, quod nostri in primis, edendis similibus, sequerentur, aemularenturque.

Anno 1713 in scenam primum prodiit *Cato*, isque huic tragoediae plausus datus est, vt tricies quinquies, nulla interposita fabula alia, reponenda esset. Qua de re eleganter in epistola quadam scripsit Popius, Catone olim minus commotam fuisse Romam, quam nostra memoria Magnam britanniam. Prologum fabulae fecerat idem Popius; epilogum Garthius. Huius tragoediae interpretationes variae sunt Gallicae, duae Italicae, Latina Patrum collegii, quod Audomaropoli* floret, Germanica illustris Gottschediae.

* St. Omer.

Praetermittimus reliqua ingenii Addisoniani monumenta. Eorum a nostris praecipue leguntur dialogi de veterum numis, expeditio militaris, et Cato, postquam Miscellaneis Anglicanis commendata fuerunt a Thomsono, linguae Anglicae doctore apud Gottingenses celeberrimo.

Viuere desiit perillustris Addisonus d. 17 Iun. a. 1719 aetatis anno quadragesimo septimo. Morti proximus arcessiuit ex cognatis iuuenem quendam ingeniosum et eruditum, apprehensaque plorantis manu, moribunda voce, *Animaduerte sis* inquit, *quam tranquille placideque mori homo christianus queat.*

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XIX.

DIE VENERIS, PRID. NON. SEPT. CIↃ IↃCCLXI.

NEAPOLI. XXVIII. IVL.

Instruitur hic nauis bellica, cui imponantur quae aula nostra munera mittet magno Turcorum Imperatori. Lentos fieri adparatus Turcorum bellicos, omnibus ad nos locis perscribitur. Itaque non est, quod sibi inde metuat orbis christianus. Neque mari Siculo infestos esse piratas Afros * audimus.

* Corsaires de Barbarie.

MANTVA CARPETANORVM. IV. AVG.

Qui in seminario, Philippi V. quondam auspi-

ciis coepto, educandae iuuentuti generosae operam nauant, Patres ordinis Iesu, fidem suam et diligentiam tali modo probauerunt Regi, vt perficiendo instituto bis mille aureos quinque imperialium * annuos concesserit.

* Pistoles.

LVTETIA PARISIORVM. XXIV. AVG.

A supremo Britanniae minoris * Senatu, qui Redonibus ** est, senatus Parisini exemplo, sententia*** proposita fuit, qua iubentur quot quot per Britanniam in collegiis sodalium Iesu superiores sunt, intra triduum, in curia iudiciali****, ad publicos actorum commentarios ***** referre, quo iure quaque lege sedibus quibusque et constitutionibus vtantur.

* Bretagne.
** Rennes.
*** Arret.
**** Gerichtshof.
***** Protocoll.

LONDINO. XXV. AVG.

Qui ex itinere in vrbem rediit, Dux Eboracensis*, vt primum exscendisse Sponsam regiam renuntiatum fuerit, obuiam ei processurus dicitur splendido adparatu, multisque nobilium comitantibus. Gratulationem videlicet significabit Serenissimae Principi ex consuetudine praecedentium temporum, de exoptatissimo ipsius in hoc regnum aduentu.

* Herzog von York.

In-

Intercessore Rege nostro, conuenisse, fama est, inter Prussiae Regem et Ducem Megapolitanum, de concedenda ducatui huic praestandaque onerum militarium immunitate.

Heri, vesperi missus iterum Parisiis ad Bussyum cursor venit. Quo facto, quae de pacis conditionibus is attulerat, statim cum Administris nostris communicauit Bussyus. Earum quae prima lineamenta* fuerant, valde nunc immutata dicuntur; Gallique cessuri Canada omni, hac lege, vt ipsis relinquatur insula Sabulosa**, ad praeparandos ibi, qui ex Terrae Nouae piscatu referri soleant, asellos. Quod vtrum largiendum videatur, nec ne, propediem a consilio regio statuetur.

* Plan.

** l'Ile de Sable.

Nec tamen propterea in adparando bello, vlla ratione cessatur. Thamesi quae naues vectoriae consistebant, numero fere septuaginta, hae flumine iam deuectae Portum Magnum petent, copias excepturae.

EX BRANDENBVRGICIS. XXIX. AVG.

Restituti nondum sunt cursus ex Silesia publici: interea per cursores extraordinarios, certosque homines* ex illa belli sede, quae nouissima erant, nobis allata sunt.

* Expressen.

Russi traiecto prope Leobusium cum omnibus copiis Viadro (audacter sane, quod nec castrum a tergo, quo se recipiant, si res cogat, nec agmen suorum reliquerunt), per tractum Lignitiensem Iaurauium et Strigauiam vsque late omnia occupauerant, ita quidem, vt diebus huius mensis XVII. et XVIII facili negotio cum illis se coniungere Laudonus potuerit. Quo tempore coniungebantur, in proximo erat Rex; neque tamen quidquam fecit, quo coniunctionem impediret: vnde credibile sit, eam non inuito Rege factam. Cuius quidem consilii non vna caussa adfertur: illa praecipue, quod alias linquenda ipsi fuisset statio, qua ad tegendam Silesiam superiorem nihil accommodatius videatur.

Nihil itaque Rex, quam agmen Ziethenium ex tractu Nouoforensi * propius alae dextrae adiunxit, eo modo, vt haec Cantium et Vratislauiam versus; sinistra vero ad Suidnicium tendat. Quodsi Suidnicium hostes vel Vratislauiam inuadant, vtrique Rex vrbi, copiis suis valde opportunae, accurrere auxilio potest. Ita res erat die mensis XXII; cumque reliqua Silesiae superioris propugnacula satis tuta viderentur: nulla hostibus, obsidionem aliquam tentaturis, praeterquam Glogauiam versus, aperta via manebat.

* Newmark.

Neque enim verendum putatur, ne regem

inua-

inuadant, quem ſitus ipſe, locique natura tegat. Enimuero quod fieri vix poteſt, vt tanti exercitus loco quem tenent, diu conſiſtant: primo quoque tempore ingens rerum mutatio fiat neceſſe eſt. Quod Teſſenae * Ruſſis conſtitutum erat horreum, nulli ipſis, per ſitum, vſui eſt: neque ex promtuariis Polonicis aduehi quidquam poteſt. Ita conſumtis, quae ſecum adduxerant, res frumentaria omnis, niſi quam Sileſia ſuppeditauerit, ex Bohemia erit ab Auſtriacis aduehenda.

* Teſchen.

*INSVLA SANCTA *. XXIX. AVG.*

Heri meridie, nauium per breuia ductores ** noſtri, claſſiculam *** Anſoni bellicam in altum deduxerunt: quae, cum illi hora quinta diſcedebant, curſum ſuum vento idoneo perrexit. Nauſeae moleſtia **** non magis adfecta fuit ſereniſſima Princeps, Regis M. britanniae ſponſa, quam Anſonus, celebratiſſimus ille aetatis noſtrae nauigator.

* Helgoland.

** Lootſen.

*** Eſcadre.

**** Seekrankheit.

EX POMERANIA. XXXI. AVG.

Tandem Ruſſorum quadraginta nauium claſſis die XXV. ad Colbergam conſtituta, verberare vrbem coepit ex nauigiis, quibus mortaria excutiuntur.

* Bombardierpramen.

RES LITTERARIAE.

Quo rarius hodie fieri ſolet, vt qui in diſciplinis ſeuerioribus, mathematicis in primis, excellunt, iidem ingenii ſuauioris laude, atque carminis adeo facultate commendentur: eo maiorem admirationem excitat ſi quis in vtroque genere egregii quid praeſtitiſſe videatur. Hanc merito laudem tribuimus doctiſſimo auctori, cuius Londino nuper allatum opus vidimus. Ibi enim typis vulgati ſunt, *De Solis ac Lunae defectibus libri V. P. Rogerii Ioſephi Boſcovich, Societatis Ieſu, ad regiam ſocietatem Londinenſem. Ibidem autem et aſtronomiae Synopſis, et theoria luminis Neutoniana, et alia multa ad Phyſicam pertinentia, verſiculis pertractantur; cum eiusdem Auctoris adnotationibus.* 1 Alphab. 9 plag. in 4.

Conſcribendi huius operis initium fecit clariſſimus poëta anno 1735. Trecenti verſiculi erant, etiamnum per varios libros diſperſi. Duodecim annis poſt ad telam, quam exorſus erat, reuocabant P. Noceti, et Staius is, qui philoſophiam recentiorem verſibus explicauit. Maximam carminis partem inde ab a. 1749 concinnauit in itinere litterario, quo recreandi animi cauſſa regiones Pontificis luſtrauit.

Ieiunum opus et ſpinoſum ſuſpicari poſſet, qui ex indice praeſcripto nihil eo magnopere, praeter Solis et Lunae defectus, expoſitum putaret.

taret. Sed illud poëtarum, qui in argumento subtiliori versantur, vitium felici auctor conatu vitauit. Modo enim, rerum opportunitate vsus, varios philosophiae et astronomiae locos cum argumento coniunctos tetigit: modo adhibenda, quatenus ad astra pertinet, veterum mythologia, vt carmen aptis suauibusque episodiis nitesceret effecit. Neque parum habet iucunditatis naturalis illa et pulchra versuum numerique poëtici facilitas.

Libro *primo* vniuersam Astronomiae doctrinam veluti compendio exhibet noster ita quidem, vt quae difficillima esse explicatu solent, quam luculentissime ante oculos ponat. *Secundo* quibus caussis fiat, ostendit, vt sol lunaque tenebris obducantur; quo vel ordine vel tempore defectus illi conspiciantur; illis denique obseruandis quid ad perficiendam Geographiam vtilitatis accedat. Atque eadem occasione tum telescopia et micrometra, Anglorum inuenta, tum Veneris illum per orbem solis transitum, eiusque generis alia commemorat. Liber *tertius* et *quartus* quae solis, quae lunae defectiones phaenomena spectaculaque pariant, exponunt. *Quinto* denique, luna cum caligine vniuersa tegitur, cur rubro plerumque colore appareat, docetur. Huc delatus auctor rem paullo altius repetit, Neutoni inuenta illustriora recenset, ipsumque veluti Apotheosi aliqua caelo atque aeternitati consecrat.

Iam

Iam in exponendis rebus et pingendis quam pulchre et artificiose versetur, vel exemplo fuerit locus is, quo septem colores principes effert.

Quae minus a recto discedunt tramite fila,
His *rubeus* color est, quali cum prima sereno
Vrget equos aurora die, solemque sequentem
Nuntiat, aut quali se cella papauera iactant,
Sanguineusque ardet venis turgentibus humor.
Proximus huic, *fuluo* nomen qui duxit ab auro:
Immitis color! heu, quantis mortalia corda
Exagitat curis acuens! quae dira per orbem
Bella mouet, turpesque dolos atque impia furta!
Pone subit fessis solamen dulce colonis,
Qui falcem vocat, et maturas *flauus* aristas
Ostentat late campis, finemque laborum. cet.

Vniuersum opus constat versibus 5430; itaque comparatum est, vt facile allicere disciplinae mathematicae cultores, et qui poësi ducuntur, retinere omnino queat. Quae vero subiectae sunt auctoris adnotationes copiosae, lectori, vel matheseos ignaro, si qua forte haeserit, ad rem facilius percipiendam proderunt.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XX.

DIE MARTIS, VI. ID. SEPT. CIƆ IƆCCLXI.

HAFNIA. XXXI. AVG.

Huius mensis die XXVII ex ciuibus nostris iaculatorum societas*, deiiciendae auis ludicrum, more sollemni et annuo, ante portam occidentis celebrauit. Sollemnitati interesse dignabantur Regiae celsitudinis Principes Christianus et Fridericus, et serenissimi Hassiae Principes, cum splendido illustrissimorum hominum comitatu. Quae deinde praemia distribuebantur, his inscripta verbis augustissimi Regis Symbolum nomenque praeferebant, *Prudentia et Constantia.* F. V. 1761. *d.* 27 *Aug.*

* Schützengesellschaft.

ROMA. XII. AVG.

Certiſſimis nunc auctoribus ſcimus, quas aula noſtra cum Luſitanica controuerſias habuit, eas Regum Chriſtianiſſimi et Catholici, arbitrio compoſitum iri, cum partu, qui inſtat, leuata fuerit regia Braſiliae Princeps. Eo huc conſilio veniet Patriarcha Luſitaniae purpuratus.

Splendida illa et numeroſa ſupellex libraria, quam reliquerat Paſſioneus, eccleſiae Romanae purpuratus, a ſummo Pontifice coëmta, in collegium ſapientiae, quod dicunt, transportatur. Huius quae adhuc bibliotheca fuit, non multi neque pretii, neque vſus erat. Illa Paſſionei, ſingulis hebdomadibus dies aliquot, omnium vſibus patebit.

GEDANO. XX. AVG.

Verſatur hic qui Regi regnique ſenatui libellos ſupplices refert*, illuſtriſſimus Comes Potoskius, vt de augendis ſtipendiis cognoſcat. Is adeſſe ſibi ad dicendam cauſſam, vrbis et magiſtratum et ciues iuſſit. Sed cum eiusmodi iurisdictio ciuitatis noſtrae immunitatibus iurique prorſus aduerſetur: iudicem illum recuſauit Magiſtratus, et ne quis ciuium ſe ſiſteret, edicto prohibuit. Publicatum fuit illud edictum, ſigno tubae dato, in omnibus vrbis compitis. Rem illam Warſouiam ſtatim ad Regem retulit Potoskius.

* Kronreferendarius.

EX

EX LITTERIS GLOGAVIENSIBVS.
XXVIII. AVG.

Nunc minus infestae nobis tractuique nostro esse incipiunt hostium excursiones: posteaquam et longius recedere eorum exercitus coepit, et male mulcati sunt non semel, iterumque, sed saepissime, excursores.

EX HAMELAE VICINIA. III. SEPT.

Ex Hassia modo Ferdinandus in tractum Paderbornensem exercitum suum reduxit. Castrorum quidem initia nudius tertius Bünam translata sunt. Itinere illo Hassiaco effecit Dux serenissimus, vt hostis magnam copiarum, quas Göttingae haberet, partem Cassellas incitato cursu ablegaret: neque minus, vt Marpurgum versus remittenda esset res tormentaria grauior. Brenkhusii adhuc, haud procul Huxaria consistit Spörkius.

Ex Westphalia nobis nuntiatur, interceptam Dorstiae ab Huthio, Tribuno Hassorum, integram Gallorum legionem esse, horreumque ibidem ingens captum.

FLENSBVRGO. XXVIII. AVG.

Die XXVI conuentu suo exornabant vrbem nostram summi militum imperatores, Serenissimus Marggrauius Brandeburgensis, et illustrissimus Comes a St. Germain, vterque supremus castrorum praefectus; Serenissimus Dux Son-

derburgensis; serenissimi Principes, alter Beuerensis, summi ducis vicarius, alter Anhaltinus Bernburgensis, supremus vigiliarum praefectus; Viri excellentissimi, a Kalkreutt, summus equitum praefectus, et a Rieppur, summi ducis legatus; Perillustris a Gähler, summus et vigiliarum praefectus, et castrorum metator; illustrissimi Comites a Moltke, cum Ducum adiutoribus*, et praefectis legionum supremis**.

* Generaladjutanten.

** Staabsofficiers.

Lustrabatur, haud procul ab ouili constituta legio desultoriorum*, quae Brockenhuusio, Tribuno eidemque regis a cubiculo, paret. Per horas aliquot obibat meditationes bellicas tum equestres tum pedestres ** legio illa, pulchre et expedite, vt magnam inde voluptatem et ipsi duces caperent, et quae spectatum aduenerat multitudo. Lustratione peracta vrbem intrabant, quos diximus duces serenissimi atque illustrissimi, et in Hospitio serenissimi Marggrauii prandio excipiebantur.

* Dragonerregiment.

** Manoeuvres zu Pferde und zu Fuss.

Die XXVII. mane iidem duces praefectique militares in vicinum hinc campum concedebant, constitutas ibi cohortes quinque pari ratione lustraturi. Aderant cohors Regis praetoria*, ductore illustrissimo Comite a Danneſkiold-Lauerwig.

erwig, Regis a cubiculo, ſummoque ſtabuli magiſtro; agminis granata iaculantis cohors, ductu Perilluſtris ab Olten, Tribuno, Regisque a cubiculo; cohors Slesuicenſis, ductu Perilluſtris von der Lühe, legionis Legati; legio denique Oldenburgica ductore Perilluſtri a Raben, itidem Tribuni legato.

Cohortes campeſtri more diſpoſitae, laudisque aemulatione incenſae ſuis ſingulae meditationibus fungebantur, inſpectante magna hominum multitudine, vsque ad horam a meridie primam. Illuſtriſſimi tum Danneſkioldi domum ſummi hoſpites ſe conferebant, multique praeterea praefectorum militarium. Apparatum ibi prandium erat octoginta amplius conuiuis ** ſplendidum.

* Bataillon Leibgarde.

** Mittagstafel von mehr als achtzig Couverts.

Die XXVIII. Tollſtadium hinc et Apenradam tendebant ſummi duces, copiarum, quae illuc contrahantur, tum equeſtrium, tum pedeſtrium, cenſum habituri. Quo facto ad ſtatiua quisque praeſidiaque ſua reuertetur.

ALTONA. VIII. SEPT.

Nonnullae Holmenſium litterae illuſtriſſimos Comites, Bondium et Bielkium, in regni Senatum rurſus arceſſitos eſſe nuntiant. Equeſtris ordinis nonneminem a deliberationibus publicis remotum fuiſſe, incerto adhuc rumore fertur.

RES

RES LITTERARIAE.

In censura eorum, qui post renatas litteras Latine scripserunt, nihil fere sollemnius est, quam vituperari Iustum Lipsium. Huius vt animi vitaeque inconstantiam: sic inaequale et inconstans scribendi genus reprehendunt. Eum dicunt, symbolo, quo vteretur, *Moribus antiquis*, ad scribendi rationem translato, stilum verbis obsoletis et innumeris archaismis inquinasse: concisa nimis et abrupta oratione consecutum illud Horatii, Breuis esse laboro, obscurus fio. Nimias ellipses versiculo etiam exagitarunt,

Lipsius ellipses crebras vsurpat, vt illum
Forsan ab ellipsi nomen habere putes.

Cumque orationes (octo illas praecipue, quas Ienae collectas edidit Io. Henr. Kromayer) negari haud posset latinas esse et eleganter scriptas, fuerunt, qui eas Lipsio suppositas existimarent.

Excusare Lipsium post alios, et defendere instituit hic atque illic Gesnerus, in suis ad fundamenta stili cultioris Heineccciana adnotationibus: inuidiam fecisse Lipsio statuit simias quasdam, et infamasse deinde ipsum, cuius se imitatores tulissent. Sed nemo, quod quidem sciamus, dedita opera Lipsium copiosius defendit *Christiano Adolpho Klotzio*, cuius *Oratio pro Lipsii Latinitate Ienae in consessu Societatis Latinae d. XX. April. A. C.* clↄ Iↄcclxi *recitata*, typis escripta est, plag. 4. in 8. Adi-

Aditialis est oratio, qua primum eruditionis, stilique elegantioris specimen Academiae Salanae exhibuit, qui apud Lipsienses iam inclarescere coeperat, doctissimus Klotzius. Eminent in Lipsii reprehensoribus Scioppius, Henr. Stephanus, Rol. Maresius, Vossius maior et Morhofius. Quorum ita auctoritatem, et in hoc quidem genere, iudicium eleuat orator, vt non magnopere nocere debuisse Lipsio euincat. Scoppio nec Ciceronem ipsum satis Latine scripsisse visum; cumque homines recentioris memoriae summi ab eo exagitati fuerint, mirum haud esse, si Lipsio non pepercerit. Reliquos ampla quidem eruditione praeditos, neque tamen eos fuisse, quorum existimationi permitti elegantioris stili Latini censura posset. Horum tamen aliorumque reprehensionibus factum, vt Lipsii oratio in prouerbium paene abiret, et inepta haberetur etiam ab his, qui eius scripta non legissent. Primam reprehendendi Lipsii caussam inde natam censet auctor, quod ab illa Ciceronianorum natione secessionem putarit faciendam, tametsi liberam et ingenuam imitandi rationem probaret. Quodsi proprium sibi et singulare dicendi genus confinxisse Lipsium dixeris, neminemque quem imitaretur, habuisse, facile putat ostendi posse, Lipsium ad Senecae se Tacitique rationem et ingenium potissimum conformasse, sed ita vt non seruiliter se adstringeret. Qua occasione, veterum imitatio quomodo instituenda sit, praeclare docet. In Lipsii scriptis nullam repe-

reperiri vel vocem vel loquendi formulam, exiſtimat, quin probari bono aliquo auctore queat. Hinc nominatim perſequitur, quae Lipſiano ſtilo obiecta vitia fuerunt. *Breuitatem* praecipue ſecutus eſt Lipſius: ſed tum cum ipſum argumentum eam pateretur. *Archaiſmis* vſus eſt, verbisque paullo obſoletioribus: ſed raro, et elegantiae cauſſa, in libris, quibus res antiquas et criticas exponeret, in epiſtolis ad amicos, qui ab eiusmodi ratione non abhorrerent. Facilius etiam abſtergi poſſe *obſcuritatis* vitium videtur, et excuſari illud quod *Graeca* multa et poëtarum *hemiſtichia* immiſcuerit. Fuiſſe concedit, qui imitando Lipſio a vera Latinitatis via longius abirent: ſed ipſorum hoc, non Lipſii culpam eſſe. Denique ſtili Lipſiani veluti effigiem quandam ponit: quaeque a ſe dicta ſint, non ad Orationes Lipſii, ſed ad reliqua etiam ſcripta pertinere, confirmat. Ceterum ita conſcripta eſt Oratio clariſſ. Klotzii, vt elegans iudicium, interior rerum antiquarum cognitio, cultiſſimumque et Romanum dicendi genus adpareat.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXI.

DIE VENERIS, III. ID. SEPT. CIƆ IƆCCLXI.



NEAPOLI XI. AVGVSTI.

Nauium ex oriente redeuntium magistri * referunt, a Turcorum classicula ** (decem nauibus maioribus, et sex liburnis *** constat) exigendis Archipelagi tributis missa, omnes in quas incidat, naues Constantinopolin ire cogi, ibique reliqua aulae Turcicae mandata excipere.

* Schiffspatron.

** Escadre.

*** Xebecken.

GENVA. XII. AVGVSTI.

Saturni die exibant hinc naues octo tum

actuariae minores *, tum praedatoriae **, piratas Afros et praedones, nauigationi nostrae infestos, fugaturae. Propositum simul a Consilio fuit edictum, quo non solum parandarum in piratas nauium potestas cuilibet priuato conceditur; sed etiam in singulas naues captas centum numi aurei quatuor imperialium ***, praemii loco, constituuntur. Capienti cedet nauis, et quidquid in eadem reperietur, praeter nautas, tormenta, et arma: haec enim res publica sibi vindicat.

* Gallioten.

** Brigantinen.

*** Dublonen.

LVTETIA PARISIORVM. XXVIII. AVG.

Comitem a Choiseul, qui, in aula Vindobonensi quondam legatus, ad concilium pacificationis Augustanum cum auctoritate mittetur *, nuperrime Rex in aulae Purpuratis ** esse iussit. Quo facto, locum is suum in senatu sanctiori occupauit.

* bevollmächtigter Abgesandter.

** Staatsminister.

Versaliis nudius tertius, Rege praesente, de magni momenti rebus deliberabat consilium sanctius. Sed de quibus nominatim caussis, et quid actum sit, nescimus iuxta cum ignarissimis. Coniectura quidem ad nouas conditiones ducit a Stanleio latas.

Neuf-

Neufvillius et Griffetus, Ordinis Iesu sodales, et eloquentiae sacrae laude celeberrimi, nuper sacro ordine, cuius nondum votum quartum nuncupassent, se abdicauerunt. Quorum exemplum secuturi per Galliam mille amplius alii feruntur, qui eidem societati nomen dederant.

PORTV MAGNO. XXVIII. AVG.*

Quae hic in re maritima omni ex parte comparationes fiunt, ingentem expeditionem aliquam significant, primo quoque tempore suscipiendam. Sed illa quorsum spectet, nemo dixerit. Eduardus quidem Hawkius propediem in naui, regio Georgio, vexillum figet**. Classiarii qua fieri potest diligentia, coguntur***, earumque suplentur legiones.

* Portsmouth.

** die Flagge an Bord — — aufstecken.

*** Matrosenpressen.

LONDINO. I. SEPT.

Reginae designatae aduentus quo longius producitur, eo est expectatio maior. Quae ad connubia regia pertinent, parata sunt omnia. Quo die caerimoniae sacrae fient, variorum in palatio St. Iacobi ludorum concursum futurum*, sed vespere neminem admissum iri, a supremo cubiculi regis Praefecto** praedictum est. Inaugurationi regiae constitutus est mensis huius dies XXII. Credi vix potest, quantum sit nobilitatis in comparanda tum vestium, tum reliqui

cultus magnificentia ſtudium. Prorſus hic aemulantium more agitur.

* Es wird appartement ſeyn.

** Oberkammerherr.

Spes pacis in dies magis magisque extenuatur. Cuius conſilia tametſi agitare rurſus cum adminiſtris noſtris, Pittio in primis, coepit Buſſius: irrita tamen fore videntur. Sunt, qui ad oppugnandam S. Martini inſulam omnia iam inſtructa eſſe et comparata affirment.

MITAVIA. XIX. AVG.

Proſperrima nunc valetudine vtitur celſiſſimus Dux noſter: qui ſingulari ſua humanitate, et iuſtitiae amore ſummam ſibi nobilium gratiam beneuolentiamque conciliat. Confirmati ſunt, timore poſito, ciuium animi, qui initio neſcio quid auitae religioni metuebant a Principe ſacris pontificiis addicto. Nullam optimus Princeps facultatem praetermittit teſtificandae ſuae in ciues voluntatis, atque fidei qua ſeruare ac tueri, ex legibus et pactis, iura eorum et immunitates ſtudet. Quo etiam conſilio conuentum prouincialem* extra ordinem in menſis huius diem XXVII indixit. Deliberationem cum nobilitate habebit de augendis amplificandisque vtriusque ducatus commodis.

* Landtag.

KILONIO. VII. SEPT.

Imperatoriae celſitudinis Princeps, magnusque

que Ruſſiae Dux ſuum per Holſaticas regiones vicarium ſummum eſſe voluit celſiſſimum Holſatiae Principem Georgium. Hunc propediem ad nos conceſſurum audimus.

ALTONA. X. SEPT.

Quorundam litteris nuntiatur, ex claſſe ad Colbergam Ruſſica iam die menſis tertio quingentas amplius pilas ferreas puluere nitrato fartas * in vrbem iniectas fuiſſe. Nocte ſequenti futurae dicebantur, Romanzonio duce, operum militarium appropinquationes **.

* Bomben.

** Eröffnung der Laufgraben.

Ex Sileſiae confinio nuntiatur, conſpectos nuper inter Landshutum et Hirſchbergam Coſacos fuiſſe. Vnde Ruſſorum partem in locis ad Bohemiam montoſis conſtitiſſe apparet.

Sereniſſimi Ducis Megapolitani copiae, ex Rugia reduces, intraſſe Roſtochium feruntur.

Litteris Lauenburgicis comperimus, in ducatum Megapolitanum inuectum eſſe, Stutterhemii ductu, agmen circiter quinque mille Pruſſorum.

RES LITTERARIAE.

Dudum apud Francogallos vſitatum fuit, ex

Graecis et Romanis conuertere Gallice praestantissima veterum monimenta. Quibus legendis fit, vt non viri tantum inter eos nullis praeterea litteris magnopere eruditi, sed matronae etiam feminaeque illustres, eam sibi nonnunquam veteris memoriae cognitionem comparent, quam apud alias gentes hi, qui ipsos antiquorum libros versant. Neque inter nostros defuerunt, qui simili instituto veteres ciuibus traderent legendos: non iuuenibus solum, qui in ludis litterariis ad intelligendos auctores adducuntur; sed viris etiam et feminis, rerum forte antiquarum studiosis. Consilium illud singulari quadam diligentia persequi velle videtur, qui Gedani nuper operis veluti primum volumen edidit hac inscriptione, *Sammlung einiger merkwürdigen Stücke aus den Schriften der alten Römer, so aus dem lateinischen übersetzt, und mit einigen erläuternden Anmerkungen begleitet worden. Danzig, bey Daniel Meißner*, 1761. Hoc est, *Collectio insigniorum aliquot librorum ex veterum Romanorum scriptis, additis quibus conuersa e Latino illustrantur, adnotationibus.* 1 Alphab. 14 plag. in 8.

In praefatione consilii sui rationem et exponit auctor et commendat, ducto ab ipsa veterum laude initio. Esse eos praestantissimos cogitandi pulchre iudicandique magistros: hodiernos scriptores, quo propius ad illos in suo quisque genere accesserint, eo meliores verissime iudicari. Vtilissimam operam nauari ab his, qui expe-

expeditiorem reddere ſtudeant linguarum, quibus monumenta illa continentur, cognitionem; quique ad explicandos mores et ritus antiquos nulli labori ſuo parcant. Neque tamen illorum opera omnes tolli difficultates: ſemper enim manere illud, vt qui linguam non calleat, a lectione veterum et imitatione arceatur. Supereſſe, vt interpretandis veterum libris, ſed recte et eleganter, ſtudium vtiliſſimum excitetur, communicenturque cum pluribus vtilitates ab antiquis ſperandae et petendae.

His praemiſſis ad exponendam rationem ordinemque collectionis huius progreditur. Deliget potiſſimum libellos veterum Romanorum eos, qui ad emendandos mores, ad conformandum iudicium intellectumque pulchri prodeſſe prae reliquis videbuntur. Quos vt cum voluptate legant, vt plane intelligant lectores etiam antiquitatis expertes, tum interpretatione accurata elegantique, tum ſubiectis adnotationibus efficiet. Quae eiusdem auctoris ſcripta ſunt, non interpoſitis aliis ſequentur, ita tamen, vt iucundae ſimul varietatis ratio habeatur.

Primo loco comparet *Eutropii breuiarum hiſtoriae Romanae*, quo in rem publicam veluti introducitur lector, resque Rom. geſtas dilucido ordine conſpicit. Magnam haec res vtilitatem habet ad reliqua ſcripta eo rectius et facilius intelligenda: quorum nullum eſt, quin ex hiſtoria gentis

gentis lucis aliquid accipiat. Sequuntur Romanorum ſcriptorum principis orationes ſex, vna pro *Archia*, pro *S. Roſcio Amerino* altera, et *Catelinariae* quatuor. His et reliquis Tullianis itidem tanquam introductionis loco praemiſſa eſt *vitae Cic.* deſcriptio paullo amplior.

Interpretatio Germanica non inelegans eſt, nec ſine ſtudio confecta. In obſeruationibus notisque illud compendium factum, vt, poſtquam ſemel explicata res quaedam, v. c. ritus, fuit, huius deinde vocabulum relatum in indicem facili negotio remittat lectorem, ſicubi haereat, ad locum vbi expoſita res atque deſcripta fuerat.

In Gymnaſio Hamburgenſium d. VIII. Sept. eloquentiae ac philoſophiae docendae munus auſpicato ingrediebatur Vir ampliſſ. atque doctiſſ. Io. Henr. Vincent. Nölting, habita oratione ſollemni, De prouidentiae diuinae ſingulis in hoc mundo rebus conſulentis excellentia. Ad panegyrin litteratam reipubl. Proceres et amatores litterarum, tabella publice propoſita inuitauerat Io. Georg. Büſch, Vir celeb. Mathematum Profeſſor, et h. a. Gymnaſii Rector.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXII.

DIE MARTIS, XVII. CAL. OCTOBR. cIↄ Iↄccↄxi.



LIBVRNO. XVII. AVGVSTI.

Perlatum ad nos eſt veluti edictum a rebellantibus Corſis ad omnes Europae Principes miſſum. Confirmant illi his litteris, permanſuros ſe in propoſito ſuſceptoque conſilio, nullumque periculum recuſaturos, vt a ceruicibus ſuis iugum illud Genuenſium deiiciant. Quod ſi res in ſummum forte diſcrimen deducatur, futurum, vt cuiusuis Principis, qui immunitates ipſorum facultatesque ſaluas velit, imperium praeferant dominationi rei publicae eius, qua cum in praeſenti bellum gerant.

VENETIIS. XII. AVG.

Cum respublica nostra propugnaculum fere habendum sit regionum Christianarum; et ingentes, qui a Turcis terra marique fiunt, belli adparatus suspicionem in dies maiorem moueant: permisit summus Pontifex litteris extra ordinem missis, vt Consilium nostrum ab ordine sacro ditionis Venetae, belli Turcici caussa, tributum * centies mille aureorum colligeret.

* Türkensteuer.

MANTVA CARPETANORVM. XVII. AVG.

Tametsi apud nos legis vim non habent litterae Pontificiae *, nisi a Rege confirmatae: Pontifici tamen gratificaturus, supremus fidei quaesitor **, nulla interdicti regii ratione habita, litteras eiusmodi peruulgauit, quae aduersus librum Italice scriptum, *Catechismo Anti-Giesuitico*, propositae fuerant. Itaque ab Senatu Castiliae iussus est, intra horas viginti quatuor vrbe excedere, et ab eadem se ad duodecimum lapidem remouere. Quo facto Guadalaxaram hinc in coenobium concessit.

* Apostolisches Breve.

** Grofs-Inquisitor.

LVTETIA PARISIORVM. IV. SEPT.

Ex consilii sanctioris, quod praeterito Saturni die habebatur, sententia *, significari iussit Rex Senatui supremo **, velle se, vt ad exsequendum illud aduersus ordinis Iesu sodales decretum

elapso

elapſo demum anno integro accedatur, neque eorum Gymnaſia ante claudantur. Quo cognito, poſtridie eius diei Praeſes Senatus ſummus, *** comitantibus ſenatorum nonnullis, Verſalias ſe contulit. Atque ab illo tempore in omnibus fere curiis **** quotidiana ea de re conſilia agitantur.

* Reſultat des Königl. Staatsraths.

** Parlement.

*** der erſte Praeſident.

**** Kammern.

Olyſſippone perſcribitur, regiam Braſiliae Principem felici partu matrem factam eſſe, Regemque fideliſſimum, magno inde gaudio adfectum, ſtatim in Italiam ablegaſſe, qui ſummo Pontifici, et vtriusque Siciliae Regi laetum illum nuntium perferret.

EX TRACTV VIADRINO. VIII. SEPT.

Qui ex Sileſia nuntii veniunt, exercitus aduerſos eodem adhuc loco conſiſtere, referunt. Ruſſi non minus, quam Auſtriaci impedimenta grauiora Landshutum miſiſſe; illi etiam Viadro pontem impoſuiſſe binis locis dicuntur.

Saxonicis litteris ſi fides habenda, haud exiguum certaminis cum communi Germaniae exercitu initi fructum retulit Seydlitius, ſummi Pruſſorum ducis vicarius. Captos eſſe ſexcentos confirmant, ipſumque exercitum vltra Salfeldiam, perſequente Seydlitio, fugatum.

EX WESTPHALIA. VIII. SEPT.

Menſis elapſi die XXVIII. Veſaliam cum equis vehiculisque ſuis ſe conferre iubebantur quicunque ad comitatum Benthemenſem ſubiecti pertinent. Tormentis inde grauioribus ad Sobiſii exercitum vehendis operam nauabunt. Poſtridie eius diei Regi chriſtianiſſimo comitatus omnis *ſacramento pietatis obſtringebatur* *, fiſcique occupabatur poſſeſſio **.

* die Huldigung ward eingenommen.

** von den landesherrſchaftlichen Caſſen ward Beſitz ergriffen.

RES LITTERARIAE.

In vita Addiſoni, quam libello XVIII enarrauimus, attulimus quoque hoc, libellis moralibus et ſatiricis, quos ille cum Steelio ediderat, exemplum fuiſſe proditum, quod noſtri imitarentur. Tot ex eo tempore ſcripti et collecti a Germanis ſunt eius generis libri, vt poſſit, qui ſtudium adhibeat, bibliothecam mediocrem vel ſolis eiusmodi collectionibus conficere. Sed earum dubitamus an ad Britannici exempli vim et elegantiam ceterasque virtutes vlla propius acceſſerit hac, quae per triennium ſuperius, *Ephori ſeptemtrionalis* nomine, Hafniae prodiit.

Der nordiſche Aufſeher, herausgegeben von Iohann Andreas Cramer. Kopenhagen und Leipzig bey Ioh. Benj. Ackermann. Volumen *primum* 1758, forma quarta

quarta minori, libellos ſexaginta complectitur: *ſecundum* a. 1759 ſexaginta quatuor; *tertium* 1760 ſexaginta nouem libellis conſtat.

Ea hic eſt virtutum, quibus cenſeri ſcriptores ſolent, ſimilitudo, vt libello primo non temere auctor perhibitus fuerit Arthur Ironſide, filius Neſtoris Ironſidii eius, ad quem relatus erat Tutor ille ſ. Ephorus Britannicus (the Guardian.) Facile ſine dubio perſuadebatur lectoribus illa ſanguinis coniunctio, cum tantam ſiue ingenii, ſiue animi conſiliique ſimilitudinem conſpicerent.

Propoſitum in primis erat editori praeſtantiſſimo ſummeque venerabili, deſcribenda virtutis omnis amabilitate, ad eam complectendam excitare ciues, dignosque reddere, qui FRIDERICI V. auſpiciis, maiora in dies virtutis praemia et felicitatis incrementa caperent; incendere ſanctiſſimae religionis, colendique ſummi Numinis ſtudium; expolire mores et ingenia, pulchrique ac veri intellectum acuere, perſequendis artium elegantiorum tum praeceptis, tum exemplis; exponere nonnunquam de ſcriptis et vitis magnorum hominum, ac legendi ſimul imitandique rationem tradere; conſulere po[ſt]eritati, educandae et inſtituendae iuuentutis co[n]ſiliis; quaecunque denique vitam tum publicam, tum priuatam ſuauiorem beatioremque efficiunt, ea rationibus ex ipſa rerum hominumque natura depromtis, commendare.

Illa vero omnia feliciſſimo hic ſucceſſu perfecta deprehendet quicunque intelligere et ſentire docta et pulchra poteſt. Nec minor eſt tractationis, quam rerum ipſarum varietas. Iam continenti diſputatione, iam epiſtolis et ad eas reſponſionibus, iam dialogis, quin et alia quapiam ingenioſa ratione argumentum exponitur. *Conſcriptis ſoluto ſermone libellis interpoſita* carmina ſunt, non de rebus illa ludicris, ſed de grauiſſimis argumentis, et a commota mente, plenaque dulciſſimi furoris profecta. Orationis praeterea vernaculae ea vis eſt, is lepos et vrbanitatis color, vt cum delectatione aculeos in mentibus lectorum relinquat.

Praedicationi noſtrae facile fidem conciliabimus, ſi a quibus auctoribus conſcripti ſint libelli, referamus. Indicauit eos, per ſingulas ſcriptiones, index praefationi voluminis tertii ſubiunctus, qui hac parte multorum ſatisfecit curioſitati, quemadmodum noſtram in plerisque coniecturam comprobauit.

Libellorum longe plurimi *Cramero* debentur: neque eorum, quae ante commemorabamus, generum vllum eſt, quin ab eo illuſtratum ſit amabili illa, qua tantopere excellit, dicendi vi ac ſuauitate. Ab eo profecta quoque ſunt ſaluberrima inſtituendae iuuentutis, et diuini ſeruatoris amore imbuendae, conſilia: quae ſane vt parentes, vt ſcholarum magiſtri ſequantur, toto pectore cupimus. Proxi-

Proximus ab illo locus adſignandus eſt celebratiſſimo *Klopſtockio*. Huius praeter alia multa ſunt, quae ad formandum pulchri et recti iudicium, ad intelligendam verae Poëſeos indolem, vel ad aliam humanitatis partem ſpectant: diuinitus omnia cogitata et reddita. Vtrique auctori ſummo carmina debemus, quibus vel, ad pietatis ſtudium, diuinum Numen celebratur, vel amabiliſſimi Regis laudes cum felicitate Daniae coniunguntur.

Copulatum hic cum chariſſimi mariti nomine ſuum voluit ſexus pulchrioris quondam decus, *Klopſtockia*, cuius paullo poſt felici coniugio ereptae cineres et monumentum ſeruat vicinum nobis in Ottonis vico coemiterium. Transmiſerat illa Hamburgo, vt videtur, ad editorem, epiſtolam, quam hic legimus, de feminarum more et cultu pereleganrem.

Epiſtolarum aliquot ex genere morali et politico ingenioſe pulchreque ſcriptarum auctor eſt I. F. *Banſten*.

Rei muſicae ſcientiam politiori educationi vindicat, eiusque perficiendae rationem atque in rebus ſacris vſum libellis quibusdam ſcite docteque perſecutus eſt G. B. *Funke*, Abbatis Boſii de Poëſi et Pictura gallice diſſerentis interpres praeſtantiſſimus.

Vnius

Vnius libelli, quo de legum moralium vi et natura paullo ſubtilius exponitur, materiam ſuppeditauit celeberrimus *Baſedouius* noſter.

Praeter auctores nominatos fuerunt, qui non edito nomine, bene mereri de opere publice vtili vellent: quorum hic inſertas epiſtolas aliquot videmus.

In voluminis tertii praefatione, quae libellis quibusdam obiecta fuerant, diluit et infirmauit Editor ſumme venerabilis ea ratione, quae candidum eius pectus, moderationemque praeclaram decebat. In concluſione denique, hoc quaſi decurſu perfunctus lampada tradit Viro doctiſſimo, qui Danorum vernacula ſimile parabat inſtitutum, edendo *Spectatore reipublicae patriae ſtudioſo.*

In libello ſuperiori XXI. p. 165 v. 22 legatur *quinquies* mille.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXIII.

DIE VENERIS, XIV. CAL. OCTOBR. cIↃ IↃCCLXI.



HAFNIA. XI. SEPT.

Hodie in templo Spiritus ſ. primis religionis noſtrae ſacris initiabatur Iudaeus, annorum viginti trium iuuenis. Nomen adſciuit Vollrathi Auguſti. Ritum oratione ſacra commendabat Hegelundus Vir ſumme reuerendus, explicando Zachariae capitis XIII commate 1.

LIBVRNO. XXII AVG.

Litterae Conſtantinopoli ad nos mari perlatae, de pactione * inter aulas Turcicam et Pruſſicam conueniſſe, liquido confirmant. Iamque

Z condi-

conditiones eius comprobatae ** d. XXIII Iul. mutuo traditae sunt; quo die audientia facta ad purpuratorum aulae Turcicae principem *** accessit iterum perillustris a Rexin, Administer Prussicus. Pactum ipsum eiusmodi est, quo commercia amicitiaque constabiliri solent: quo etiam nomine indicatum fuit administris extraneis. Eodem tempore Legati regis Prussiae titulum adsumsit Rexinius, fideique litteras **** tradidit.

* Tractat.

** die Ratificationen auswechseln.

*** Grosvezier.

**** Creditiv.

Quae de caede Constantinopolitana sparserant libelli Italici, ex litteris nostris falsa prorsus fuisse deprehenduntur.

Quae nuper exierat classis Turcica, ex Archipelagi insulis tributum coëgit: sed pestilentia dicitur tam grauiter conflictata, vt in nauibus nonnullis vix triginta homines numerarentur superstites.

LVTETIA PARISIORVM. VII. SEPT.

Proximo Iouis die, ex supremi regni senatus decreto, conscissus manu carnificis et combustus fuit liber, hoc indice, *Historiae sacrae et profanae Epitome, ab Horatio Tursellino contexta. Hac ab editione remoti sunt numeri Romani cet.* Conti-

nere iudicabatur et iuuentuti inſtillare opiniones, regiae poteſtati, ſacraeque ſummi Principis perſonae infeſtas.

Stanleio miſſus Londino curſor attuliſſe nuperrime dicitur Conſilii, d. XXVIII. Aug. ibidem habiti, ſummam*. „Pittium ferunt ſignificaſſe „Buſſio, Datas eſſe ed Stanleium litteras, quae „aulae Britannicae definitam ſententiam ** fer„rent. Quam ſi repudiare Gallia perſiſteret, „ſtatim ſecuturum illud, vt Stanleius reuocare„tur***." Sed rem in eum locum non deductum iri ſpes eſt: eo magis, quod grauiora non poſtulare in praeſenti dicuntur Britanni, quam prius, cum Bellam inſulam, Pondicheriam, Inſulamque Dominici nondum tenerent. Ab aula noſtra reſponſum iam eſſe, dicunt. Pacisue itaque, an belli conſilia potiora ſint, breui declarabitur.

* Reſultat.

** Finalentſchlieſſung.

*** ſeinen Rappel erhalten.

LONDINO. VIII. SEPT.

Tandem aliquando, ex decem dierum nauigatione, aduentu nos ſuo beauit, Regina tot votis expedita. Heri d. VII. Sept. mane, circiter horam quintam, Anſonus cum nauibus ſuis litori Haruicenſi adpulſus eſt. Ipſa Princeps celſiſſima hora a meridie ſecunda exſcendit. Nocte illa Withami, in villa illuſtriſſimi Aber-

cornii, acta, hodie, praeterito Gronwico, hora post meridiem tertia, Iacobi palatium intrauit. Incredibile dictu est, quanta Regis, regiae gentis, aulae omniumque incolarum laetitia fuerit. Qua transeundum aduentanti erat, innumerabilis praestolantium multitudo vias occupauerat. Londinum non attigit Serenissima; sed, vrbe *sinistrorum praeterita, per Westmonasterium* ad diui Iacobi deflexit. Ingentibus vrbs gaudiis, quam late patet, completur. Vndique sclopetorum continui fragores; aeris, quidquid est, campani tinnitus; splendidissimi ignes festi; neruorum tibiarumque cantus; acclamantium denique ac gratulantium voces, gestientis laetiae significationes produnt. Ipse Rex cum ardentissimi amoris testificatione Sponsam excepit. Itaque hoc vespere ipso celebratur in *palatio Iacobitico connubium.*

DRESDA. V. SEPT.

Interceperat nuper Kleistius, Tribunus hostilis, cum equitatu suo Hungarico, Vlanorum nostrorum stationem extremam. Sed cum d. XXVI Aug. in agrum inter stationes aduersarias interiectum, frumentatum exiisset, illatum sibi haud leue detrimentum sensit. Amplius centum et quadraginta de suis caesos vulneratosue, et octoginta captos desiderauit.

EX EISFELDAE AGRO. V. SEPT.

Osterodae Gallorum agmen venatores inuasit

Hanno-

Hannoueranos et Brunſuicenſes: eorumque complures deiecit, et qui pedites eſſent, cepit. Galli ad Clausthalum penetrarunt, neque dubium eſt, quin vlterius progrediantur. Quin Lucknerum Hildeſiam vsque fugatum, fama, ſed incerta adhuc, refert.

HANNOVERA. XII. SEPT.

Galli haud longius ſesqui milliarii ſpatio ab vrbe noſtra abeſſe nuntiantur. Nuntio fidem conciliant qui hic propugnandi cauſſa apparatus fiunt. In foro diſponenda curauit Magiſtratus inſtrumenta ad iaculandas aquas, ſi forte per obſidionem incendium excitetur: neque minus ex ciuium numero homines triginta adeſſe iuſſit, qui in templa transportent et recondant, quicquid ſeruari potuerit. Die craſtino mane exſpectatur agmen Lucknerianum. Cum fidem dederit Sereniſſimus Ferdinandus, fore, vt intra biduum auxilio nobis adſit, animum quidem haud deſpondemus. Quam diligentiſſime inſtruitur horreum omni cibariorum genere in hebdomadas ſex. Ante portam Aegidii hortos amoenos haud aequis oculis conſpicimus deſtructos: quorum nunc loco vinea militaris * facta eſt. Forte quae Broglius agit, ab imperatorio conſilio proficiſcuntur potius, (nimirum vt acceſſu ſuo exercitum noſtrum loco moueat) quam ab expugnandae vrbis propoſito.

* ein bedeckter Gang.

STRALSVNDIA. X. SEPT.

Colbergae obſidionem acriter vrgeri, non vnus nuntius confirmat: Romanzouii quoque agmen propius acceſſiſſe ad dextrum cornu hoſtium, cui praeeſt Dux Würtenbergicus: hunc propterea ſtationum principum nonnullas iam ſubduxiſſe*: intercludi Colbergam communione cum Sedino: *denique ex Wollina inſula agmen* quinquies mille amplius Suecorum cum Romanzouiano ſe coniuncturum.

* Vorpoſten einziehen.

RES LITTERARIAE.

Nulla temere eſt litterarum pars, quae noſtra memoria diligentius excolatur diſciplina naturali. Neque enim vniuerſa ſolum capita eius et genera tradunt naturae interpretes; ſed ſingulas etiam partes accuratius inquirunt. Recte quidem meritoque. Nam poſt immortalis Dei cognitionem, quae hac ipſa diſciplina amplificatur, nulla eſt neque tam cognata naturae hominum, neque eorum diſcendi cupiditate magis digna. Vtramque praeclare munere ſtudioque ſuo coniungit Vir ſumme reuerendus atque celeberrimus, cuius hic opuſculum commendamus.

Iacobi Chriſtiani Schaeffer, Sereniſſ. ac Potentiſſ. Regis Daniae et Norvegiae a Conſiliis, Philoſophiae Doctoris, Gymnaſii academ. Altonani Profeſſoris honorar. *Eccle-*

Ecclesiae euangel. Ratisbon. Ministri, Academiae Imperialis Roboretanae, Berolinensis, ac Bauaricae, Societatis litterariae Duisburgensis, et Teutonicae Goettingensis, nec non Liber. art. Lipsiens. Socii, Epistola ad Regio-Borussicam societatem litterariam Duisburgensem, de Studii Ichthyologici faciliori ac tutiori methodo, adiectis nonnullis speciminibus, vna cum Tabula aeri incisa, figuras coloribus suis distinctas exhibente. Folia 3. in 4.

In piscium naturam variaque genera tametsi laudabili studio inquisiuerint Willugby, Artedi, Linnaeus et Kleinius : longe tamen abesse a perfectione putat Schaefferus hanc historiae naturalis partem. Eius rei caussas affert praecipuas tres. Primo nondum in piscibus factum est, quod in plantis praestitit Linnaeus: caremus enim adhuc philosophia ichthyologica. Quae enim in hoc genere ab Artedio edita sunt, quod imaginum caelo expressarum lumen non habent, vsui non satis accommodata videntur. Deinde neque ipsarum imaginum copia adhuc adest ea, qua vel vniuerse ichthyologia, vel diuersa eius systemata et classes illustrentur. Tabulae denique deficiunt, quae piscium partes potiores plene perfecteque exhibeant. His caussis praecipuis alias etiam additas ab auctore in subiuncta adnotatione videmus.

Studium vero illud quo expeditius reddatur, partes piscium omnes suadet, vt coloribus, quos natura

natura tribuit, ſuis repraeſententur; harum deinde partium vt index tum communis, tum proprius conficiatur, cuius hic exemplum ponit; vt qui proficere velit, ſyſtemata illa tria, Artedii, Linnaei, et Kleinii cognita ſibi ſatisque perſpecta reddat. Kleinii quidem rationem ad quindecim claſſes reuocat p. 14 allatas. Haec omnia exponi Iſagoge quadam ad Ichthyologiam expeditiorem optat, et hanc deinde ipſam ſubiungi.

Planiſſime vero conſilium explicat ſuum caelati piſcis, ſuisque coloribus picti exemplo. Is eſt, ex Kleiniano ſyſtemate, *Cyprinus cirroſus, ſquamis duplo vel plus maioribus quam primus, huc atque illuc nudus, cute duriore.* Edidit hic nouum ſpecimen Vir eruditiſſimus ſagacitatis, variis iam ſcriptis declaratae, qua naturae partes recens detectas perueſtigat.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXIV.

DIE MARTIS, X. CAL. OCTOBR. cIↃ IↃCCLXI.



HAFNIA. XIV. SEPT.

Slesuico nuntiatur, Carolum, celsissimum principem Holsatiae Glücksburgensem, anno aetatis quinquagesimo sexto, cum haud diu decubuisset, vitam cum morte commutasse.

Heri Theodori nomine insignata nauis, ex Islandia redux, prope litus nostrum in ancoris constitit*. Falcones illa centum et tres attulit. Eodem fere tempore aliam etiam nauem ex eadem insula vidimus reducem.

* legte sich auf hiesiger Rhede vor Anker,

LVTETIA PARISIORVM. V. SEPT.

Ex menſibus aliquot in Delphinatu congregatur merces vetitas importantium manipulus*: qui ad ducentos auctus dicitur, vario armorum genere, duce quoque callido, et ad audendum proiecto, inſtructos. Globus eſt ſceleratorum, illius, quem famoſus pridem Mandrinus collegerat, valde ſimilis. Sed ea iam fiunt, quibus breui diſiiciatur.

* eine Bande von Contrebandiers.

LIPSIA. VIII. SEPT.

Diſceſſerat hinc, hebdomade ineunte, agmen Gallicum Labadii, tribuni, ad exercitum Henrici, Pruſſiae principis, ducendum In itinere, orta militum ſeditione occiſus fuit ſummus excubiarum praefectus*, et ex reliquis complures vulnerati. Quo facto Altenburgum ſe conferre ad communem Imperii exercitum *inſtituit* agmen illud, vna cum tormentis: Tribunus et Praefectorum nonnulli iter ad Pruſſos continuarunt. Miſſa eſt hinc de praeſidio noſtro valida manus, quae ſeditioſos conſequatur: iamque haud procul Altenburgo acriter pugnatum eſſe dicunt.

* der Major.

Qui ex Sileſia nuntii veniunt, de belli calamitate omnes queruntur. Lignitium dimidia parte igne conſumtum, reliqua direptum fertur. Fuga ſibi conſulentes familiae bene multae ſua, quae moueri poſſunt * *in Luſatiam* aſportant.

* ihre Mobilien.

Res

Res monetalis diligentissime agitatur, multaque a praesidii praefecto ad defendendam vrbem parantur.

Torgauiae munitionibus, fama est, bina a Prussis noua opera adiungi.

MAGDEBVRGO. XV. SEPT.

In summam rerum maximarum exspectationem hostes adduxerat Austriacorum cum Russis coniunctio: verum spei non respondit euentus. Die mensis quinto castra adhuc sua inter Strigauiam et Würbenum habuit Heros augustissimus, omnibusque hostium copiis ita obstitit, vt neque impetum tentare, neque omnino hostilia facere auderent. Quin certissimis auctoribus comperimus, exercitus Russici impedimenta die IX Sept. haud procul Steinauio Viadrum rursus transuecta fuisse; neque minus constanter ex Silesia nuntiatur, magnum Russorum exercitum, duce Butturlino, summo castrorum praefecto, Viadrum versus mouisse.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. XIX. SEPT.

Platenius, summi ducis legatus*, qui cum aliquot militum millibus ad disperdenda, quae Russi in tractu Posnaniensi habebant, horrea missus a Rege fuerat, eorum tria prorsus euertit. Ea re potissimum motus Russorum exercitus magnus, traiecto Viadro, Poloniam repetit, princeps illud, quod Posnaniae est, horreum, si fieri poterit, tuiturus.

* Generallieutenant.

In Pomerania nuper fortuna minus prospera vsi sumus. Agmen Russorum numerosum, quod in agro Treptouiensi consitterat, profligare instituebat Wernerus, summi itidem ducis vicarius, cum aliquot desultoriorum turmis*, tribusque peditum cohortibus**. Sed, quod numero nimium quantum superiores erant hostes, hunc impetus exitum habuit, vt et Wernerus ipse in hostium potestatem redigeretur, et tormenta quaedam amitterentur.

* Escadrons Dragoner.
** Bataillons Infanterie.

Colbergam etiam nunc tormentis acriter verberari, accipimus.

RES LITTERARIAE.

Soterion augustissimo Danorum Regi FRIDERICO QUINTO *e suggestu academico Christianei in publica panegyri a. d.* XXXI *Martii a. r. s.* cIↄ Iↄccʟxi *dictum a Godofredo Schütze, s. Theol. Doct. et Prof. ff. Senat. sacr. reg. adsess. academiae Scient. Hafniens. Berolinens. et Parisiens. Sodali. Altonae prostat in bibliopolio Dav. Iversenii.* 2 plag. in 4.

Iam pridem cognita fuit auctoris summe vener. et celeberrimi, etiam in hac disciplinae elegantioris parte, facultas. Haud facile praeberi canendi materia poterat, quae heroici carminis spiritum, et Poëtae in commouendis animis virtutem magis exposcere videretur, quam haec ipsa;

ipsa; quae et de nato Regum optimo, et de reddito eodem ac restituto cum ciuium congratulationibus Musarum iubila coniungebat.

In libris, quibus studiosi iuuenes ad solidiorem linguae cognitionem ducuntur, eminet sine dubio bonum lexicon, hoc est, eiusmodi, quod primo recte eleganterque interpretetur verba tum singula, tum in formulis loquendi coniuncta; deinde satis copiosum sit, nec quaerentem facile destituat. Vtraque dote commendari in primis conueniebat lexica linguarum veterum: quod adhiberi in his viui interpretes nequeunt. Sed neutram fere habebant quae ad Graecam linguam iuuenibus plerumque proponebantur, Schreuelianum et Hederichianum.

De postremo hoc vt conqueri amplius non possit, effecit iam ante annos aliquot accurata doctrina et diligentia viri inter Germanos in hoc genere facile principis. *Graecum Lexicon manuale tribus partibus constans, hermeneutica, analytica, synthetica, primum a Beniamine Hederico institutum, post repetitas Sam. Patricii curas nunc auctum myriade amplius verborum innumeris vitiis repurgatum, plurimisque nouis significatibus verborum locupletatum, cura Io. Augusti Ernesti. Lipsiae in bibliopolio Ioh. Frid. Gleditschii* MDCCLIV. Forma 8. mai.

Duram fuiſſe, taediique plenam Lexici illius emendandi locupletandique prouinciam facillime iudicabit, quicunque hoc exemplum cum ante editis, contulerit. Neque enim is erat, vel Hedericus, vir cetera doctus et laborioſus, qui Lexicon Graecum ſatis bonum inſtituere; vel Patricius, Britannus, qui perficere illud poſſet. Id quod de vtroque ſatis probat praefatio Erneſtina. Sed audiamus eam potius, quid praeſtitum ſit, enarrantem.

In parte prima correxit vir eruditiſſimus, ſi quid parum vel recte, vel accurate, vel perſpicue ſcriptum eſſet in ſignificationibus vocabulorum tradendis. Tum in verbis, quae Grammatici proprie dicunt, operam dedit primum, vt actiua et media, etiam tempora interdum, ex vſu optimorum ſcriptorum, diſtingueret, deinde vt ſignificationes in vocibus, quae non vnam rem denotant, digereret diligentius, et quoad fieri poſſet, a propria et prima ſignificatione, quomodo ceterae ducerentur, ipſo ordine indicaret. Auxit etiam ſignificationum numerum e ſuis aliorumque obſeruatis. Sed maxime in hac parte laborauit hoc, vt accurate exponeret verba e praepoſitionibus compoſita, in quibus explicandis omnium adhuc Lexicorum ſtultia accuſanda eſt, tribuentium interdum praepoſitionibus aliquam vim, vbi ex vſu loquendi veterum nullam habent, aut falſam adeo, aut ita exprimentium, vt nemo intelligere poſſit. Denique ipſis verbis

locu-

locupletare hoc Lexicon ſtuduit. Additamenta Patriciana auxit iis, quae e ſuis lectionibus notata permulta habebat, item quaecunque viros doctos, in his Reimarum, V. cel. (in Dionem Caſſium indice) indicare repererat nondum in Lexicis prodita eſſe. Adhibuit denique Dan. Scotti appendicem ad Theſaurum Stephani Londini 1745 duobus voll. in fol. ad quam ſe caſtigationes editurum promittit. Sic verborum decem millium ſummam expleuit.

In altera parte, quae in reſoluendis vocabulis verſatur deleri curauit per idoneum virum ea, quae nemo vel quaerat, vel quaerere debeat.

Tertiam partem quae Latinarum vocum interpretationem graecam ſiſtit, plane ſublatam volebat vir prudentiſſimus: et ſuſtuliſſet, niſi intercesſiſſent librarii, qui eam rem ſuis rationibus putarent obfuturam, quod in ſcholis multis eius vſus eſſet. Sed ita ceſſit horum voluntati, vt totam hanc partem intactam relinqueret. Quem librarii commemorabant, vſum exagitat merito. Sed locum hic ipſum legi iuuerit.

„Audio ſane, eſſe hoc adhuc in nonnullorum „inſtitutis, vt tirones ſcholaſticos iubeant ſub„inde latina graece vertere, aut Epiſtolas, Ora„tiunculas, Carmina, graece ſcribere: eſſe etiam, „quod multo magis mirere, qui hebraice. Rem „agunt boni viri, vt leniſſime dicam, perinutilem

„et

„et abſurdam: non tam propterea, quod graece ſcribendi facultas nullum hodie vſum habet, „quamquam hanc quoque ob cauſſam, quam „quod ab hominibus iſtius aetatis, tam parum „in legendo verſatis, qui plerumque nil niſi ad „verbum interpretari perpauca didicerunt, qui „graecae linquae genium nullo modo cognitum habere poſſunt, ab his, inquam, quod vel „bonum, vel mediocre, ac non *ſtultiſſimum ſit,* „*effici nihil poteſt.* Attulerunt aliquoties iuuenes e Scholis in Academiam hanc delati, talia „graecae orationis ſpecimina: in quibus alia non „intelligebam, quae autem intelligebam, ita et „ſententiis et verbis vitioſa atque inepta reperiebam, vt riſum non magis tenere poſſem, quam „Eraſmus tenuiſſe traditur, cum Epiſtolas obſcurorum virorum primum legeret: cum interea „iſti ſe valde beatos crederent, et bene graece „ſcire putarent. Quare omni modo rogandi „ſunt magiſtri, ab Inſpectoribus autem ſcholarum „cogendi, vt illud tam inutile, tam noxium inſtitutum dimittant, et tirones potius graecis „ſcriptoribus melioribus legendis et accurate „cognoſcendis exerceant."

Ceterum nitide exſcriptum eſt hoc Lexicon Lipſienſe. Litteris minutioribus effectum, vt manualis nomen tueatur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXV.

DIE VENERIS, VII. CAL. OCTOBR. CIƆ IƆCCLXI.

LONDINO. XI. SEPT.

Die huius mensis octauo, hora post meridiem tertia, in viuarium S. Iacobi * delata Sponsa regia a Duce Eboracensi * * excipiebatur. Ante horti regii portam cum descendisset, obuiam ei properabat Rex: quem cum flexo genu venerari vellet, amplexabatur eam augustissimus, manuque adprehensa per scalarum gradus in palatium deducebat, ad sumendum cum gente regia, quae istuc conuenerat, prandium. Quo finito, relicto que consessu vesperi circiter sextam, ad cele-

Bb brau

brandum connubiale ſacrum conuiuae veſtiebantur.

* in St. Iames's Park.

** Herzog von York.

Sollemni poſt ordine ad ſacellum regium, hora nona, procedebatur. Praeeuntibus centum et viginti matronis illuſtriſſimis ſplendide ornatis, *Sponſam* comitabatur *Dux Eboracenſis*. Sponſae latus vtrumque claudebant virgines, Ducum filiae, ſex. Eius extremitates veſtis excipiebant* virgines aliae decem, Comitum filiae. In ſacellum delatam ſequebatur Rex ipſe. Ad altaria cum acceſſiſſet par auguſtiſſimum, conſecrandi caerimoniam adminiſtrabat Cantuariae antiſtes **. Sponſae parentis vicem exhibens celſiſſimus Cumbriae Dux Sponſo eam regio tradebat. Sub tegmine penſili *** conſederant Rex et Regina, *impoſito capiti inſigni regio*. Ex aduerſo in ſella honoraria **** ſedebat Regia Walliae Princeps, in ſellis ſine pluteo et brachiis ***** reliqua gens regia; ceteri ſubſelliis vtebantur.

* die Schleppe tragen.

** Erzbiſchof von Canterbury,

*** unter einem Himmel.

**** Lehnſtuhl.

***** Tabourets.

Finita, circiter decimam, caerimonia, poſtquam iactando tubulo igniuomo * ſignum eſſet datum,

datum, quaecunque in viuario, vrbisque turri ** dispoſita erant, tormenta excutiebantur. Coena hinc a Rege et Regina, genteque regia et aulae Proceribus ad horam diei primam ducebatur. Incredibile dictu eſt, quam ſplendide omnia, quantoque magnificentiae adparatu adornata fuerint.

* Rackete.

** Towr.

Poſtridie is erat aulae cultus conuentusque*, quo nemo temere ſplendidiorem viderit. Aderant Buſſius, Galliae legatus, ceterique Adminiſtri extranei. Superabatur etiam, quae pridie conſpecta fuerat, veſtium magnificentia. Succenſis lampadibus, et Regis palatium, et aedes per vrbem omnes illuſtratae erant; cunctisque vicis feſti collucebant ignes. Noctu ſequebatur celebritas ſaltatoria**. Choreas cum ſorore Auguſta ducebat *** Dux Eboracenſis.

* Cour bey Hofe.

** Ball.

*** den Ball eröffnen.

EX EADEM VRBE. XV. SEPT.

Nuper in conſilio ſanctiori ſubſcribendo nomine ſuo confirmauit Rex auguſtiſſimus mandatum, quod in precationibus publicis, poſtquam ſupplicatum pro Rege fuerit, Reginae quoque ſalutem Deo commendari iubet.

Iuſſu quoque regio die XII ſollemnium praeconum vocibus, inter tympanorum tubarumque concentus, declaratum in vrbis vicis maioribus fuit, die menſis huius viceſimo ſecundo futurum, vt vna cum Rege, impoſito diademate inauguraretur regia coniux Charlotta.

Ex litteris Hiſpanicis, in dies magis magisque confirmare ſtudebit Rex catholicus, quam adhuc cum aula Britannica amicitiam geſſit.

VESALIA. XVI. SEPT.

Sobiſii copiae, poſtquam per aliquot dies conquieuerant, ex die menſis huius duodecimo mouere coeperunt. Prima quidem acies hodie mane, Condatenſis * Principis ductu, ſtatiuis prope Recklinghuſium relictis, Tremoniam ** obtinet. Si famae credimus, primo quoque tempore ad oppugnandam Hammonam accedent Galli.

* Prinz von Conde.

** Dortmund.

HANNOVERA. XVIII. SEPT.

Vt nunc quidem rerum ſtatus eſt, omni cura prouideri debet, vt ne Hamelae quidquam deſit eorum, quae ad victum, ceteraque vitae ſubſidia pertinent. Numeroſum enim in ea vrbe alendum eſt praeſidium. Itaque eo vt omnis generis cibaria conuehantur, laniis, lixis, mercatoribusque immunitates varias publico illuſtriſſimi Conſilii edicto propoſitas videmus.

HAM-

HAMBVRGO, XXIII. SEPT.

Heri, quae apud nos versatur Societas mercatorum Anglicana, diem, Regis et Reginae Magnae Britanniae inauguratione festum celebrabat. Intererant laetitiae, praeter Administros extraneos, ex Magistratu delegati. Prandio inter sollemnes salutationes peracto, festiuorum ignium spectaculum vesperi praebebatur, Sonnini, praestantis architecti, artificio comparatum.

RES LITTERARIAE.

Quae in sacro codice hebraeo carmina leguntur, quod a ratione reliquarum gentium poëtica discedunt, occasio enata est eruditis inquirendi in naturam poëseos hebraeae. Varias de hoc argumento opiniones, ipsumque argumentum erudite persecutus est praestantissimus Carminum Dauidicorum interpres vernaculus Io. Andreas Cramer, Vir summe vener. postremis disputationibus parti Psalmorum primae subiectis. In illam rem diligentius reliquis inquisiuisse videntur duo Britanni: quorum alter, *Franciscus Hare*, Londini a. 1736 sententiam suam, edito Psalmorum Dauid. libro, exposuit; alter, *Robertus Lowth*, maiori etiam eloquentiae et eruditionis adparatu Oxonii a. 1753 edidit *de sacra poësi Hebraeorum praelectiones academicas*, quibus *metricae Harianae confutationem* subiecit. Lowthianum opus, splendide editum, quoniam magno pretio constabat,

 mino-

minori forma edere iam ante annos tres cepit Göttingae *Io. Dau. Michaelis*, Profeſſor Georgiae Auguſtae celeberrimus: ſuisque adnotationibus et additamentis, vt Oxonienſi exemplo hoc Göttingenſe longe praeſtet, effecit. Huius libri ita inſtructi et ornati cum pars prior comparuiſſet, mirifica exſpectatio commouebatur poſterioris, quam nunc inter medios belli ſtrepitus a viro eruditiſſimo perfectam videmus. Ambae partes duo alphab. cum dimidio fere complent.

Requirebatur ad librum ita adornandum vir eiusmodi, qui et ſolidam linguarum orientis ſcientiam haberet, et vim omnem poëſeos non ſentire tantum, ſed exprimere ipſe, et carmine reddere poſſet. Ab vtraque facultate qui aeque inſtructus ſit, atque eruditiſſimus Michaelis, nouimus neminem. Coniungit ille cum ampliſſima orientis litteratura, gentilicio decore, proprias ingenii politiſſimi, omnique elegantiori doctrina exculti virtutes, eumque diuinae artis vſum, vt in praeſtantiſſimis poëtis dudum numeretur. Pleniſſimam eius rei fidem faciunt adnotationes, tum illuſtranda ratione Lowthiana, tum vero emendanda, nonnunquam etiam refellenda. Vtraque dote Anglum ſuperat: ſed maxime linguarum cognitione, et ſubtili illo, accuratoque pulchri iudicio.

Quo tempore prima operis pars edebatur, Lowthium putabat iam fato functum eſſe: qua

re

re fiebat, vt sententiam de multis suam liberius, quam alias facturus fuisset, proferret. Postea in viuis adhuc asse auctorem resciuit. Itaque in partis secundae praefatione eum alloquitur ipsum, veluti lectorem adnotationum, eumque praecipuum et principem. Factum esse illo errore, facete addit, vt ipse nunc posteritatis de opere ipsius iudicio interesse queat. Quod sane eiusmodi futurum est, vt minime reformidandum videatur.

Praelectiones Lowthi sunt quatuor et triginta: quae vel de interiori Poëseos natura exponunt, vel externam hebraeae formam persequuntur. Quae in margine subiectae sunt doctissimi editoris notae, harum paucissimae in refellendo versantur, longe plurimae auctoris sententiam nouis cogitatis, selectisque exemplis illustrant, nonnullae ad linguae et grammatices rationem paullo propius pertinent. Praeter notas illas, disputationes nonnullas Lowthianis suo loco inseruit, quibus ea pertractat, quae ampliora videbantur, quam vt notis concludi possent. Harum quatuor numeramus. *Prima* de imaginibus carminum sacrorum ex mythologia poëtica arcessitis praecipit. Atque illa parti primae addita est. *Altera* earundem sententiarum diuersis vocabulis repetitarum vsum hermeneuticum definit, *Tertia* Psalmos vicesimum nonum et sexagesimum octauum interpretatur, quibus (vti et decimo octauo) insignem quandam prae reliquis sublimitatem tribuit. *Quarta* liber Iobi

vera-

verane historia, an ficta narratio sit, inquirit, eiusque simul aetatem, consilium et argumentum declarat. Desideramus tamen hic doctissimi Michaelis disputationem de poëseos orientalis ingenio; cuius latine conuertendae spem nonnullam fecerat.

Quae in explicandis Poëtis adhiberi subsidia possunt ex philologia, critica, *historia*, geographia, physica cet. *depromta*, ea hic ad declarandam carminum, tum vniuerse, tum singulatim, pulchritudinem ingeniose et diligenter adhibitae animaduertimus. Multis inde locis ante minus intellectis lumen illatum est clarissimum. Quam persequendi pulchri rationem si ad poëtas Graecos Romanosque transferre aliquando vellet sagacissimus Michaelis, meliora inde ornamenta sine dubio accessura essent auctoribus classicis, quam adhuc ex splendida forma chartaeque nitore eorum *plurimi* habent. Atque spes nonnulla est fore, vt ingenium excellens diligentiamque eo conuertat Vir in Romana lingua versatissimus. Certe demandatum ei esse accepimus, vt, dum vacat eloquentiae munus, de poëtis Latinis aliquem suis praelectionibus illustret. Idem in auctore Graeco facturus dicitur Heilmannus, sanctioris disciplinae Doctor, veterisque Graeciae interpres celeberrimus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque *in tabernis*, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXVI.

DIE MARTIS, III. CAL. OCTOBR. cIɔ Iɔcclxi.



HAFNIA. XXI. SEPT.

Coldingam ex aula noſtra proſpero itinere delati ſunt ſereniſſimi Haſſiae Principes. Quorum heri mater ibidem exſpectabur regiae celſitudinisPrinceps,Landgrauii coniux, Zella veniens.

PETROBVRGO. I. SEPT.

Proximo Solis die, qui menſis Auguſti triceſimus erat, relicto Peterhouio, Auguſtiſſima Imperatrix vrbem, hiemis receptaculum, repetiit. Aduentantem excuſſa in caſtello, et militiae naualis praetorio * tormenta ſalutabant.

* Admiralität.

LONDINO. XVIII. SEPT.

Quod paucissimi tam cito futurum putabant, iam euenisse fertur, vt Bussio in Galliam, in Angliam Stanleio reuertendum sit. Ille quidem modo valere iussit Pittium. Quin iam instructus esse lembus * dicitur, quo Caletum ** vehatur. De pacis conditionibus quae inter Pittium et Bussium acta sunt, publico scripto ab aula nostra aiunt expositum iri, vt, aequane an iniqua postulauerimus, orbi vniuerso pateat. Neque tamen illo Legatorum discessu omnes de pace deliberationes incidentur. Nec vero iam discessit Bussius.

* Schalupe,
** Calais.

EX AGRO HANNOVERANO. XIX. SEPT.

Nisi primo quoque tempore conuenerint pacis conditiones, propediem futurum videtur, vt grauissima inter copias foederatas et Gallicas pugna decernatur. Ad eam omnia iam praeparari a Ferdinando, auctoribus non contemnendis accipimus.

EX MEGAPOLITANIS. XXI. SEPT:

Die XVI. qui Gustrouii fuerant Sueci, trecenti Wismariam abierunt, equos, quibus instrui turmae possent, ad exercitum comitaturi*.

* die Remontepferde zu escortiren.

ALTONA. XXIX. SEPT.

Die mensis huius vicesimo quarto Guelpherbytum

bytum * accessit Closenius cum octies mille Gallis magnoque tormentorum adparatu. Vrbis praesidium, bis mille milites sunt, vt se dederet, postulauit. Quod cum futurum omnino negasset Stangius, praefectus, munimenta acriter verberare globulis coepit. Nitrato quidem puluere farti iam centum et quinquaginta iniecti erant. Zellam interea concessit vna cum celsissima gente, sereniss. Dux Brunsuicensis. Ex die XXV. Hannouera portas habuit clausas. Sobisianus exercitus magna vi in Westphaliam progreditur.

* Wolfenbüttel.

RES LITTERARIAE.

Die XXV Sept. in Christianeo academico praelectionibus aestiuis finis imponebatur disputatione auctumnali. *De origine idearum exercitationem philosophicam secundam* publicae eruditorum disquisitioni exponebant Praeses *D. Godofredus Prose*, Philos. atque Mathes. Prof. P. Christianei h. a. Director, atque Respondens, *Ioannes Henricus Fabricius*, Berne-Delmenhorstanus. Ex officina Burmesteriana, 4to.

Delatus erat Vir summe ven. in prima de origine idearum exercitatione ad trinitatem Platonicam. Itaque hic primum docet, qui illa de ideis somnia cum patefacta nobis diuinitus doctrina sanctoque diuinae Triadis mysterio com-

parent, quantopere vel in optima fide fallant, non Platonem ipsum, sed Platonicos iuniores secuti. Deinde reliqua de ideis obiectiuis, f. sensu physiologico sumtis, excussurus, philosophorum, qui a scholis ad maiores ecclesias erectis, *scholastici* dicti sunt, famosa de rerum formis atque ideis certamina componit, ex sanioris philosophiae principiis. Accurate hic versatur vir solide doctus in quaestione subtili tum tradenda, tum iudicanda, eaque perspicuitate, quam in praelectionibus ipsius insigni cum fructu suo praedicare auditores solent.

In fine, praeter *additamentum miscellanearum positionum*, sunt congratulationes, quibus Fabricium, ingenio nobis et animo amabilem, prosequuntur, qui in contrarias partes disputabant, iuuenes ornatissimi, C. W. Deutsch, I. Zoëga, A. A. Thiessen.

Laudauimus libello superiori XXV Lowthum de poësi Hebraeorum disserentem. Laudanda etiam est Musa Lowthiana. Ita nobis placuit redditum ab ea carmen triumphale Israelitarum, quod Iesaiae Cap. XIV 4-27 legitur, vt cum celeberrimo editore, qui in Relationum Götting. fasciculo decimo iudicium de illo opere tulerat, non dubitemus affirmare, aut poëtici adflatus omnino exsortem esse, aut latina non intelligere, si quem illud non delectet, lectumque iterum legere iuuet. Ergo

Ergo insolentis corruit Imperi
Insana moles? occidit vrbium
Regina victrix, nec subacto
Effera iam dominatur orbi?

Fastus tyranni contudit impios
Iehoua vindex, sceptraque ferrea:
Qui verbere haud vnquam remisso
Fregit atrox populos gementes.

Nunc ipse diras iure subit vices.
Pacata tellus vndique gaudio
Exsultat effreni, et solutos
Ingeminat sine more cantus.

Secura summis stat Libani in iugis
Ridetque cedrus: sicne iaces ferox!
Iam nemo saeuam, te iacente,
Per nemorum dabit alta stragem.

Te propter imis concita sedibus
Nigrantis Orci magna fremit domus:
En! luce defunctos tyrannos
Sceptrigeras soliis ab altis,

Exciuit vmbras, hospitis in noui
Occursum euntes. Tene etiam, occupant,
Te viribus, te luce cassum
Conspicimus, similemque nostri?

Orbumque faſtu? non comitum frequens
Deducit ordo: non tuba, non lyrae
Concentus; at ſqualentis Orci
Nox premit et taciturnus horror:

At turba circum plurima vermium
Feruet, pererrans membra licentius,
Foedumque tabo diffluentes
Laeta cohors populatur artus.

Vt decidiſti coelitus agminis,
Eoe, clarum ſiderei decus!
Vt decidiſti, qui domabas
Victor ouans populos trementes!

Nuper minatus: ſcandam ego nubila;
Stabo Sionis culmine in arduo
Sublimis, et qua ſpectat Arcton
Arce ſacra ſolium locabo:

Subiecta calcabo aſtra, premens polum,
Terramque torquens numine, par Deo.
At dura te leti profundo
Vis cohibet barathro iacentem.

Ac forte quisquam conſpicit auio
Deforme corpus litore: ſtat diu
Incertus, admotoque pronus
Lumine, te propius tuetur.

Mox

Mox infit: hic eſt, quem fuga, quem pauor
Praeceſſit? hic, quem terricolis grauem
Strages ſequuta eſt vaſtitasque? hic
Attoniti ſpoliator orbis?

Indigna regum colla graui iugo, et
Duris catenis ſubiicere inſolens,
Lateque diffuſa ruina
Per laceras equitare gentes?

Reges, tyrannique, et validum ducum
Manes ſuperbi, non ſine gloria
Conduntur omnes, et repoſti
Sedibus in patriis quieſcunt:

At te ſupremis mortis honoribus,
Vili carentem munere pulueris,
Inter cadentum turpe vulgus
Sordidum et indecorem ſepulcris

Egere auitis: te, quia patriae
Tuisque iniquum; te, quia gentibus
Fatale portentum. Malorum
Nullus honos cineres ſequetur;

Poena immerentes ob patrium ſcelus
Natos manebit. Funditus impiam
Delete gentem, ne ſuperbos
Proroget vlterius triumphos:

Nam-

Namque ipse consurgam, omnipotens ait,
Et nomen exstinguam Babylonium,
Stirpemque, natosque, vltimasque
Relliquias generis nefandi;

Vrbemque diris alitibus dabo
Ferisque habendam: vasta teget palus
Demersam, et aeterno profunda
Obruet exitio vorago.

Dixit sacramentum inuiolabile
Iehoua: sic stat consilium; hic tenor
Fatique non mutandus ordo,
Terminus hic stabilis manebit:

Frangam superbas montibus in meis
Vires tyrannorum; eripiam truci
Iugo laborantes, meorumque
Ex humeris onus amouebo.

Iehoua dixit: quis dabit irritum?
Gentes in omnes hanc Pater en! manum
Extendit: extentam Iehouae
Quis poterit cohibere dextram?

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, nummos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXVII.

DIE VENERIS, VI. NON. OCTOBR. cIↃ IↃCCLXI.

LVTETIA PARISIORVM. XXV. SEPT.

Die XV Lunaeuilla profectus Verſalias proſpere aduenit Stanislaus Rex, Ducatuum Lotharingiae et Barrenſis dominus. Poſtridie eius diei Princeps a Galliczin, Auguſtiſſimae Ruſſorum Imperatricis cum auctoritate legatus *, facta audientia, diſceſſus cauſſa vltimum conueniebat ** Regem, Reginam, Delphinum, et reliquam gentem regiam. Adelaida et Victoria, Principes regiae, die XXIV Aquas Plumbarias *** relinquent, huc rediturae.

* bevollmächtigter Miniſter.

** hatte ſeine Abſchiedsaudienz.

*** Plombieres.

Dd   Quae

Quae pacis reconciliandae ſpes erat, ea omnino diſceſſiſſe videtur. In eius locum ſucceſſit, omniumque animos occupauit proſequendi, quanto adparatu poterit, belli cura. Per hoſce dies ab aula ſua litteras accepit Stahrembergius Comes, legatus regius et imperatorius, quarum die proximo copiam fecit Duci a Choiſeul. Qui ſimul ſignificaſſe dicitur, auguſtiſſimae Reginae imperatrici ita iam prouiſum eſſe, vt, ſi huius anni expeditione nondum repreſſae viderentur opes Pruſſicae, futurum, vt aeſtate, proxima ad eas accidendas maior etiam vis adhiberi queat.

Diremtae ſunt quae inter Imperatorem Turcicum et Equites Melitenſes exſtiterant, controuerſiae. Erant illae de reſtituenda naue praetoria. Quod cum durum viſum eſſet Melitenſibus: redemtam Rex nauem Turco reddidit. In ancipiti grauique periculo verſabatur res Melitenſis. Quae contra hoſtem parabatur defenſio, longe minor futura erat, quam quae vi Turcicae, ſiquidem initio prorupiſſet, ſufficeret propulſandae. Ex eo autem tempore omni opere firmata ſunt inſulae propugnacula: praeſidiarii etiam ad vicies mille amplius aucti.

VINDOBONA. XVI. SEPT.

Die XIII memoriam obſidionis Turcicae, qua a. 1683 auſpicato liberata fuit haec imperii ſedes, ſollemni ritu celebrauimus. Ex arce Schönbrunnenſi in templum aulicum Auguſtinianorum

rum se conferebant Imperator, Regina imperatrix, Principes imperatorii bini, Iosephi Archiducis coniux, et celsissimae principes quatuor natu maiores Inde ordinis sacri, tam superioris, quam inferioris, pompa, comitante Legato pontificio, magnoque nobilium ex aula et prouinciis numero, ad S. Stephani procedebat. Intererant ibi Augustissimi orationi sacrae sollemnique ad altaria supplicationi*. Peracta re diuina, terna militis praesidiarii excutiendis sclopetis salutatio fiebat, terque audiebatur tormentorum in aggeribus fragor. Finitis caerimoniis, aula campestri ornatu**, nobilium stipata cohorte Schönbrunnense palatium repetebat. Vesperi comoediae Gallicae opera dabatur.

* dem Dank- und Lobamte beywohnen.

** in Campagnestaate.

PASSAVIO. XVIII. SEPT.

Eorum, qui in spem venerunt consequendae infulae* Passauiensis, confidere prae reliquis debere videtur Celsissimus Poloniae Saxoniaeque princeps Clemens: eoque magis, quod aula imperatoria ipsius studere dignitati perhibetur.

* Bisthum.

STVTGARDIA. XII. SEPT.

Institutum hic a serenissimo Duce videmus Pictorum, sculptorum et architectorum academiam: cuius Tutor ipse ac Protector esse voluit. Conuentibus obeundis destinata sunt quaedam

noui palatii conclauia. Quicquid ad Academiam rei grauioris pertinet, de eo ad Protectorem referet curator primus Bilfingerus, Serenissimi a consiliis regiminis. Artificum, qui serenissimo Duci operam suam condixerant, praecipui senatum academicum constituunt. Ex illis sexto quoque mense deligitur Rector. Iidem binis quotidie horis publica opera et gratuita picturam linearem * docent. Tironum classes duae sunt: altera eorum, quibus vel e gypso facta, vel alia ad imitandum exemplaria proponuntur; altera eorum, qui ex natura ipsa viuoque exemplo veritatem in simulacrum transferunt. Quotannis die sereniss. ducis natali, praemia distribuentur. Mensibus vero singulis semel quidem certe celebrandi sunt conuentus ordinarii. Peculiare quoque sigillum Academiae tributum est. Denique alii etiam, sociorum nomine, adscribi Academiae possunt.

* Zeichnen.

RATISBONA. XXI. SEPT.

Concilii Augustani spes extenuatur, et tantum non euanescere ad tempus aliquod videtur. Administer quidem Prussicus, Liberbaro a Plotho, quos Augustam Vindelic. miserat, equos huc reduci iussit. Complura etiam vehicula Seyleri Comitis, aulae Vindobonensis cum auctoritate legati, supellectilem inde revexerunt. Huius coniux Vindobonam propediem petet: vnde argumentum ducunt, fore vt maritus ibidem aliquam diu commoretur. *EX*

EX AVSTRIACORVM PRAETORIO FREYBVRGENSI. XIII. SEPT.

Ex quo discesserunt Russi, nihil apud nos magnopere contigit praeter hoc, quod Draskowitius Weydendorfium versus cum agmine suo mouit; Luczinskius autem ad communem imperii exercitum reuertit. Hesterno die castra communita reliquit Rex Prussiae ita, vt paullo nunc propius a nobis absit.

EX TRACTV VIADRINO. XXVIII. SEPT.

Nouissimus ex Silesia nuntiis si fides habenda, (neque enim ea satis praestari potest), Saxoniam versus mouere coepit Austriacorum exercitus; eodemque sequi discedentem cogitat Prussiae Rex. Interim in Silesia manebit agmen Czernicheuianum.

EX VISVRGIS VICINIA. XXV. SEPT.

Holtzmindae adhuc degit Broglius, ibique Visurgim transiturus putatur. Spörkii copiae, seruandi hostis caussa, ad Huxariam pariter consistunt.

Ante dies aliquot Brunsuicensium equites Vngari interceperunt magni pretii ad cultum elegantiorem merces*, quae aliquo transportabantur. In illis ducenta ex auro erant horologia.

* Galanteriewaaren.

ALTONA. II. OCTOBR.

Vera fuerunt, quae de Closeniana ad Guel-

phcrbytum expeditione nuper referebantur. Per horas quatuor vrbem verberarunt Galli. Quam cum defendi fortiter intellexissent a Stammero, summi ducis vicario; eodem, quo venerant, die retrocesserunt.

RES LITTERARIAE.

Eam inter eruditos nominis famam consecutus est Langletus Fresnoius, vt non possint non cupide legi qui Lutetiae Paris. apud Duchesnium de Vita et scriptis eius commentarii prodierunt. *Memoires pour servir à l'Histoire de la vie et des Ouvrages de Monsieur l'Abbé Lenglet du Fresnoy. Nil admirari prope res est vna, Numici, Solaque quae possit facere et seruare beatos. Hor.* Plag. 9 et dimid. formae duodec.

Quin eo vtiliores et iucundiores esse commentarii illi debent, quod eorum auctor ante oculos habuisse videtur praescriptos Horatii versiculos. Cum enim plerique vitarum scriptores laudationes potius, quam veras historias componere, et ea praecipue congerere soleant, quae admirationem virtutis et eruditionis habeant: hic sine vllo partium studio et Langleti et eius scriptorum tum virtutes, tum vitia commemorauit.

Natus erat Langletus Fresnoius Bellouaci * a. 1674. Lutetiae Parisiorum ad sanctiorem disci-

disciplinam tanto studio tamque felici successu incumbebat, vt anno aetatis vicesimo secundo eruditam ederet confutationem *Mysticae ciuitatis dei*. Post a litteris sacris subito animum studiumque ad politices et historiarum cognitionem conuertit. Atque eadem fere ratione deinceps conuersis semper studiis reliquos scientiarum veluti campos ita peruagatus est, vt ad Chemiam quoque deferretur.

* Beauvais.

A. 1715 Insulas * ad Principem Electorem Coloniae ablegabatur: neque minus gratiam inibat Eugenii principis. Sed cum libertatis amans alterius esse nollet, munus aulicum capessere recusabat. Illudque vitae nullius seruitio adstrictae institutum inter varias fortunae vicissitudines constanter retinuit. Longe plurima, vt pecuniam sibi ex libris faceret, conscripsit. Neque aliorum scrinia compilare atque praedari adeo, dubitauit. Stilo vtebatur libero admodum et mordaci: quo fiebat, vt nullum ei tempus a litibus et cum ceteris scriptoribus controuersiis vacaret, ipseque velut domicilium haberet Castellum illud Parisinum **. In scriptis eminet illud, quo discendae historiae rationem tradidit, (*Methode pour aprendre l'Histoire*). Vastam sibi diffusa lectione eruditionem compararat, neque intra legitimos fines conclusam. Die 16 Ianuarii a. 1755 cum camino propius adsidens inter legendum dormitasset, in ignem

incidit,

incidit, quo grauiter aduſtus mox periit. Librorum, quos vel ipſe confecerat, vel ab aliis conſcriptos ediderat, indicem hic ſatis plenum perfectumque videmus. Atque etiam Langletiana promittit auctor, ex libellis eius manuſcriptis nec dum editis congerenda.

* Ryſſel.

** die Baſtille.

Lugdunenſi Batauorum academiae graue nuper vulnus inflictum eſt. Die XIX huius menſis, anno aetatis ſexageſimo nono obiit *Petrus a Muſchenbroeck*, artis ſalutaris doctor, et philoſophiae ac matheſeos Profeſſor longe celebratiſſimus. Adſcriptus erat vir ingenio et experientia ſummus academiis ſcientiarum quotquot naturae indagandae ſtudio clarent. Neque vanum inde ſibi titulum, nominique additamentum captabat, ſed ſuis eas ſcriptis et conſiliis ornabat. Ad eum audiendum ex remotiſſimis Europae regionibus confluebant homines interioris ſcientiae ſtudioſi.

Ex Göttingenſi Academia perſcribitur, auctum eſſe a Rege M. Britanniae Conſiliarii aulici dignitate virum celeberrimum *Ioannem Dauidem Michaelis.* Quem honorem quemadmodum gratulamur Viro meritiſſimo, atque litteris adeo: ita, vt diu ipſe ornamento ſit Georgiae Auguſtae, orbique eruditorum toto pectore cupimus.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXVIII.

DIE MARTIS, PRID. NON. OCTOBR. CIƆ IƆCCLXI.

REGIOMONTE NORVAGORVM, XVIII. SEPT.

Hesterno die, templum apud nos recens instructum, et Friderici nomine insignitum sacro ritu inaugurabatur: futurum illud monimentum pii studii, quo FRIDERICVS rex quaecunque ad summi Numinis cultum pertinent augere ac prouehere annititur quam munificentissime. Peragebatur a dedicationis caerimonia hunc in modum. ane disposita in montanis tormenta viginti septem excutiebantur. Ciuium cohors cum centurionibus suis ad templum progressa, postquam gradum stitisset *, ternam sclopetis salu-

tationem faciebat **. Hinc aes campanum pulſabatur, celebrandi templi ſignum. Interea temporis, qui in metallis operantur more ſuo veſtiti cum laternis aderant. Aera iterum mota excuſſaque nouem tormenta in templum conuocabant coetum. Inaugurandi cauſſa explicabatur pro concione a Nannenſtadio, Praeſule eloquentiſſimo, Ieſaiae II. comma 3. orationemque excipiebant precationes publicae ac ſollemnes. Poſt inter concentus muſicos dona muneraque ſua conferebant Helzenius, Regis a conſiliis ſtatus, idemque ſummus rei metallicae praefectus *** neque minus reliqui fodinarum praefecti ****, vrbisque ciues Facta re ſacra, ciuibus metallicisque ſub ductoribus ſuis ordine collocatis *****, tormenta, vt ante, excutiebantur. Denique perilluſtris Helzenius menſa excipiebat Praeſulem, et praefecturae metallicae ſocios triginta conuiuis adparata. ******

* Halte machen.
** Salve geben.
*** Berghauptmann.
**** das Oberbergamt.
***** unter Paradirung der Bürgerſchaft und Bergleute.
****** Tafel von 30 Couverts.

PETRCBVGO. VIII. SEPT.

Ex Turciae confiniis accipimus, Tartarorum principi * non ſatis proſpere ceſſiſſe quam in Circaſſos ſuſceperat, expeditionem. In Sinenſium confiniis exorta eſt inter Calmuchos Mongalenſes

galenses discordia, nec dum sedata. Calmuchia Princeps, cuius per turbas illas occisus fuit maritus, huc venit, aulae nostrae fidem imploratura. Non consequetur quae volebat, Teimuras, Georgiae Princeps, cuius Heraclius filius in primis regni Persici aemulis esse perhibetur. Aduenerat is, manum sibi conscriptorum militum * ab aula nostra expetiturus. Nimirum suspicionem mouere Turcis nolumus.

* regulaire Truppen.

Discessit hodie comes ab Esterhasy, Imperatoris Rom. Germanici legatus. Salutandae Imperatricis officio ante dies aliquot perfunctus, ingentis pretii munera ab eadem tulit, pyxidem clarissimis gemmis distinctam, effigiem augustissimae, annulum decis mille solidis Russicis * aestimatum, pulchram denique pellem Sibericam **.

* Rubel.

** Zobelpeltz.

Die solis, in aulae celebritate Legatorum Danici et Hispaniqi coniuges in conspectum Augustissimae primum adducebantur a Comite Woronzouia, superiori aulae magistra*.

* Oberhofmeisterin.

Diem hic decimum quintum agit Tottlebius Comes. Nefarium ipsi cum hoste litterarum commercium fuisse, res est exploratae veritatis.

Neque tamen adhuc, quod in eiusmodi re fieri solet, peculiare ab aula propositum edictum videmus. Grauiter aegrotat. Quo ipso magis etiam commouebitur illa tote orbe celebrata Imperatricis clementia, vt aliquid ex merita poena remittat.

Mercatoribus Russicis, quos proximo incendio ingentem iacturam fecisse constat, subuenict aulae liberalitas. Damni haec partem tertiam compensare, promptuaria etiam rursus exstruere decreuit.

Aestate hic suauissima vsi sumus. Fuerunt per complures dies calores, quales esse sub aequatore solent. Sed minus celebrem vidimus nauigationem: exinde fortasse, quod illa incendii damna veris maiora et nostrates et extranei crediderunt.

EX VISTVLAE VICINIA XXI. SEPT.

Qui die mensis vndeuicesimo Posnania venerat, cursor numerosum agmen Prussicum nuntiauit Glogauia maiore profectum in Poloniam irrupisse: ab eo quae Kobylini, Gostini et Schremii erant promtuaria bellica, disturbata fuisse omnia; praesidiarios Russorum milites partim occisos, partim captos, tormenta etiam plurima abducta. Kobynium ipsum die decimo quinto incendio consumtum narrant. Posnania Thorunium tempore concesserat praesidium Russicum cum aerario militari.

DRES-

DRESDA. XIX. SEPT.

Ex quo caſtra mouit Ruſſorum in Sileſia exercitus, multa et in hoc tractu, et apud hoſtes agitantur. Die XV rem piſtoriam *, et impedimenta grauiora Torgauiam verſus deduci iuſſit Henricus Princeps. In cuius exercitu omnia ſunt ad iter paratiſſima. Diebus XV et XVI Dippoldiswaldenſis ſtatio, cui praeeſt Haddickius, multis praeſidiariis aucta confirmataque fuit. Illam auxilio deſtinari communibus Germaniae copiis, coniectura ducimur, vt credamus. Ad Albim ſtationem hoſtium, quae quadraginta amplius equitum erat, interceptam fuiſſe, fama peruulgat.

* die Bäckerey.

Rupe regia * Pirchius nuper ſummi ducis vicarius, praeſidiique praefectus, mortem obiit valde ſenex. In cuius locum ſuccedet qui Warſouia exſpectatur Spoerkenius.

* Königſtein.

EX CASTRIS AD COLBERGAM. XX. SEPT.

Heri praeſtructum operibus munimentum * ab hoſtibus, decem cohortibus adductis, tentabatur **. Vehementiſſima erant tum e tormentis, tum e ſclopetis fulmina per horas quinque continuas. Locum nihilominus obtinuerunt noſtri. Completus eſt ſtrage campus. In occiſis numerari dicuntur Dolgoruckius Princeps, multique militum praefecti. Legio quoque gra-

nata iaculantium, quam praeſtantiſſimam hoſtes habebant, tota conciſa fertur. Quinque nos praefectos militares cum trecentis gregariis cepimus. Hoſtium tria millia minimum vel caeſa, vel capta ſunt. Noſtrorum vix trecenti deſiderantur.

* eine Redoute.

** ward beſtürmet.

RES LITTERARIAE.

Quemadmodum omnis naturae indagatio noſtra aetate maiora in dies incrementa capit: ita ſubtilior etiam illa et interior, in qua Chemia elaborat, eximio quodam ſtudio excolitur. Neque tamen qui in hoc genere verſantur vel auctores ipſi, vel libelli eiusdem omnes pretii ſunt. Vanos reperias adhuc multos ac nugatorios: quique inter illos boni ſunt et laude digni
- - apparent rari nantes in gurgite vaſto.

In praeſtantiſſimis Chemicis numerari hac memoria ſcimus *Marggrafium*, virum illuſtrem: neque dubium eſt, quin ipſius ſcripta, quorum nunc pars prima prodiit, eruditorum ſuffragiis comprobentur. *Andr. Siegm. Marggrafs, Directors und Chymici der Königl. Preuſſiſchen Academie der Wiſſenſchaften, und der Churmaynz. Academie nützlicher Wiſſenſchaften ordentlichen Mitglieds, Chymiſcher Schriften erſter Theil. Berlin, bey Arnold Werner, Buchhändler.* 1761. Alphabetum complent formae octauae mai.

Eru-

Erudita librum praefatione, lectuque dignissima, commendauit, qui ipse in chemicis praeclarum nomen sustinet, D. Joh. Gottlob Lehmann. Viginti quinque iam anni sunt ex quo obseruationes suas cum regia scientiarum Academia Berolinensi communicauit Marggrafius, in Miscellaneis et Commentariis academiae legendas. Earum nonnullae Germanice conuersae, tametsi satis negligenter hic atque illic, variis etiam libellis insertae comparuerunt. Sed cum essent, qui Marggraffiana separatim collecta optarent (neque enim cuiusuis est coëmere Commentarios Academiae omnes, neque legere eos potest, nisi linguae Gallicae gnarus); ipseque auctor haud pauca haberet recentissime reperta, nec dum edita: suasores ipsi erant tum Lehmannus, tum alii, vt colligendi edendique laborem ipse susciperet. Atque illi studio debentur quae hic in vnum fasciculum collectae sunt, tractationes auctae et emendatae.

Viginti numero sunt, tum principiis suis instructae, tum experimentis perspicue copioseque descriptis probatae. Mineralia, quae Physicorum consuetudo vocat, hoc est, ea, quae ex venis terrae nascuntur, hic potissimum examinata videmus. *Prima* in aeris illius, quod Platinam del Pinto dicunt, naturam inquirit. *Secunda*, *tertia*, *quarta* de Phosphoro exponit. *Quinta sexta*que argenti, aliorumque metallorum solutionem explicant. *Septima* experimenta Lapidis Lazuli

Lazuli refert. *Octaua*, *nonaque* de Sale alcali fixo minerali tanquam basi ſalis communis tractat: quo etiam *decima* pertinet. *Vndecima*, *duodecima* et *decima tertia* in explicanda aluminis natura verſantur. *Decima quarta* in oleum cedrinum inquirit. In *ſequenti* obſeruationes quaedam chemicae inſigniores adferuntur. *Decima ſexta* de Zinco, quod dicunt: et *decima ſexta* de purando per acidum ſalis argento experimenta tradit. *Sequentes duae* aquae naturam indagant. *Viceſima* denique de formicarum oleo expreſſibili, earumque Acido inſcribitur.

Partem hanc ſcriptorum primam excipiet ſequenti tempore altera, in ſimilibus tum obſeruationibus tum experimentis verſatura. Quam eo cupidius exſpectabunt naturalis diſciplinae cultores, quo maiores ex eiusmodi naturae explicatione, ita, vt hic factum eſt, expoſita, ad multas vitae partes, vtilitates commoditatesque capiuntur. De quibus, quod ad partem hanc primam attinet, prudenter et conſiderate ſententiam tulit Lehmannus, Praefationis auctor.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXIX.

DIE VENERIS, VII. ID. OCTOBR. cIↄ Iↄcclxi.

HAFNIA. II. OCTOBR.

Abhinc dies octo, in templo Reformatorum coetui dicato initiabatur, anno aetatis tricesimo sexto, homo Indus ex Guinea oriundus. Inter sponsores ad fontem sacrum * erat, qui eum ex India adduxerat, Malleuillius, centurio. Administrabatur ritus Stubenrauchii manu, verbi diuini praeconis, qui oratione explicabat locum Genes. IX, 27.

* Gevattern.

ROMA. XII. SEPT.

Purpuratorum designatio in proximum No-

uembrem reiecta eſt. Galeri** interea, quibus ornentur, Pontificis veſtiario*** iam illati ſunt. Superiori hebdomade, facta audientia, ab Alexandro, Franciſcoque Albano, patribus purpuratis, delata ad ſummum Pontificem dicuntur nomina eorum, quos ſacrae dignitati deſtinarunt, aulae Principum. Qui a Luſitaniae rege conferri galerus ſolet, de eo ante deſignationem, quam diximus, nihil conſtituetur. Quo ipſo patet, relinqui a ſummo Pontifice reconciliandae gratiae locum, quin eam adiuuari adeo.

* die Kardinals-Promotion.

** Kardinals-Hüte.

*** Garderobbe.

Die menſis viceſimo patres ſacrorum rituum cauſſa congregandi publice proponent in templo Vaticano edictum, quo beatorum ordinibus inſeretur *Barbarigo*, purpuratus quondam pater: iamque parantur impenſis pontificiis, quae ad illam caerimoniam pertinent. Vitam quidem Barbarigi, Latine et Italice a Giacometto et Sagriſtano conſcriptam, typis iam excudi ſummus Pontifex curauit.

LVTETIA PARISIORVM. XXV. SEPT.

Aulam noſtram rumor eſt, conuocato di XVII Sept- Verſaliis conſilio ſanctiori, miſiſſ curſorem cum litteris, quibus Büſſius Londin reuocetur. Itaque non ſolum, ne bellum duca tur, verum etiam ne latius diſpergatur, ve

ren

dum omnino est. In terras quidem Brunsuicenses expeditionem, si vel maxime occupatio earundem sequatur, nondum suffecturam putamus alendis per totam hiemem copiis. Praeterea facultatem habiturus videtur Ferdinandus Princeps impediendae vel tollendae adeo illius inter Cassellas et Francofurtum communionis.

MONACHIO. XXIV. SEPT.

Quae ab incolis Pirbaumensibus Ratisbonam delatae sunt, religionis sacrorumque caussa, querelae, de illis cognoscere aula nostra constituit. Quo consilio Bauaricus Ratisbonae legatus, Liberbaro a Schneid, cui caussam Princeps Elector commisit, primo quoque tempore in rem praesentem venturus dicitur.

EX HASSIA. XXIX. SEPT.

Brogliani exercitus maxima pars ad Cassellas adhuc subsidet, tormentis vrbis tecta *. Quas ab exercitu copias seiunxit summus Castrorum praefectus, Visurgim versus misit, vt in terras Hannoueranas iterum faciant irrumpendi periculum. In agris illis primo mansiones temporariae ** erunt. Cum illis nunc copiis ipse Dux versatur, Cassellis profectus.

* stehet unter den Canonen.

** Cantonnirungs-Quartiere.

Foederatorum excursiones per Wetterauiam omnem vltraque Friedbergam tendunt: milites-

que illos leuiter armatos, quo fieri modo poteſt, adiuuat Ferdinandus dux: inde factum eſt, vt rem ſatis adhuc proſpere gererent. Illud in primis agunt, vt Gallis victum omnem commeatumque praeripiant. Die XIV miſſos a Gallis curſores duo interceperunt, illisque additum comitatum * hominum quindecim vel conciderunt, vel diſiecerunt. Biduo ante in vicinia noſtra prope arcem Weiſſenſtein acrior velitatio ** oriebatur inter milites Gallos et Scotos montanos ſeptuaginta. Initio quidem ſuperiores Scoti erant: poſt Galli, ſuppetiis aucti, circumueniebant Scotos, qui poſtquam, exhauſtis ſclopetorum farturis ***, quam pertinaciſſime eorundem manubriis **** propugnaſſent, dedere ſe cogebantur. Poſtridie reddebantur commutatione *****. Gallis illa velitatio hominibus paene centum partim occiſis, partim vulneratis conſtitit.

* Eſcorte.

** Scharmützel.

*** ſich verſchieſſen.

**** Flintenkolben.

***** wurden ausgewechſelt.

Die XXVI aduecta foederatis tormenta grauiora ſuſpicionem confirmant eorum, qui Caſſeliis aliquid inſtare coniiciebant. Vrbis certe praeſidium ad eam defendendam quam diligentiſſime omnia inſtruit. Prope Wolfsanger variae munitiones vallares *, et ad Fuldae ripam

poſ

post circitorum viam loricae ** parantur. Sed similia fere parant etiam foederati in cliuis *** Wilhelmhusanis, quod exinde tormentis adpeti **** via Mündensis potest.

* Retranchements.

** Brustwehre.

*** Anhöhen.

**** bestrichen werden.

GRÖNINGIA. XXX. SEPT.

Ex Frisia Orientali qui fuga sibi prospexerunt quotidie fere huc veniunt. Eandem Galli, tributis, quae volebant, exactis, reliquerunt. Vrbem a viciniae agricolis defendi audimus, qui vt hostibus discessus quam difficillimus efficiatur, qua fieri potest diligentia, procurant.

RES LITTERARIAE.

Nudius tertius in auditorio Christianei maiori praelectiones suas in *philosophiam moralem* Oratione *de variis circa hanc disciplinam quaestionibus* auspicabatur Vir praenob. ampl. et doct. *Ioannes Bernhard. Basedow* P. P. Sollemnem conuentum proposita tabula indixerat D. Godofredus Profe, Christ. acad. h. a. Director.

Gratulantur sibi Musae Christianeae nouum hoc, quod in viro eruditissimo ex Sorana academia acceperunt, ornamentum. Celebrata dudum sunt soli iisque scriptis testata ipsius in

doctrinam moralem merita. Orationem, quam non ſine voluptate audiuimus, doctam illam et latinam, vt typis exſcribi velit eloquens orator, vehementer optamus.

Laetum ſtudioſis Iuuenibus feſtumque diem fuiſſe, vel ex concentu muſico veſpertino intellexinus, quo hilaris eorum pietas noui Doctoris auſpicia proſequebatur.

Lipſiae, heredum Heinſianorum impenſis prodierunt C. C. S*** *Carminum libro duo.* Vita verecunda eſt, Muſa iocoſa mihi. Ouid. Plag. 6. forma octaua.

Litteris, quas titulus praefert, *Carolum Chriſtianum Schillingium* ſignificari, Lipſienſis academiae ciuem, pag. 55 diſcimus. Decem et quatuor carmina ſunt, fauente Minerua, feliciqne veterum imitatione facta, ita vt Propertii, Tibulli, Ouidiique diſcipulum facile agnoſcamus. Varii generis hic querelas legimus, delicatiores nonnullas, iocoſas, ſerias, iucunda omnes facilitate, neque minus ingenii dote commendabiles. Carminis vndecimi, in grauem auctoris morbum, partem aliquam proferre liceat.

Mors, precor, immatura meae, mors parce iuuentae,
Non ego, moroſi ſint tua praeda ſenes.

En,

En, quam ſaepe vocant, longi quos poenitet aeui,
Si bene procedas ordine, tutus ero.
Me decet Idaliam capiti circumdare mirtum,
Nympharumque choris inſinuare manus,
Et cupidis doctos oculis luſtrare libellos,
Vmbra vbi pampineis decidit e foliis.
Sic tua laus alios inter fortaſſe canetur,
Inſerti numero, me quoque vate, Deum.
Verum vbi candeſcent rara niue tempora, et aetas
Me prohibet Fidibus ludere ſera ſenem,
Cum ſpernam triſtis citharas, fugiamque choreas,
Et mihi erit duro non leue crimen amor;
Tum licet iniecta conſtringere membra catena,
Tum tremula nigra cingere nube caput.

Neque laudem non merentur quae inde a pag. 53 ſequuntur, Epigrammata. Graecum illud Moſchi, quod habet Anthologia, ita hic redditum eſt.

In Amorem Agricolam.
Peram humero impoſuit, poſita facula atque pharetra,
Et ſumſit ſtimulum pernicioſus Amor.
Credidit et Cereris foecundo ſemina ſulco,
Subiecitque boum fortia colla iugo.
Tum facie in caelum verſa: Aut plue, Jupiter, inquit,
Europae aut cogam ſub mea aratra bouem.

Extre-

Extremum opuſculi carmen Ode eſt ad Muſam, pulchra et in diſſimili genere reliquis carminis ſimilis.

Lutetia Pariſiorum perſcribitur, Regi nuper, Reginae, gentique regiae oblata a *Buffono* fuiſſe *Hiſtoriae naturae*, quas recens compoſuit, partes, octauam et nonam, atque ab iisdem cum inſigni beneuolentiae ſignificatione acceptas. Ex Callico ſermone eleganter conuerſas habemus operis eius partes priores: quas proximo mercatu verno octaua ſequetur.

Magdeburgi ſub finem menſis proxime elapſi deceſſiſſe accipimus *Boſium*, Profeſſorem ante hac Academiae Wittebergenſis cum ſcriptis ſuis, tum experimentis electricis celeberrimum. Dolebunt nobiscum quicunque litterarum litterarumque amore tanguntur viri doctiſſimi fata. Obſidione Wittebergenſi incendio amiſerat domum et quidquid habebat rei familiaris, et, quod Phyſico longe etiam grauius erat, pretioſum machinarum inſtrumentorumque adparatum, bibliothecam denique copioſam, ac quae editurus erat a ſe conſcripta. Magdeburgum delatus militari manu, et in cuſtodius incluſus ipſe periit.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXX.
DIE MARTIS, III. ID. OCTOBR. CIↃ IↃCCLXI.



PARMA. XI. SEPT.

Macineſſi, qui vicus tredecim Placentia lapides diſtat, rudera detecta ſunt Velleiae, vrbis terrae quondam motu depreſſae. Cum vicum, contemplandi cauſſa, inuiſeret Dux noſter regius Hiſpaniae princeps, ad locum ducebatur ante iam effoſſum, ſed terra rurſus lapidibusque contectum. Vbi cum per fodiendi ſpeciem terram mouiſſent foſſores, tabulam marmoream eruebant hac inſcriptione,

Saeculo felici
PHILIPPI BORBONII
VELLEIA
reſurges
Augurum decretum.

LVTETIA PARISIORVM. XXVIII. SEPT.

Die XXII discessit hinc Stanleius: itaque nos Bussium exspectamus, breui rediturum. Omnium nunc sermonibus celebrantur persequendi belli consilia. Sunt, qui ab aula Hispanica spem factam dicant, fore, vt caussam nostram amplectatur.

In portum Gaditanum * diebus huius mensis XII et XIII prospera nauigatione adpulsa ex India classis, regi quidem vicies, mercatoribus vero septuagies centena millia solidorum Hispanicorum ** reportasse fertur.

* zu Cadix.

** 2 Millionen, 7 Millionen Piasters.

BRVXELLIS, XXVII. SEPT.

Cum magis magisque in dies extenuari spes pacis videatur: numerosas iterum ex Gallia copias in Germaniam ituras, audimus.

HAGA COMITVM. VI. OCTOBR.

Ex Londinensium litteris Ostenda ad nos perlatis, die XXV. Sept. nondum discesserat Bussius: quin pridie eius diei noua ipsi mandata * Versaliis attulerat cursor. Qua de re cum certiorem fecisset Pittium: rumor increbuit, propius rem ad compositionem adductam esse. Nihilominus classem expeditioni paratam ** exire iussit Rex, vt primum nacta ventum idoneum fuerit.

* neue Instructionen.

** die Expeditionsflotte.

Lit-

Litterae quidem Parisinae de foedere loquuntur inter Gallos et Hispanos ad bellum tum inferendum tum defendendum die XXVI Aug. sancito. Sed fidem nemo temere habuerit rumori, vel definito die mentienti.

EX SILESIA INFERIORI. IV. OCTOBR.

Communis est, qua Silesia vexatur, belli calamitas. Qui in vrbes confugerant rustici, aeque ac ciues, pane ex granis fressis * vescuntur. Hic atque illic, Cosaccorum caussa, ex equitibus nonnullos in securitatem dederat ** Beckius, Austriacorum Praefectus: quos, ex quo Russi discesserunt, deduxit. Czernischevii Copiae magnum Russorum exercitum secutae perhibentur.

* geschroten.

** Salvegarden.

EX VIADRI VICINIA. VIII. OCTOBR.

Grauior ex Silesia nuntius venit. Quo tempore Rex Nissam * versus cum exercitu tendebat, Austriacorum agmen ad Suidnicium accessit: Globos igniferos iniecit: nocte mensis superioris postrema, in vrbem, facto impetu, irrupit.

* Neisse.

EX LITTERIS BREMENSIBVS. V. OCTOBR.

Nocte, quae diem Veneris sequebatur, ad vrbis nostrae fossas adpropinquabat agmen Gallorum. Quod tametsi Penzius, praesidio nostro

praefectus, immittendis e tormentis fulminibus, profligauit, haud tamen terrore adhuc metuque omnino vacamus.

EX EADEM VRBE. VIII. OCTOBR.

Numerosum est vrbis nostrae praesidium, et quatuor fere militum millia explet. Illud diu noctuque animum ad cauendum intendit. Quas vrbanus miles stationes tenebat, eas Anglo cedere coactus fuit.

EX TRACTV AD ALBIM INFERIOREM. XI. OCTOBR.

Heri Zella Luneburgum perrexit Aula Brunsuicensis: inde intra paucos dies Hamburgum concessura. Nondum perlatae sunt quae heri cum ex Germania superiore, tum Brunsuico exspectabantur, litterae. Vrbem illam a Gallis obsideri, exploratum habemus.

RES LITTERARIAE.

*Essai sur la necessité de conferer les emplois selon les talens, par Mr. le Baron de Loc**. — moniti meliora sequamur. En Europe chez les libraires.* MDCCLX. Plag. 5. formae 8. mai.

Eruditum est scriptionis specimen pulchrumque, quo munera rei publicae ingenii animique facultatibus conuenienter deferenda esse, probatur. Dedicauit auctor nobis ignotus opusculum

lum Comiti de W**, non magis nobis cognito. De bono publico se meriturum putabat, id quod in Praefatione profitetur, si indictum illud argumentum, et graue, et vtile, paullo diligentius excuteret. Duplici potissimum hominum generi, patronis et clientibus, scripsit. Orbis vniuersi ciuis, regionum nominatim nulli addictus, nulli infensus, quod consideratio contemplatioque dictaret rectum et salubre, libere reddidit: tametsi vsus forte hic atque illic et consuetudo alia omnia ostenderent. Quod consilium si tamen cuiquam nimis liberum esse, et excusatione egere videatur: hunc cogitare iubet illud regum sapientissimi dictum Ecclesʼ IX, 11. quo non dignitatem; sed tempus saepe et fortunam dominari in rebus humanis, docetur.

Praefationem excipit velut Introductio breuior. Tractandi haec rationem exhibet, vocibusque nonnullis, a quibus sequentium intellectus pendet, quae vis ac significatio tribuatur, exponit.

Tractatio ipsa diuisa est in partes tres. Earum *prima* inscribitur *de ingeniorum dissimilitudine, huiusque caussis.* In corporibus et formis magnas esse dissimilitudines, sed maiores etiam in animis exsistere varietates, experientia docet. Verum huius rei, vt alicubi dixit Ouidius, caussa latet, vis est notissima. Ioannes quidem Huartus, Hispanus, in Examine ingeniorum multa de hoc

argumento egregia tradidit; nonnulla tamen, ſententiae ſuae nimium amans, experientiae contraria. Auctor noſter rem ita expediendam putat, vt mentes hominum dicat per ſe eadem omnes vi praeditas, neque aliam alia quaſi ſubtiliorem eſſe; ſed diuerſos perfectionis et imperfectionis gradus, quos in animorum actionibus animaduertimus, a varia tum cerebri conformatione, *tum fluidorum*, quibus corporis temperatura conſtet, mixtura arceſſendas videri. Supereſſe tamen etiam hic fatetur, quae difficiliorem explicatum habeant. Differentiam naturarum, et varias facultates, concludit, non ab hominibus, tanquam auctoribus pendere; verum diuino conſilio adſcribendas eſſe, naſcentibus eas, prouti viſum fuerit, tribuenti. Ingenium ad res omnes pariter factum (*un eſprit univerſel*) in iis, qui fieri non poſſunt, ponendum videri: veriſſimum enim illud Virgilii, Non omnia poſſumus omnes. Suum igitur quisque vt ingenium noſcat, maxime ſuadendum eſſe, ne quidquam ſequatur, quod adſequi nequeat. Quo vero natura cuiusque tendat, ex ſtudio ipſo, quo ad artem aliquam vitaeque genus feratur, intelligi poſſe. Nec tamen in illo naturae impulſu omnia eſſe: ſed facienda rerum pericula inſpectantibus viris doctrina et experientia claris, horumque iudicio et auctoritate nitendum iuueni, ſi quem forte amor ſui, vel honoris opumque cupiditas aliquo rapiat. Conſilium denique ſuum ſubiungere non dubitat auctor ingenioſus

ex-

explorandorum iuuenum, qui ad publica se negotia adplicant.

Secunda libelli parte docetur, *quam necessitatem habeant rationes deferendorum naturae congruenter munerum: quibusque caussis fiat, vt locum nonnulli minus decentem sortiantur, tantaque magnorum hominum paucitas sentiatur.* Ad rationes illas quod attinet: omnia hic ad reipublicae salutem, vtilitatemque ciuium reuocantur. Rem publicam vtiliter administrare, nisi qui partibus suis recte fungitur, non potest: sed quomodo recte fungetur, qui natura facultatem non habet? Pessime consuli communi bono necesse est, vbi non vir muneri; sed munus viro quaeritur. Quibus positis, quid de munerum ordinatione statuere debeat auctor, salutis publicae amans, facile intelligitur. Quam cum in celebratissimo de Caussis legum opere (*de l'Esprit des Loix*) tueatur illustris Montesquieu: quam eius ratio vana sit, hic ostenditur p. 27. obs. (a). At educatio et doctrina, quae natura negauerat, largiri possunt. Minime vero. Naturam illae perficiunt; quod qui possunt, si nulla sit? At longi temporis vsus et exercitatio (*la routine*) magnam vim habent. Vtique, sed non eam, quae naturae vicem sustineat. Verissimum itaque reperitur vulgatum illud, *Natura facit habilem, ars facilem, vsusque potentem.* Subiungit noster veluti corollarium morale, iniurium videri in rem publicam, qui, natura repugnante, eius partem attingat, ab eoque prae-

stan-

ſtandum, quod inde damni fuerit. In quo Pufſendorfium auctorem laudat. Hinc qui fiat, vt ſuccedant muneri, qui ſuſtinere nequeant, oſtendit, indignitate rei paullo, vt videtur, commotior. Patris patronique orationem adfert, qua ille filio, hic clienti perſuadet, vt ne oblatum munus defugere velit, etſi grauius fortaſſe, vel ingenio minus accommodatum videatur. Iam illi ingeniorum cum muneribus diſſimilitudini etiam adſcribit, quod deficiant viri in ſuo genere *magni* et *praeſtantes*, quod deſint Richelii, Mazarini, Colberti, quod in re militari nullos videamus Louvoiſios, Turennios, Condeſios. Neque enim quaſi laſſam et effetam eſſe naturam, vt nihil iam laudabile pariat. Inerti denique acclamat cum Horatio, *Viuere ſi recte neſcis, decede peritis.*

Pars tertia *ex diuerſa illa ratione quae in vtramque partem ſequantur*, exponit. Ac primo quidem imaginem effingit auctor rei publicae, hominibus, quibus minime conueniebat, commiſſae: eiusque partes temporaque quid inde detrimenti capiant, docet. Is ipſe, qui inuita natura officii munus agat, oſtendit, quam miſere vel in optima voluntate laboret. Subicit deinde feliciſſimae gubernationis et ciuitatis formam. Grauiſſima denique apoſtrophe tum ad Principes horumque adminiſtros, tum ad munerum candidatos, elegans opuſculum lectuque digniſſimum concludit.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXXI.
DIE VENERIS, XVII. CAL. NOVEMBR. CIↃ IↃCCLXI.

FERROLIA. VIII. SEPT.

Litteris Saffiae d. XII. Aug. datis nuntiatur, Lusitanicam nauem vectoriam*, quae Insulas Accipitrum** peteret, a pirata Salensi*** in portum vi adductam**** fuisse: illumque piratam cursum suum ad oras Lusitaniae rursus direxisse.

* Transportschiff.
** die Tercerischen Eylande.
*** ein Kaper von Salee.
**** aufgebracht.

Muley Hamet, Mustedi filius cum montanorum incolis rebellantibus se coniunxit, quorum

ſeptuaginta millia amplius aduerſus Imperatorem Maroccanum arma ceperunt. Feſſae * praefectum, qui Marochii ** in vrbe noua imperatorem ſe dici iuſſerat, veteris incolae de gradu deturbatum occiderunt.

* Fetz.

** Marocco.

MANTVA CARPETANORVM. *

Gibraltaria ad nos perlatum eſt, die XX Aug. Saunderſium, Praetorem Angliae naualem, cum claſſe ſua duodeuiginti nauium portu exiiſſe. Principio quidem curſu fretum verſus tetendit. Noctu vero cum vertiſſet ventus, conſpectae ſunt poſtea naues variis promontoriis, inde a S. Vincentii inſula ad fretum usque. Propediem Rex Valdoletum concedet.

* Madrid.

LVTETIA PARISIORVM. V. OCTOBR.

Primo huius menſis die in veſperum declinante Londino reducem habuimus Buſſium. De interrupta cum Anglis pacificatione nihil adhuc audimus ſingulatim. Sed breui futurum eſt vt rem cauſſamque omnem legamus, iuſſu Regis typis exſcribendam, et cum regiis in aulis principum adminiſtris communicandam.

Interea omni Gallia ii fiunt adparatus, qui bellum ſumma vi perſequendum indicent. Patibus adminiſtrorum quilibet ſuis maximo ſtudi

pe

perfungitur. Cui certe diligentiae debemus, quod cum nulla ciuibus indicta fuerint tributa noua, in promptu iam ſint futurae expeditionis ſubſidia. Inuenta ratio dicitur, qua menſibus ſingulis quindecies mille chiliades * amplius librarum Gallicarum Regis aerario inferantur.

* 15 Millionen Livres.

VERSALIIS. IV. OCTOBR.

Comiti a Choiſeul, rerum publicarum adminiſtro * partes datae ſunt procurandi quae ad aulas extraneas pertinent **. Iamque is inferioribus miniſtris, quae fieri ab illis vult, mandat. Atque Buſſium iam apud eum conſpectum fuiſſe, perhibent.

* Staatsminiſter.

** das Departement der auswärtigen Affairen.

Ignorare haud quaquam videtur aula noſtra, quid Angli de rebus Americanis conſilii ceperint. Belſuncium, bello Germanico nobilem, fama eſt, inſulae S. Dominici praefectum iri; Equitem a S. Cruce*, illum Bellaeinſulae defenſorem, Martinicae, quaeque ibidem ſunt, coloniarum praeſidio deſtinari.

* le Chevalier de St. Croix.

LONDINO. XXIX. SEPT.

Portus Britanniae omnes nauium adparatu bellico ſtrepunt. Breui exibit, quae Portu Magno * expeditioni parata eſt, claſſis. Hu-

ius imperium fupremum tenebit Hawkius. Sub quo imperabunt vigiliarum praefecti * * duo. Militibus, qui illa claffe vehentur, praeerit Kingsleius, dux bellicus. Nauibus tam bellicis, quam vectoriis impofita eft frumenti copia ea, quae in binos menfes fufficiat. Eo omnia fpectare coniicimus, vt quae fola Gallis reliqua eft, Americae colonia, eripiatur.

* Portsmouth.

** Contre-Admirals, oder Schoutbynachts.

Illa, quam diximus claffis vbi profecta erit, alia colligetur Portu Magno, quam primum fieri poterit, exitura. Huic quid propofitum fit, nondum patet. Expeditioni Europeae parari extra dubium eft. Grauiffima fane funt quae aula noftra agitat confilia, et cum foederatorum falute et vtilitate coniunctiffima.

Die XIX. Sept. valde fenex deceffit Blackneyus, ex Angliae proceribus, portui Mahonis, * quo tempore caftellum illud Galli, vna cum Minorca, Infula, expugnabant praefectus.

* Port-Mahon.

DVNQVERCA. XXX. SEPT.

Nudius tertius Londino Dubrim * aduenlens Buffius Stanleium ibi adhuc offendebat, pridie eius dei Lutetia reuerfum. Ibi tum quidem vna cibum capiebant. Quo facto hic iter Londinenfe

nenſe perſequebatur: Buſſius heri mane Boloniam * nauigabat, inde Lutetiam perrecturus.

* Dover.

** Boulogne.

AMSTELODAMO. X. OCTOBR.

In Friſia orientali, poſtquam aducti a Gallis fuerunt milites legionarii *, turbae omnes motusque ceſſarunt. Sed grauiſſima ſunt, quae imperantur, tributa. Quatuor domibus ſingulis pendendi erant bis mille numi aurei. ** Nouiſſimae litterae conueniſſe narrant, vt Galli omnes, accepta pecuniae ſumma, ex regione illa diſcederent, neque eam, quoad duraret bellum, repeterent. Gallosque iam demigrare coepiſſe.

* regulirte Truppen.

** Ducaten.

RES LITTERARIAE.

Chriſtophori Saxii Oratio in ſeptem artium liberalium magiſtros, habita publice Traiecti Batauorum, a. d. IV. Non. April. quum in doctorum hominum panegyri Academiae ſe rectura ſolenniter abdicaret. Apud Brodeler. pagg. 76. formae 4.

Eleganti oratione et lectu digniſſima demonſtrat celeberrimus auctor, quae artes liberales numerentur, harum numerum ſeptenarium nullo idoneo fundamento niti. Veteres, tametſi de

artibus ipſis praeſtantiſſime praeciperent, nihil tamen de numero earum conſtituiſſe: neque Dialecticam in illas vnquam retuliſſe. Primum hoc quidem factum eſſe a S. Auguſtino: poſtea et in hoc errore manſiſſe Martianum Capellam, Boethium, Caſſiodorum, reliquos ſequentis aetatis ſcriptores, et alterum etiam addidiſſe, vt non niſi ſeptem artes haberentur.

Deinde *diſcrimen inter ſcientias et artes* verum ita definit, vt illas dicat principiis firmis et immutabilibus niti; in his contra longe plurima ab ingenio, a vi imaginandi et inueniendi pendere, quae tum addant nonnihil, tum immutent. Inde Dialecticen concludit non ad Philoſophiam ſed ad Artes pertinere. Inſignes multas et pulcherrimas obſeruationes inſerit, quibus artium natura et indoles mirifice illuſtratur. Saxium eleganti et Romano dicendi genere vti, dudum nouimus. Sed habet haec oratio praecipue virtutem illam, quae a decoro et verborum delectu et proprietate oritur. In adnotationibus ſententiae veterum et loca copioſe allata ſunt, quae ad argumentum plenius intelligendum ac probandum faciunt. Commendamus hanc orationem praeſtantiſſimam omnibus, qui ad tractandas artes, diſcendam que philoſophiam animum adiicere inſtituunt.

Commendauimus libello XXVIII illuſtris Marg-

Marggrafii scripta chemica, laudatore Lehmanno. Huius nunc, in eodem genere praestantissimi, in manibus habemus Artem exploratoriam.

D. Iohann Gottlob Lehmanns, Königl. Preussisch. Bergraths, Mitglieds der Königlichen Academie der Wissenschaften, der Churmaynzischen nützlicher Wissenschaften, der Englischen Societät zur Aufname der Künste, Manufacturen und der Handlung, und der Academie zu St. Petersburg ordentlichen Mitglieds, *Probier-Kunst. Berlin, bey Arnold Wever, privil. Buchhändler.* 1761. 1 Alphab. et 5 plag. in 8. cum adiunctis tabulis quibusdam caelo expressis.

Dicatum est opusculum munificentissimo scientiarum artiumque statori, Maximiliano Iosepho, Bauariae Principi Electori.

Non deerant qui de metallis explorandis probandisque praeciperent, libri, cum facile reperirentur Cramerí, Gellerti, Erkeri, Schlüteri, aliorumque scripta virorum de hac parte disciplinae naturalis bene meritorum. Sed deesse videbatur libellus habendis praelectionibus, tradendaeque arti aptus satis et accommodatus. Auctorum enim plerique non tam interiorem fossilium indolem et naturam rimabantur, vt compositionem texturamque docerent quam artem tradebant ad aerarii rationes et commoda

reuo-

reuocatam, hoc eſt, explorandi pondus quod quaeque terra metallica boni metalli in ſe contineret. Vulgarem, qui id conſilium ſequuntur, explorandi artem tractant. Itaque cum Lehmannus cognoſcendorum foſſilium rationem docere vniuerſe vellet, nouus erat libellus, et ad illam rem accommodate conficiendus In ipſâ rerum argumentique expoſitione breuitatem praecipue ſequendam duxit: *quod partim quidquid huius artis eſt, non tam praeceptis et libris, quam vſu diſci debet; partim alios ſcriptores conferre, et in conſilium adhibere facile poteſt, qui percolere hanc ſcientiam voluerit.* Longe tamen plurima hic reperient lectores fruſtra in aliis ſcriptis, quae eundem indicem praeferunt, quaeſita.

Paucula de hoc inſtituto ſuo praefatus vir experientiſſimus, longioris ſermonis loco, diſputationem offert de *Spuma lupi ſ. lupo Iouis* (Wolfram, Wolfarth); qua oſtendit, breuis illae libri ſui theſes quomodo transferri vtiliter ad ſublimiorem Chemiae vſum poſſint.

Opuſculum ipſum ſectionibus viginti ſex conſtat. Quibus, pertractata prius generatim arte exploratoria, inſtrumentisque expoſitis, varia deinde metallorum genera, aurum, argentum, aes cyprium, ferrum, ſtannum, plumbum cet. qua ratione exploranda ſint, perſpicue admodum docetur. Huius perſpicuitatis cauſſa adiectae ſunt tabulae quinque, quae veluti ſupellectilem chemicam, potioresque machinas aeri inciſas repraeſentant.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXII.

DIE MARTIS, XIII. CAL. NOVEMBR. cIↄ Iↄcclxi

HAFNIA. XII. OCTOBR.

Ab auguſtiſſimo Rege praefectus eſt Rendsburgenſi praeſidio Vir excellentiſſimus Samuel Ludov. a Kalkreut, eques ordinis Dannebrogici, legionis equeſtris quidem Dux, praetoriae deſultoriorum tribunus*. Huic legioni praetoriae Rex praeeſſe iuſſit illuſtriſſimum Comitem Hermannum Gottlob a Moltke, a cubiculo regio, legionis cataphractorum Holſaticae tribunum**. Cataphractos rurſus accepit regendos Magnus a Moltke, Comes illuſtriſſ. Regis a cubiculo, adiutor caſtrenſis ſummus***, idemque equitum praetorianorum magiſter.**** Cuius in praetorianos

imperium traditum fuit Georgio Comiti a Moltke, legionis cataphractorum Iuticae magistro.

* Oberster über das Leibregiment Dragoner.

** Oberster des Holstein. Cürassierregiments.

*** Generaladjutant.

**** Rittmeister bey der Garde zu Pferde.

Qui heri, die solis, redierat Friderici Principis regii, natalis, hodie in aula sollemni celebratione colitur. Idem contigerat proximo Mercurii diei, nata Charlotta Amalia, regiae celsitudinis Principe, sacro.

CONSTANTINOPOLI. II. SEPT.

Per dies aliquot in palatio imperatorio * habita fuerunt extra ordinem consilia: sed in illis quid statutum sit, celatur. Illud scimus, ad omnes imperii Ottomannici portus missum esse edictum, quo frumentorum in regiones peregrinas exportatio vetatur. Multis experimentis cognitum est, ab annonae grauitate ortas in hac imperii sede turbas et seditiones plerasque: harum itaque caussas tolli eiusmodi edicto placuit.

* Serrail.

Quem nuper cursorem hinc ad Regem suum dimiserat Rexinius Regis Prussiae legatus, interemtus fuit in itinere, ab eo qui ipsi custos additus erat praetoriano milite Turco *. Et hic quidem se fuga subduxit. Litterae vero, quas Cursor ferebat, repertae et in vrbem remissae fuerunt.

fuerunt. Has reddi Legato iussit Turcorum dominus**.

* Janitschar.

** der Grossultan.

EX LONDINENSIVM LITTERIS. XXV. SEPT.

Nunquam in hac vrbe dies inaugurando Rege festus maiori ciuium omnis aetatis ordinisque laetitia celebratus fuit, quam XXII Sept. Cuius eo gratior memoria futura est, quod nullius neque iniuria, neque damno turbata felicitas fuit. Reparatam etiam statim vidimus, quae vnica fore putabatur, iacturam. Amissus videlicet erat, in coenaculo Westmonasteriensi, ex coronae regiae apice ingens adamas: sed remotis mensis reperiebatur. Hunc postridie Duvaliorum sollertia coronae rursus inseruit.

Qui insulam Nevis, quae ex Antillarum numero est, incolunt, magnopere conqueruntur, quod iam ex aliquot annis nullae ibidem procellae, frequentissimae antehac, sentiantur. Ex quo enim tempestas illa turbulenta cessauit, noua non febrium modo, sed aliorum etiam morborum insulae incubuit cohors.

PETROBVRGO. XVIII. SEPT.

Heri propter Imperatricis nomen augustum, quod fasti retulerant, conuentum suum sollemnem celebrauit Academia scientiarum. Auditoribus numerosis legebat Aepinus, Augustissi-

mae a consiliis, et physices Professor, disputationem latinam de calore per orbem terrarum dispertito: Kotelnikofius vero, Professor et Gymnasii Inspector, libellum proponebat lingua Russica conscriptum, quo matheseos purae in iudicando vtilitas demonstrabatur.

WARSOVIA. VII. OCTOBR.

Nudius tertius diem electo quondam Rege insignem recolebat *sollemnis aulae pompa**: quae hodie etiam Regis natalem splendide celebrauit. Hoc die ipso expugnati a Laudono Swidnicii nuntium, laetissimum sane, attulit certus homo ea de caussa missus.

* der Hof war in Galla.

** ein Expresser.

EX MARCHIA VCKERANA. XII. OCTOBR.

Sueci quam citissime gradum retro ferunt. Qui eos insequitur Bellingius, Tribunus, iam ad Swerinoburgum perrexerat, quod Anclamo vno milliari distat. Stutterhemius, supremus vigiliarum praefectus, prope Pasewalckium tranquille consistit.

MARIAE MONASTERIO. XIII. OCTOBR.

Dimalam * nudius tertius traiecit exercitus: cuius heri praetorium Hüneburgi erat. Propediem, quis futurus sit rei exitus, adparebit. Abhinc dies aliquot manipuli venatorum Fridericiani

ciani ** pars pedeſtris fere tota, et equitum ſexaginta, nulla culpa ſua, capiebantur.

* die Diemel.

** die Friederichſche Jägerbrigade.

EX HANNOVERANIS. XV. OCTOBR.

Heri ad meridiem agmen Wangenhemianum, cui dux ipſe praeerat, concentu militari * Hannoueram tranſiit, Seendam conceſſurum. Pulchri omnibusque rebus inſtructi tum viri, tum equi erant.

* mit klingendem Spiele.

Guelpherbyto in ditionem redacto Brunſuicum hoſtes obſidebant, praeſidio minus valido inſtructum. Itaque poſteaquam Lucknero, vt ſuppetias vrbi adduceret, mandatum fuerat, is d. XII. Oct. iter ingreſſus, noctu, inſciis hoſtibus, Ockeram tranſiit. Quos ſtatim adortus, ea quae volebat, feliciter conſecutus eſt. Nam et in vrbem immiſit cohortes ſex, et hoſtium, conciſis permultis, quingentos vna cum caſtrorum praefecto * cepit. Quo facto, ipſe cum equitatu ad Caſtrum Boynum ** reuertit; hoſtes, obſidione ſoluta, Guelpherbytum diſceſſerunt. Expeditione illa ictu exanimatus fuit Rothenburgius, Brunſuicenſium ſupremus vigiliarum praefectus ***.

* Marechal de Camp.

** Peine.

*** Generalmajor.

Iam ante dies aliquot, praesidiarii septingenti, qui vna cum Guelpherbyto in hostium potestatem venerant, commutatione restituti, Hannoueram venerunt.

RES LITTERARIAE.

Retulimus libello XXX. quae Parma acceperamus de repertis nuper Velleiae vrbis ruderibus. In illis praeter alia vetustatis monimenta eminent variae magnitudinis statuae duodecim admirabili arte perfectae. Vestitum maximam partem referunt ad togae consularis similitudinem compositum. Viui corporis habitus tam artificiose molliterque expressus est, vt in commissuris flexiones vel subtilissimae conspiciantur. Capita truncis inserta officulo fuerunt. Signa tantum non omnia adhuc integra sunt, eorumque inscriptiones haud mutilae summam antiquitatem testantur.

Pars erant monimenta illa operis magnifice exstructi, quod in medio propylaeum habebat forma quadrata oblonga, lapidibus contectum, et vtroque latere canali, ad deducendam aquam, instructum. Ambitus ipse bases habebat columnarum aequali omnes spatio positarum, sustinendae porticui ampliori: secundum hanc erant camarae minores permultae. Ex ipsa aedificandi ratione *Forum* aliquod fuisse coniicimus. Cui coniecturae fauent etiam varia, quibus fora instructa fuisse scimus, ornamenta.

Numi

Numi quoque reperti ſunt haud pauci, itemque marmora rariſſimi generis, et, in fragmentis, ex aere nonnulla. Aenea eſt tabula longa, nominibus inſcripta eorum, qui Traiano imperatore, pecunias inſtituendo orphanotropheo contulerant.

Inſigni cum voluptate Dux ſereniſſimus eruta illa contemplatus eſt. Exinde cum ad illuſtrandam hiſtoriam et rem antiquam noua praeſidia peti poſſe iudicaret: viris quibusdam eruditis inquirendi negotium dedit.

Atque illa quidem de monimentis Velleianis relata legimus. Sed Velleia vrbs quo tempore terrae motu depreſſa fuerit, nemo adhuc, quod ſciamus, ad liquidum explorauit. In libellis, qui Traiecti ad Rhenum prodeunt, vir quidam doctus hanc temporis eius notationem propoſuit.

„ A Plinio lib. VII. c. 49 memoriae proditum „ eſt, Fl. Veſpaſiano et Tito imperantibus re„ cenſitos fuiſſe Italiae incolas, et *Velleiaci*, prope „ Placentiam, complures inuentos, qui centum „ annos amplius vixiſſent; nimirum ſex qui an„ nos 110; quatuor, qui 137 compleuiſſent; „ vnum, qui annorum eſſet 140. Sed is cenſus „ incidit in annum a Chriſto nato ſeptuageſimum „ quartum.

„ Phle-

„ Phlegon ſuo de Mirabilibus et longaeuis
„ libello indicem inſeruit ciuium imperii Rom'
„ qui centeſimum aetatis annum viuendo atti-
„ giſſent, quorum is nomina ex cenſorum ta-
„ bulis ſtudioſe collegerat. In illo indice *Veliae*
„ quidem ſenes ſunt ſex, annorum centum; vnus
„ annorum centum et duorum. Atque haec re-
„ cenſio facta eſt anno poſt natum mundi ſerua-
„ torem centeſimo decimo ſeptimo.

„ Iam Velleianum illud Plinii, vel illa Phle-
„ gontis Velia, vtrum Velleia haec ſit, prope
„ Placentiam nuper detecta, inquirendum foret."

Ex Megapolitanis accipimus, Bützouii in dies efflorefcere nouam Muſarum ſedem, Academiam Fridericianam. Viros in eam doctiſſimos conuocat Ducis ſereniſſimi cura ac munificentia. Iurisconſultorum ordini nuper dedit *Trendelnburgium*; Medicorum, *Schaarſchmidium*: docendae Hiſtoriae munus mandauit *Trozio*, qui Academiae Göttingenſis adhuc a ſecretis fuerat. Ante hiemem praelectiones illi ſuas auſpicabuntur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXIII.

DIE VENERIS, X. CAL. NOVEMBR. CIↃ IↃCCLXI.

LVTETIA PARISIORVM. XII. OCTOBR.



De ſcripti illius publici, quod aula noſtra cum Adminiſtris extraneis communicauit, argumento illud inaudiuimus, quatuor potiſſimum capita fuiſſe, de quibus inter nos et Anglos haud conueniret.

Primo, Americae ſeptemtrionalis ad Ohium vsque poſſeſſionem ſibi poſtulabat Britannia, nullique Gallorum naui bellicae, ſed piſcatoriis tantum, intrare illius regionis portus permittebat: ex Anglis etiam conſtitui viſores * volebat, qui naues illas perquirerent.

* Viſitatores.

Deinde, quidquid ante bellum indictum Gallis mari eripuissent vt, iure illud in praedam cessisse statuererur, Angli postulabant.

* für gute Prise erklärt.

Tum, copiae Hassiacae, Brunsuicenses et Hannoueranae vt coniunctae manerent; Angli in patriam reuerterentur, similiter etiam exercitus Broglianus et Sobisianus. Hassiam, Clauiam, quasque praeterea regiones Galli in praesenti tenerent, eas possessoribus restituerent.

Postremo, vt aula Gallica praeter eos, quos prima stipulatione promisisset, vicies quater mille homines, nulla Vindobonensi auxilia submitteret: rursus vt Magnae britanniae liceret, quae cum Rege Prussiae pacta esset, praestare.

LONDINO. XIII. OCTOBR.

Die V. Oct. Pittius, vir rei publicae peritissimus, et Britannis suis mirifice amatus, Regis adhuc in rebus publicis a secretis *, hoc munus ipsum deposuit. Bis eum ad se arcessiuit Rex, vtque munere illo diutius fungi vellet, suasit: verum is in proposito perstitit. Propter summa viri et immortalia merita, coniugem eius, Estheram Pitt, matronam illustrem, Rex Baronissam M. Britanniae dixit, huiusque posteros masculos, Barones Chathamenses esse iussit. Pittio vero vxorique, quoad vixerint, ter mille libras numorum stellatorum**, stipendii nomine, attribuit.

Ill-

Illud Pittii munus demandum a Rege est Comiti ab Egremont, qui ad pacificationem Augustanam cum auctoritate abiturus erat. Eodem die Comes a Temple, sigillorum regni adhuc custos, similiter se hoc munere vltro abdicauit.

* Staatssecretair.

** Pfund Sterling.

Ab illa munerum commutatione natus rumor erat, fore, vt interrupta cum Gallis pacificatio instauraretur. Sed illum falsissimum esse, nuper aula declarauit: quae non vsuram se pacis conditionibus professa est, quae nomini Britanno vel inutiles, vel minus decorae viderentur.

Similiter aula confutauit sermones eorum, qui vsum et commercium inter Magnam britanniam Hispaniamque diremtum iri dicerent.

Qui ad Helenae insulam profecti erant, vt Veneris per solem transitum obseruarent, Astronomi nostri, frui illo spectaculo per nebulosam tempestatem haud potuerunt. Qui Bencolam eodem consilio ablegati fuerunt, vtrum meliore fortuna vsi sint, nondum compertum habemus.

VINDOBONA. III. OCTOBR.

Hodie missus a Laudono Vinsius, Tribuni legatus, praemisso quatuordecim cursorum tubis suis canentium strepitu*, certiores nos fecit, nocte mensis superioris postrema a Laudono,

cum impetum in Suidnicium facere decreuisset, adductas esse cohortes viginti: sub ipsum adgrediendi initium, puluere pyrio cuniculi in aërem sublatos adgressorum trecentos, sed hoc ipso ad rem persequendam reliquos audaciores factos; itaque hora sexta matutina munitissimam vrbem in Laudoni potestate fuisse: Zastrouium ducem cum ter mille militum praesidio in deditionem cessisse: vrbem omnibus rebus abundare: deprehensa etiam tormenta centum et viginti.

* unter Vorreitung 14 blasender Postillons.

DRESDA. III. OCTOBR.

Hac expeditione tota, illud praecipue agere visus est Rex Prussiae, vt Suidnicium copiis tegeret. Deinde Russis cum exercitu nostro coniunctis mutata ipsius ratio fuit. Postea, cum propter commeatus inopiam, a Laudono discesserat Butturlinus, non defendere bellum, sed inferre cogitabat Prussus. Iter siue in Silesiam superiorem, siue in Morauiam inibat. Sed hac temporis opportunitate vti sciuit Laudonus. Qui cum itinera aliquot facere hostem siuisset: subito ad Suidnicium accessit. Die Mercurii hora tertia matutina praestructa munitioni opera * quatuor adortus est. Vrbi copiae nostrae, seruato ordine nullo strepitu succeserunt ita, vt aduenisse prius, quam venturas, hostes audiret. Illa, quae diximus opera tanta celeritate expugnabantur, vix vt facultas esset obsessis tormenta quaedam excutiendi: cum nul-

nullum excuterent noſtri. Sclopetorum igne accidit, vt pulueris nitrati promtuarium in aërem proiiceretur: id quod trecentos circiter homines nobis, et totidem hoſtibus abſtulit. Hinc expugnata munimenta exteriora: muri ſcalis ſuperati: effractae portae. Vix dies illuxerat, cum vrbem iam tenebat Laudonus.

* die Auſſenwerke.

EX DAVNII PRAETORIO DRESDENSI. IV OCTOBR.

Quas ſtationes habebat exercitus noſter, easdem adhuc ſeruat. Henriciani quoque exercitus ſumma * Schlettauii permanet: tametſi modo progredi ſuos Princeps; modo regredi iubet**. Quod nouiſſimo Lafcii impetu illatum Pruſſis damnum eſt, hoc a circulo Miſnico reparari volunt. Qui, ne de futuro tempore imparati offendantur, ſiluas circa Huberti arcem regias exciderunt.

* das Gros der Armee.

** Märſche und Widermärſche thun laſſen.

HANNOVERA. XV. OCTOBR.

Hodie mane per vrbem tranſibat, paruo comitatu, ſereniſſimus Brunſuicenſium Princeps heres, Brunſuicum perrecturus.

Heri ipſo meridie agmen Wangenhemianum hac eodem tetendit: iamque Walthauſianum exſpectatur.

Mariaemonafterio heri Falkenhagium translatum fuiffe praetorium accipimus.

EX HOLSATICIS. XIX. OCTOBR.

Praeterita nocte fubito fanguine ictus * deceffit Fridericus Carolus, Holfatiae Ploenenfis Dux. D. IV Aug. a. 1706 natus Princeps fereniffimus, d. XXI Maii a. 1729 principali imperio potitus erat.

* am Schlagfluffe.

RES LITTERARIAE.

Traiecti ad Rhenum apud Kroonios prodiit, *Henrici Cannegieteri de mutata Romanorum nominum fub Principibus ratione, Liber fingularis. Item Poftumus, Batauiae adfertor, Hercules Magufanus, et Deufonienfis, aggerum Batauiae auctor, ex numis atque ex infcriptionibus demonftratus. Nec non Trebellii Pollionis negligentia caftigata; et monumentum Dodenverdenfe expofitum.* A. 1758. 1 Alphab. 19½ plag. 4.

In exponendis, quae apud Batauos reliqua funt, Romanorum monimentis cum verfaretur auctor eruditiffimus, faepius ei occafio fubnafcebatur inquirendi in nomina Romanorum. De quibus quid fentiat, et quare ab aliorum fententiis difcedat, fingulari libro fibi tradendum putauit. Nominum, quae apud Romanos, ftante republica, in vfu effet, ratio vniuerfa fatis copiofe declarata a Sigonio fuit: fed quae dein-

deinceps ſub caeſaribus commutatio in hoc genere facta eſt, de hac nondum ſatis diligenter expoſitum erat. Itaque has ſibi partes ſumſit Cannegieterus. Neque tamen agitatas inter eruditos de nominibus controuerſias perſequitur; ſed, ad fontes ipſos progreſſus, ex veteribus monimentis numisque, quaecunque ad explicandam rem facere iudicaret, depromit.

Principio quidem ſub imperatoribus docet, in cognominum locum ſucceſſiſſe praenomina, et haec ipſa rurſus illis ſubſtituta fuiſſe; gentis mox nomina vtrorumque locum occupaſſe; deinde iisdem temporibus non praenominibus fratres, ſed cognominibus diſtinctos fuiſſe; varias in nominibus tum adoptatorum, tum peregrinorum mutationes factas, quod praeſertim hi, in ciuitatem adſciti, vna cum Romano ſuum barbarum nomen retinerent; eadem aetate quoque frequentari coeptam illam coaceruationem nominum, quibus praetermittendis tot in hiſtoriis turbae exſtiterunt; ſub Antoninis maxime, latius proceſſiſſe licentiam in adſumendis nominibus nouis, vnde in Inſcriptionibus illud *qui et*, vel *ſiue* cet. Simili quoque diligentia perſequitur ſeruorum, feminarum, item Auguſtarum, et primi temporis Chriſtianorum nomina.

Quae inde a pag. 111 ad 174 ſequitur diſputatio, ea *Poſtumi* res illuſtrantur, qui a Valeriano et Gallieno praefectus limitis transrhenani et Gal-

Gallias constitutus, illo captiuo, Galliam, Hispaniam, Britanniam et Germaniam praeclare tuebatur. Multa habet disputatio illa ex antiquitate collecta, cognituque iucunda.

Quam quae excipit p. 175-210, iudicium fert de *Trebellio Pollione*, qui solus et Postumi, et reliquorum eiusdem aetatis tyrannorum vitam et res gestas composuit ita, vt fidem mereatur. Hunc tamen peculiari commentario docet Cannegieterus multa praetermisisse, quae suppleri ex numis queant: eundemque simul cum aliis eius temporis scriptoribus contendit.

Denique vberrimis adnotationibus illustrat illud *Monumentum Dodenwerdense*, quod, cum primus in Harpocrate suo explicasset Cuperus, nouissime ab Hagenbuchio in D'Orvillianis Miscellaneis criticis T. X. XI. XII. explanatum fuit. Illud hic aeri incisum, adiuncto etiam alio, comparet. Multa hic praeterea reperiuntur, per se minuta, quibus a Cannegieteri ingenio et doctissimis obseruationibus commendatio pondusque accessit.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXIV.

DIE MARTIS, VI. CAL. NOVEMBR. clↃ IↃCCLXI.



HAFNIA. XIX. OCTOBR.

Die XV Oct. Coldinga discessit celsissima Hassiae Landgrauia, comitante serenissimo Principe filio, natu maiore, Rensburgum ad legionem, cui praeest, abituro. Serenissimus Princeps heres, huiusque frater minor hic reduces exspectabantur. Die XVII Flensburgum venit Landgrauia: heri Slesuicum peruehi voluit.

OLYSSIPPONE. XXII. SEPT.

Mensis huius die XVIII sententiam suam exsequebatur quaesitorum fidei tribunal *. Res sane eiusmodi est cuius exemplum vix habeant

ſacri tribunalis tabulae**. Publice in ferali pegmate*** iugulatus, rogo mox ardenti cremabatur famoſus ille ordinis Loyolitici ſodalis, Pater Malagrida: qui cum Reginae, aulaeque procerum a confeſſionibus eſſet, impiae illius contra Regem coniurationis concitator fuit. Perſcripta quidem quaeſitorum ſententia cauſſas ſupplicii adfert libros ab eo editos duo, peſtiferarum opinionum plenos, falſas praedictiones de commutanda republica euulgatas, cet. Sed cauſſae illius acta ſatis nota ſunt, ſceleratique hominis atrox facinus dudum in vulgus emanauit.

* man hatte ein Auto da Fé.

** Regiſter der heil. Inquiſition.

*** Chavott.

ROMA. XXVI. SEPT.

Melitenſibus cum nihil in praeſenti quidem a Turcis metuendum videatur: reuertendi in patriam poteſtas facta eſt Equitibus extraneis, a ſupremo ordinis magiſtro.

* Groſsmeiſter.

MEDIOLANO. XXVIII. SEPT.

Ex ſancita nuper inter Reginam imperatricem et Mutinae ducem pactione, huius Principis copiae per triennium adhuc Herae noſtrae ſtipendia merebuntur.

VINDOBONA. VII. OCTOBR.

Iucundum oculis fructum cepimus ex tropaeis Suid-

Suidnicio huc nudius tertius allatis a Carolo Lichtensteinii principe, supremo vigiliarum praefecto. Signa militaria erant viginti quinque, tympana tria, aperto illa vehiculo imposita. Heri, decantando publice hymno Ambrosiano *, sollemnes Deo gratiae actae sunt.

* das Te Deum.

EX EADEM VRBE. X. OCTOBR.

In arce Schönbrunnensi, presente Augustissima, de variis rebus, quae ad publicam salutem pertinent, consilia conferuntur * frequentiora. Ibidem aula, propter caeli, quae coepit, asperitatem, ad diem Theresiae sacrum, nec diutius, mansura putatur. Regiae celsitudinis princeps Iosephus ante dies aliquot Trautmansdorfium petierat (vicus est Bathiani Comitis, supremi aulae magistri * *) venandi studio ductus.

* werden Conferenzen gehalten.

* * Oberhofmeister.

Laudono, summo rei tormentariae praefecto *, capsulas binas dono misisse dicitur Regina imperatrix, quae varii generis pretiosa continerent, addidisse etiam epistolia * * duo, quibus significaret, quantopere sibi placuerit demonstrata ab eo, in expugnando Suidnicio, prudentia et fortitudo. Qui primus captae vrbis nuntium attulerat, Vinsius, tribuni legatus, ab Imperatore augustissimo bis mille numis aureis; ab

Imperatrice vero, annulo lapillis splendido, donatus fuit. Heri nouus a Laudono cursor aderat; sed quid rei attulerit, nondum enotuit.

* Generalfeldzeugmeister.

** Handbilletten.

Nouissimis ex Silesia litteris accepimus, Prussiae Regem, relicto ad Nissam cum agmine suo Principe Anhaltino Bernburgensi, inter Brigam et Vratislauiam cum exercitu maiori subsistere.

LVTETIA PARISIORVM. XVI. OCTOBR.

Ducem a Choiseul, rerum extranearum bellicarumque administrum, ab illis se muneribus vel omnino, vel maximam partem abdicaturum, rumor est. Cui tamen sunt, qui parum fidei habendum censeant: quod sparsus ab iis videatur, qui arrepta Pittiani consilii similitudine, nouum quid et inexspectatum narrare voluerint.

LONDINO. XVI. OCTOBR.

Die XII. Oct. in consilio sanctiori iure iurando obstringebatur Comes ab Egremont, Pittii loco, Regis in publicis rebus a secretis futurus. Granthamum, ex Angliae proceribus *, sigillorum regni custodiae praefectum iri putant: quam nuper deposuit Comes a Temple. Huius frater, Iacobus Grenville, regiae domus adhuc quaestor, itidem se illo munere abdicauit. Vix dies praeterit, quin horum consilia alii imitentur.

* Mylord.

** Cassirer des Königl Hauses.

Quam

Quam Pittius deponendi muneris caussam habuerit, omnes ignorant. Illud certum est, fore, vt quae ad persequendi belli rationem facient, ab eius successore, quanto fieri studio potuerit, procurentur. Varia nunc in vtramque partem scripta videmus; quorum aliis exagitatur, aliis defenditur Pittius.

VESALIA. XVII. OCTOBR.

Sobisius, destructis Coesfeldiae munimentis, cum exercitu suo Borkenum concessit, ibique castrorum initia habet. Copias trans Rhenum in hiberna deducere constituit quam primum vacua fuerint loca, quae nunc quidem cohortes praetoriae * tenent, in Galliam reuertentes. Illud tamen consilii vtrum exsequi possit Dux Gallicus, quoad Monasterio Lippstadioque caruerit, plurimi dubitant. Certe ab anni tempestate ad expugnandas vrbes parum praesidii videtur petiturus.

* Königl. Französis. Haustruppen.

EX HANNOVERANIS. XXIII. OCTOBR.

Adhuc Ohrae praetorium constitutum habet Ferdinandus: ipsiusque exercitus, qui ante erat, status permanet. Freytagius Goslariam vsque progressus est, hostium, qui ex illo tractu discessuri videntur, consilia exploraturus.

HAMBVRGO. XXIV. OCTOBR.

Nudius tertius ab illustri amplissimoque Scho-

larcharum collegio, dictus est, qui Richeio succedat, Godofredus Schütze, Sanctioris disciplinae Doctor, et in Christianeo Altonano historiae sacrae et patriae Professor longe celeberrimus.

ALTONA. XXVII. OCTOBR.

Si nuntiis quibusdam credimus, qui Imperatoris augustiss. negotia Bremae agit*, Liber baro a Vrintz, custodiae traditus est a foederatis, et ipse quidem cum coniuge Stadam abductus, quae penes eum scripta erant, Hannoveram transmissa sunt.

* der Kaiserl. Residént.

Laudonum quoque rumor spargit tentasse, an subito et improuiso irrumpere Coseliam posset: sed conantem repulsisse emissas a praesidio pyxides, fragmentis ferreis impletas*.

* Cartätschen.

RES LITTERARIAE.

Hildesia ad nos peruenit eximium eloquentiae vernaculae, in funebri genere, exemplum, a praestantissimo oratore editum. *Trauer- und Gedächtnisrede, welche bey dem feyerlichen Leichenbegängnisse des weyland hochwürdigst-durchlauchtigsten Fürsten und Herrn, Herrn CLEMENT AVGVST, Churfürsten und Erzbischofs zu Cölln, Bischofs zu Hildesheim, Münster, Paderborn und Osnabruck, Hoch- und Deutschmeisters, Herzogs in Ober- un Niederbayern u. s. f. am* 10 *Merz* 1761 *in der Hauptkirche St. Andräe vor*

einer hochansehnlichen und volkreichen Versammlung gehalten D. Iohann Carl Koken, der evangelischen Kirchen in Hildesheim Superintendent, des Consistorii Assessor primarius, des Gymnasii Andreani Ephorus, und der übrigen Schulen Inspector. plag. 8 in fol.

Dicauit Kokenius, Vir summe vener. orationem, reuerendissimi et serenissimi Principis Electoris memoriae sacram, Senatui Canonicorum aedis sacrae primariae, qui, sede vacante, regimini praeest.

Orationi praescriptum legimus locum Senecae de Clementia c. 13 dicendi argumento mirifice conuenientem. „Hoc, quod parenti, „etiam PRINCIPI faciendum est: quem appel„lauimus PATREM PATRIAE, non adulatione „vana adducti. Cetera enim cognomina ho„nori data sunt. MAGNOS et FELICES et AV„GVSTOS diximus, et ambitiosae maiestati quid„quid potuimus titulorum congessimus, illis „hoc tribuentes: PATREM quidem PATRIAE „appellauimus, vt sciret, datam sibi potestatem „patriam: quae est temperatissima, liberis con„sulens, suaque post illos ponens.

Verba s. codicis explicanda (textum vocat consuetudo vulgaris) leguntur 1 Sam. 25, 1. Mortem illa Samuelis referunt, luctumque, quo principem sacrum prosequebatur populus Israëliticus.

Per-

Perfecti principis ſuisque numeris abſoluti imaginem effingit orator ad patris patriae ſimilitudinem expreſſam. Quam poſtquam Samuelis potiſſimum exemplo illuſtraſſet: tranſit ad Clementem Auguſtum, atque in diuo Principe fuiſſe virtutes eas leniores, quibus pater patriae cenſeatur, ex vitae ipſius hiſtoria, rebusque geſtis demonſtrat.

Grandem hic et maſculam eloquentiam offendimus, nullo nec ſententiarum, nec verborum fuco, quo tantopere ſibi placent hodierni laudatores nonnulli, maculoſam. Is etiam erat diuinus Princeps, qui ſine illis adulatorum lenociniis laudari vere poſſet: et eam in Kokenio nouimus cogitandi ac dicendi vim, quae facile careat infucatae eloquentiae ſubſidiis.

Additum orationi eſt Carmen exſequiale non minus egregium, ad leges Neuhauſij, Gymnaſii Andreani Cantoris, inter concentus muſicos decantatum.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXV.

DIE VENERIS, III. CAL. NOVEMBR. cIↃ IↃCCLXI.



MANTVA CARPETANORVM. VI. OCTOBR.

Propositum fuit die XVI mensis elapsi, Regis edictum, quo definito pretio constituitur, quanto venire in posterum panis in hac vrbe debeat. Eodem pistores frumenta sibi ex vrbis promtuario comparare iubentur.

Nocte, quae d. VII Sept. sequebatur, agris nostris fundisque ingentem cladem grauissima tempestas attulit. Partim grandine quassatae sunt vineae circa vrbem ad vicesimum lapidem, partim torrentibus stratae. Horum quoque impetu Coenobii Franciscanorum, quod Pa-

ſtranae eſt, pars euerſa fuit. Illatum illo turbine damnum ſarcire vix poterunt decies centena millia ſolidorum argenteorum.*

* eine Million Piaſtres.

NEAPOLI. XXVII. SEPT.

Producit Rex illam in arce Porticenſi commorationem: ibique piſcatui non ſine voluptate operam dat. Neque enim ſuadere adhuc voluit ſupremus aulae ipſius magiſter, Princeps de San Nicandro, vt venatu ſe oblectaret.

GENVA. III. OCTOBR.

Danicae nauis magiſter, Algeria tredecim dierum curſu aduectus, retulit nobis, reducem ibi fuiſſe nauem actuariam minorem*, quae cum in nauigium onerarium ** Genuenſe incidiſſet, caeſos de ſuis quatuordecim homines, vulneratos vndecim, fateretur: exortum inter Algerienſes et Tunetenſes bellum nondum finitum eſſe: graui peſtilentia magnam vtriusque gentis ſtragem fieri: Algeriae quatuor, Tuneto duas ſupereſſe naues, quae piraticam facerent ***: menſe Auguſto medio naues Hiſpanorum bellicas tres ad Algeriam viſas, quae poſtea diſceſſerint.

* Galliote

** Pinque

*** Corſaire.

ROMA.

ROMA. III. OCTOBR.

Litteris, quibus natum Beirae Principem Pontifici nunciauerat Lusitaniae Rex, amicissime ille quidem rescripsit: neque tamen epistola publica*, sed litteris tantum priuatis. Adparet itaque, quod etiam aliis rebus perspicitur, nondum aulae nostrae cum Lusitanica convenire. Neque magis confecta iam videtur quae Sedi Apostolicae cum Genuensium republica fuit controuersia

* in einem Breve.

VERSALIIS. XV. OCTOBR.

Heri Regis Sueciae legatus, liberbaro a Scheffer, audientia facta, exhibuit Regi fidei publicae litteras. In conspectum Regis, Reginae, Delphini et reliquae gentis regiae adducebatur ab illustri de la Live, sollemnium admissionum magistro.*

* Introducteur des Ambassadeurs.

Comitante Duce a Choiseul, ad Regem quoque officii caussa accessit Bussius, Londino redux. Cui Rex quam humanissime significauit, probari sibi quae in Aula M. Britanniae egisset, cum auctoritate legatus.*

* Ministre plenipotentiaire.

LVTETIA PARISIORUM.

Versalias heri peruenit Clemens, regius Saxoniae Princeps.

Nondum raucus factus est, qui de confectis inter aulam nostram et Hispaniam pactionibus rumor erat. Sed agi illis de inferendi belli foedere, nemo crediderit. Renouatam existimant plurimi antiqui foederis sanctionem, additis fortasse capitibus nonnullis, quae ad res praesentes pertineant. Neque enim facere potest Hispania, quin de conseruandis, quae nobis reliquae sunt, coloniis cogitet: in dubium enim vocaret, quin certis ipsa periculis offerret possessiones * suas. In praesens quidem longe plurimum mari valet Anglia. Cuius nos consilia vt ad irritum cadant, omni studio efficiemus. Iamque haud exigui a nobis adparatus nauales tum Brestiae, tum Rupifortii * * fiunt: in aliis etiam portubus ea instituuntur, quae expeditionem aliquam portendant. Dunquerca vt munimenta quam fortissima habeat, quanto fieri potest, molimine agimus.

* Etabliſſements.
** Rochefort.

WARSOVIA. XII. OCTOBR.

Ex variis palatinatibus delecti * ad Regem mittentur rogatum, vt consilium illud de minuendo monetae pretio * * vel abiiciatur omnino, vel aliter a quaestoribus * * * instituatur quod multae exinde in vrbibus oppidisque turbae nascantur.

* Deputirte.
** Reduction des Geldes.
*** Schatzmeister.

Al

ALTONA. XXX. OCTOBR.

Regem Prussiae litterae quorundam referunt, ad Vratislauiam nuper cum exercitu substitisse, cum Laudonus eodem versus progrederetur.

Ex castris ad Colbergam Prussicis accipimus, nihil neque castris munitissimis, neque vrbi deesse eorum, quae ad victum ac defensionem pertineant.

RES LITTERARIAE.

Coburgi apud Io. Car. Findeisen prodierunt *Io. F. id. Gruneri Opuscula ad illustrandam historiam Germaniae pertinentia.* Volumen I, 1760. plag. 20. forma 8. Volumen II, 1761. 1 Alphab. 2 plag.

Praeclara exspectari in hoc genere poterant a Grunero, Gymnasii Casimiriani, quod Coburgi floret, Professore celeberrimo, quod quibus ad Historiam subsidiis opus est, ea omnia possidet: amplam et philologiae et antiquitatis cognitionem, diligentiam in perquirendis monimentis veterum summam, acre praeterea iudicium vsuque subactum. Quae collectio haec complectitur, singula maximam partem lecta iam fuerunt: neque tamen, cum pauca tantum exempla typis exscripta essent, in multorum manus peruenire potuerunt. Vetera hic aucta comparent, et emendata: veteribus etiam noua addita sunt. *Primo volumine* haec continentur. I. Exercitatio *de Henrici Raspe*, *Land-*

graui Thuringiae, et Comitis Palatini Saxoniae, in Regem Rom. electione, rebus in imperio gestis, et vitae exitu. II. Dissertatio *de electione Rudolphi I. Caesaris Augusti.* III. Dissertatio *de Henrici minoris, aduersus Ottonem II. rebellantis, genere.* Noua est disputatio haec, neque ante edita. Argumentis admodum verisimilibus euincitur, Henricum hunc, Carinthiae ducem, eundem esse, qui alias Suinfurtensis cognomine adducitur, eundemque genti imperatoriae Ottonum non paterno tantum, sed etiam materno genere, id quod in praefatione demonstratur, coniunctum fuisse. Noua quoque est quae sequitur, disputatio IV. *de Margareta, Popponis XIII. Comitis de Henneberg filia, Conradi, Comitis de Wildberg, vxore.* Ignota fuit haec Margareta Spangenbergio, Chronicorum Hennebergensium auctori: valde etiam confusa et perplexa sunt, quae de dote ipsius refert Hoennius in historia Saxonica Coburgensi. Itaque in lucem protulit Grunerus monimenta duo nondum edita; quorum altero de praediis ipsius dotalibus, altero de dote exponitur: adiunctis nonnullis, quae ad explanandam matronae illius historiam faciunt. V. *de Comitibus de Truhendingen, ducum Meraniae heredibus, dissertatio.* VI. *Origines Monasterii ordinis S. Benedicti in Bantz;* Situm est hoc monasterium inter Coburgum et Bambergam, ab Albratha f. Berta fundatum, filia Ottonis eius, quem, quod Suinfurti commoraretur, Marchionem Suinfurtensem dicebant. Sententiam hic suam

tuetur Auctor aduersus Schoepfium. VII. *de instauratione Monasterii ordinis S. Benedicti in Bantz,* facta per Ottonem S. Episcopum Bambergensem. VIII. *Fasciculus Diplomatum hactenus non editorum.* Duodecim sunt diplomata: quorum nonnulla adnotationibus illustrantur Profecta sunt ab Imperatoribus, Conrado II, Rudolpho I, et Ludouico IV, a Comitibus Hennebergicis et Orlamundanis, ab Episcopis denique Herbipolitano et Bambergensi.

In altero volumine sunt, I. *Antiquitates Coburgenses.* Has ipsas, anno proxime elapso primum editas, altero tanto auxit, et simul emendauit Vir doctissimus. In tractu Coburgensi qui olim populi habitarint, non definit: Pagum *Trufali* fuisse putat, illamque regionem omnem ad Pagum Grapfeld orientalem pertinuisse. Et hoc quidem documento probat Wulfingi, Bambergensis Episcopi, a. 1306 dato. Vrbis ipsius, quoad vicus maneret, nomen erat *Truualistat:* arx primo Coburgum vocata, Henrici aucupis iussu a Cobbo comite exstructa, et ipsius nomine adpellata videtur. Idem post vrbi propinquae nomen inditum. Hinc Coburgi dominos inde ab initio stirpis Carolinae enarrat Grunerus, ad a. 1291, quo, cum vitam finiuisset Poppo XIV, comes, vrbs a Comitibus Hennebergicis, hereditaris iure, ad Marchiones Brandenburgicos transiit. Varias hic disquisitiones inserit auctor, lectu illas quidem dignis-

gnissimas; sed relatu nimis longas et copiosas. Atque spem facit persequendae ad recentiora tempora historiae Coburgensis. II. *de rebus Hermanni II. Comitis de Henneberg Commentarius.* Subnatus est ex programmatibus octo, quibus auctor historiam illam ad annum 1273. deduxerat. Hic magno studio et labore conquisita vndique sunt, quae reliquam Hermanni illius vitam illustrant, ipsique commentario quandam iustae historiae speciem comparant. III. *Fasciculus diplomatum hactenus non editorum.* Itidem duodecim sunt numero. Primum *Ottonis* S. est, Episcopi Bambergensis a. 1137, et monasterii institutionem habet. Reliqua scripta fuerunt ab *Embrico*, Episcopo Herbipolitano, a *Godeboldo* et *Poppone*, Comitibus Henneberg. ab *Hermanno*, Episcopo Monasteriensi, a *Conrado*, Archiepiscopo Moguntino, ab aliis.

In libello superiori XXXIV. p. 270 v. 15 legatur *repulisse*.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS XXXVI.

DIE MARTIS, III. NON. NOVEMBR. CIↃ IↃCCLXI.

MEDIOLANO. XI. OCTOBR.

Regimini nostro ostensa fuisse ratio dicitur, qua fieri queat, vt Addua * nauigabilis reddatur.

* die Adda.

LONDINO. XX OCTOBR.

Crebro consilium aulae sanctius cogitur, cui, quamuis deposito munere, saepius interest Pittius. Diem sibi ciuium ordines definierunt, de literis publicis * deliberaturi, quibus gratias illi agant, quod tot tantaque patriae officia praestiterit.

* eine Adresse.

HAGA COMITVM.

Die Veneris proxime elapſo, cum foederat Belgii ordinibus * conſilia conferebat Comes d Affry, Galliarum regis legatus. Exemplu illis obtulit conflati nuper d. XXVI Aug. int Gallos et Hiſpanos pacti. De cuius argument et capitibus poſtquam multum disputatum fui illud pro certo nunc adfirmari poteſt, ad defen ſionem omnia ſpectare, nihilque quaeſitum e praeter antiquorum, quibus vterque populu iunctus fuit, foederum renouationem. Quo addita capita quaedam ſecretiora ** dicunt, d eo nihil habemus explorati.

* Generalſtaaten.

** einige geheime Artikel.

DVSSFLDORPIO. XXIV. OCTOBR.

Quae copiae Gallorum miſſae in hiberna pu tabantur, Rhenum rurſus praeter exſpectatio nem traiecerunt. Proinde ſuſcepturus adhu creditur aliquid nouae expeditionis exercitus qui Sobiſio paret. Borkeno hodie profectu Dor am tendebat. Magna etiam vis tormen torum parata itineri erat.

EX AGRO VIADRINO. XXV. OCTOBR.

Regem in caſtris Strehlenſibus adhuc ſubſi tiſſe audiebamus, ab eoque lectum agmen, Scher kendorfio duce, Vratislauiam propius acceſſiſſe Laudoni exercitus, cum iuncto ipſi agmine Czer niſcheuii, in tractu Suidnicenſi degere pergi

Beckiu

Beckius inter Iauriam et Hirſchbergam locum occupauit.* Excurſiones tam Ruſſi, quam Auſtriaci per Sileſiam inferiorem, ad Glogauiam vsque, per ſuperiorem, ad Niſſam ſuſcipiunt; quibus agreſtes campi ** maxime infeſtantur. Dona etiam quae gratuita vocant, a dynaſtis exigunt earum regionum, quas copiis tenent. Quin tributa et vectigalia ante diem ſolui iubent. A[illegible]ium praeterea *ingentem copiam*, incertum qua de cauſſa, Suidnicium conuehendam imperarunt.

* ſich poſtiret.

** das platte Land.

EX LITTERIS SEDINENSIBVS.

XXII. OCTOBR.

Heri ingentes hic tormentorum fragores audiebantur. Qui quorſum pertinuerint, ignoramus.

ALTONA. III. NOV.

Colbergae vtrum iam facta ſit deditio, nondum conſtat.

RES LITTERARIAE.

Hamburgi modo prodiit 5 plag. | fol. programma, quo *Senem meritis annisque maturum Virum nobiliſſimum, ampliſſimum, doctiſſimum, Michaëlem Richey, Hiſtoriarum et Graecae linguae vltraque XLIV annos in Gymnaſio Hamburgenſi Profeſſorem publice lu-*

get cet. Ioannes Georgius Büsch, Math. P. P. et ho anno Gymnasii Rector.

Sancta esse omnibus debet, qui litteras amant memoria senis celeberrimi, qui vt verissime hic praedicat ipsius quondam auditor, post collega quod siue viuendo attingi, siue bene merendo expleri potest, hoc omne attigerat, atque consummauerat.

Editus erat in lucem Richeius Hamburgi a. 1678. d. 1 Octobris, patre Ioanne Richey, mercatore nobili et opulento, matre Esthera Engels. Haec post crebros abortus, vnumque filium altero post natales mense exstinctum, hunc tandem maturo partu extremum omnium edidit, cum annum iam ingressa esset quadragesimum sextum. Vnde fortassis factum, vt iuuenem continua infirmitas, vehementesque interdum morbi vexarent: ita vt ipse non dubitaret dicere, pluris parentibus medicorum operam medelamque stetisse, corpori subinde adhibendam, quam omnes in educationem impensos, quamuis eximie largos, sumtus. Postea quam in Ioanneo a Rectore *Ioanne Schulzio*, et Conrectore *Joachimo Henningio*, litteris satis praecultus esset, Gymnasio adscriptus, doctoribus vsus est in Hebraicis *B. Anckelmanno*, in Philosophia practica et Eloquentia *Placcio*, in Historia et Graeca lingua *Georgio Eliezare Edzardo*, in Logicis et Metaphysicis *Gerhardo Meiero*, in Mathesi *Menzero*, in

in Phyſica et Poëſi *Müllero.* His Rabbinica iunxit ductu vtriusque *Edzardi*, *Eſdrae* patris, et *Iodoci Pancratii*, filii. Vſus quoque iam tum eſt *Io. Alb. Fabricii* priuata opera, hiſtoriam litterariam, et notitiam librorum tradentis. Algebrae quoque per integrum amplius annum operam dedit, duce *Meiſnero*, praeceptore Scholae Iacobaeae. Ad neminem autem maiori cum ſtudio ſe adplicuit, quam ad *Ioannem Fridericum Mayerum*, qui Viteberga Hamburgum aduocatus ad munus Paſtoris ad D. Iacobi, antiquum ob amorem laborum academicorum, Profeſſoris extraordinarii munia, in Gymnaſio ſponte obibat, et in primis frequentibus exercitiis publicis cum ſocio laboris, *Gerhardo Meiero*, ingenia lectorum quorundam iuuenum exercebat. In his primas partes egit Richeius tum reſpondendo, tum opponendo, crebrisque ingenii, et, in iſta aetate minime vulgaris, doctrinae editis ſpeciminibus ſic ſe duumuiris iſtis commendauit, vt cariorem haberent neminem. Cum ſeriis iucunda coniunxiſſe praeſtantiſſimum iuuenem, inſtitutum ipſo auctore Collegium muſicum indicat, in quo primas partes agebat, nunc ad inſtrumentorum muſicorum concentum ſubgraui voce cantans, nunc ipſe vocales digitis chordas impellens, aut dulces tibia, ſiue minori, ſiue longa modos effundens.

In Gymnaſio patrio per triennium ita praeparatus, linguarum etiam Gallicae et Italicae

cognitione ornatus, Vitebergam a. 1689 petiit. Doctores ibi habuit in Theologiae partibus *Hanneckenium*, *Neumannum* et *Rorſchelium*; in Hiſtoria *Schurzfleiſchium*; in Phyſicis *Roeſchelium* et *Vaterum*; Stilum Latinum expoliuit duce *Schurzfleiſchio*, in Graecis litteris priuatiſſima *Knautkii* opera vſus. Cum vitae ſe academicae addixiſſet, primo, poſtquam Vitebergam adierat, ſemeſtri honores Magiſtri impetrauit. Septies ibi publice vel opponentis vel reſpondentis partes ſuſtinuit. Fecit tamen perpetua eius aduerſaria, valetudo, vt, biennio vix Vitebergae exacto, abitum maturaret.

Hamburgo ſuo redditus, partam doctrinam variis incrementis augere ſtuduit: longe ſcilicet ab opinione remotus eorum, qui ex academia reduces a fonte ſe ipſo ſapientiae rediiſſe putant, nec inueniri poſſe doctorem tanto ingenio vlterius inſtruendo parem. Ad vtrumque *Edzardum* denuo ſe adplicuit Rabbinicae, Syriacae et Arabicae linguae cauſſa, ſummumque virum *Io. Albertum Fabricium* iterum adiit. Haud multo poſt in Academiam Gryphicam inuitabat noſtrum, oblato Profeſſoris extraordinarii munere, qui Hamburgo Gryphiswaldam conceſſerat I. F. Mayerus. Sed obſtitit tum quidem male confirmata valetudo. Biennio poſt, cum Lipſiam digreſſus eſſet excurſurus inde in partem meliorem Germaniae, retractus eſt ex itinere litteris a patre acceptis, vt Rectoratum Stadenſem obtineret. Suſce-

Suſcepit ſcholam illam regendam a. 1704, et per annos octo eidem ſumma cum laude praefuit. At a. 1712. triſti contagio, obſidionis quoque metu, inde ſeceſſit Hamburgum. Hac commoratione, partu amiſit dulciſſimam coniugem, cui per annos ſex iunctus fuerat, quam Charitinae nomine Poëta conſecrauit. Cum litteris ad magiſtratum Sradenſem miſſis, munere ſe Rectoris abdicaſſet, retrahi ſe Hamburgo non paſſus eſt, quamuis oblato anno 1715 munere Rectoris Gymnaſii Stettinenſis.

A. 1717. Muſis Hamburgenſibus vindicatus fuit, cum Profeſſor Hiſtoriarum et Graecae linguae renuntiaretur. Hanc ille Spartam, excellenti eius ingenio ampliſſimaque doctrina dignam, quantum valetudo tulit, omni, quae in doctorem cadit, laude ornauit. Elegantem viri ſuauemque docendi rationem copioſius hic perſequitur celeb. Buſchius, ipſe teſtis, illudque caput ita concludit.

„Audiui ſaepius ipſe, quoties doctus quidam „peregrinator aut vir nominis haud obſcuri au„ditorium introiret auſcultandi tanti viri gratia, „audiui, inquam, apta digreſſione in argumen„tum quoddam ſermonem deflectentem, quod „ad virum iſtum, habita ratione ſiue patriae, ſiue „dignitatis, ſiue ſtudiorum propius pertineret, „et ſic de illo verba facientem, vt diu praemo„nitum matura meditatione omnia expromere

„puta-


„putares. Nec minus hoc ad nos pertinebat. „Fruebamur enim exemplo dissertatiunculae historicae subsecivae quidem, at qualem alter vix „multo cum labore et diuturna lucubratione „expromere potuisset."

Scripta eius non e volumine, sed ex argumenti dignitate et elegantia aestimanda sunt. Praeter disputationes varias et programmata, separatim edita, multa ipsius sunt in Nouis litterariis Germaniae, in Bibliotheca historica Hamburgensi: Carmina vero vernacula haud pauca in Collectione Weichmanniana. Inprimis autem opera eius eminuit in elaborando libro immortali, cui titulus est, *Der Patriot*, qui a. 1724 edi coeptus per tres continuos annos et delectauit ciues, et delectando emendauit. Supersunt varii labores manu scripti: quos vt edat optamus doctissimus Richeii nepos Michael Dauid Steen, ordinis sacri Hamb. Candidatus. Obtigit Richeio, quod ante eum nemini Professorum Hamb., vt Rectoratum Gymnasii anno 1738 septimum capesseret. Inter vulnera domestica post coniugis mortem grauissimum fuit, quod morte filii vnici, Ioannis, persensit: qui ab illustris reip. patriae Senatu Viennam, ad obeunda Syndici legationum munia, ablegatus, ibidem a. 1738. summae ciuium patrisque spei eripiebatur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXVII.
DIE VENERIS, VIII. ID. NOVEMBR. cIↄ Iↄcclxi.



CONSTANTINOPOLI XVII.SEPT.

Ex diebus aliquot insignes aula Turcica commutationes vidit, auctoritati adscribendas, qua apud Imperatorem valet purpuratorum princeps*. Loco motus fuit, et vnum milliare ab vrbe abesse iussus, summus religionis praesul**. Nec minus aliis abrogata munera fuerunt tum aulica, tum militaria.

* Groſs-Vezier.
** Mufti.

Adrianopoli diram vastitatem efficit pestilentia. Aleppo eam prorsus abiisse audimus.

HOLMIA. XXIII. OCTOBR.

Quae ad Colbergam fuerat classicula * nostra, finita huius anni expeditione, salua rediit ad Blekingiae oras adpulsa.

* Escadre.

Propediem hinc Vindobonam discedet Comes a Goes, Imperatoris Romani Germanici extra ordinem legatus.

LONDINO. XXIII. OCTOBR.

Nullum amplius dubium superest, quin Indiam occidentis petat classis Rodnei hoc consilio, vt cum Amhersto, Douglasio Coluilloque coniuncta Martinicam insulam adoriatur. Quae quidem expeditio ad rationem * Pittii instituctur. Haud defuturi videntur Galli insulae, quoad fieri poterit, tuendae: cuius praefectus, de la Touche, incolas omnes non armis solum instruxit, sed etiam in legiones descripsit. Praeterea milites exspectat quindecim nauibus, duce Belsuncio, aduehendos, nisi coniunctionem impedierit Keppelii nostri vigilantia: adhuc enim naues illae in variis Galliae portubus retinentur.

* Plan.

Ex litteris Philadelphia allatis cognouimus, conuenisse in eam vrbem principes nationum sex Indicarum, pacem sibi cum Anglis qualibet sanctione reconciliaturi. Qui cum spem optimam se habere significassent Praefecto nostro, fore,

fore, vt Angli vel redderent terras, vel aequo pretio redimerent; respondit Praefectus, persolutum illis iam esse, quidquid deberetur. Quo illi audito circumuentos se, adfirmarunt, tum emtione, tum regionum dimensione; verumque se nunc putare, quod a Gallis praedictum audiuissent, nihil Anglis aliud propositum esse, quam vt primum Gallos expellerent, post Indos vel exstirparent, vel seruire sibi cogerent. Itaque frustra fuit ille conuentus. Sed ablegabit, putamus, aula nostra in Americam, qui feros homines, oblato quater sexiesue mille librarum Sterlingicarum pretio, mites mansuetosque reddat.

EX VISVRGIS VICINIA.
XXVIII. OCTOBR.

Heri Anhaltini Principis et Wutgenauii ductu, ex foederatorum prope Ohram castris mouerunt Cohortes * Hassorum octo, turmae Hannoueranae quatuor, traiectoque, qua pontem nauticum fecerant, Visurgi, tractum Hildesiensem petiuerunt. Agmen illud cum exercitu Principis Brunsuicensis iungendum expeditioni nondum cognitae destinatur. Ferdinandi adhuc praetorium Ohrae versatur. Hannoueranorum res frumentaria, quam supremus annonae et stipendiorum praefectus *** Dundas, procurat, Hamela ante dies aliquot Rintelium ducebatur: quod facilius ex hac vrbe pro-

spici victu potest agminibus Hardenbergii et Bockii.

* Bataillons.

** Escadrons.

*** Generalcommissair.

Göttingae stabula multa exstruunt Galli. Ligna assesque praestare iussae sunt praefecturae vicinae. Vrbis praesidium ad duodecies mille, equites maxime, auctum iri, rumor erat.

SEDINO. XXX. OCTOBR.

Nullo Colberga periculo premitur. Adpulsae ad vrbem sunt per dies hosce, variae naues, quibus vel alimenta, vel reliqua vitae subsidia aduehebantur. Ex quo nullas in propinquo naues hostiles fuisse, intelligitur.

EX TRACTV HOHENSTEINENSI. XXII. OCTOBR.

Duderstadii in demoliendis disiiciendisque oppidi aggeribus et muris multae hominum manus continentur. Ad subeundos labores euocati sunt ex vicinis agris magno numero fossores et operarii.

EX HASSIAE CONFINIO. XXIV. OCTOBR.

Modo ducem militarem a Grandmaison cum mille militibus intrasse Longosalissam accepimus: Mulhusae vero pistrinum castrense * institui. Munimenta Göttingensia, addendis etiam nouis, quam firmissima fiunt. In Wanfridae horrea

magno adhuc ſtudio inuehuntur frumenta et cibaria, Göttingam inde transuehenda.

* Feldbäckerey.

ALTONA. VI. NOV.

Hannouera accepimus, d. XXIX Octobr. ibi mortem obiiſſe virum illuſtr. atque conſultiſſ. Chriſtianum Ludov. Scheidium, Regis M. Brit. a conſiliis aulicis, et Bibliothecae Hannover. praefectum.

RES LITTERARIAE.

Quanquam ſatis feruet inter noſtrates ſtudium Hiſtoriae, nec defuerunt, qui de ea vniuerſe tradenda bene mererentur: carebamus tamen compendio, quod vocant, res antiquas ita complexo, vt omnis earum ambitus dilucido ordine, et breuitate non ieiuna ante oculos poneretur. Qui enim in tradenda hac diſciplina verſantur, partim ea opinione imbuti ſunt, vt antiquiſſimae memoriae exiguum pretium tribuant; et res medii aeui, recentiorisque aetatis ſolas eſſe putent, quarum cognitione ſuperſedere nequeamus: partim vero propterea negligere antiqua videntur, quod ad pernoſcenda tradendaque, veterum linguarum ſcientia opus eſt. Sed anguſtam nobiliſſimae diſciplinae notionem concipit, ſi quis, neglectis antiquis vel obiter perluſtratis, ſola recentiorum temporum cognitione tueri ſe Hiſtorici nomen exiſtimat. Veriora

eum docebit quod Göttingae apud viduam Vandehoek nuper prodiit opus hoc titulo,

Iohann Christoph Gatterers, ordentlichen Lehrers der Geschichte zu Göttingen, Handbuch der Universalhistorie nach ihrem gesammten Umfange, von Erschaffung der Welt bis zum Ursprunge der meisten heutigen Reiche und Staaten. Nebst einer vorläufigen Einleitung von der Historie überhaupt, und der Universalhistorie insonderheit, wie auch von den hieher gehörigen Schriftstellern. 2 Alphab. 20 plag. 8. mai.

Praestantissimo libro tum pars illa Historiae, quam saepe negligi diximus, qua ratione tractanda sit, ostenditur: tum vero quam sit amplus huius disciplinae ambitus, accurata diligentia docetur. Paullo vberius videtur opus, quam vt praelectionibus academicis, quales nostris moribus instituuntur, absolui totum possit. Sed eo est ad repetendam hanc litterarum partem, eo ad augendam amplificandamque doctrinam accommodatius. Primam veluti partem exhibet historiae vniuersae: concludit enim hic doctissimus Auctor historiam antiquam, ipso saeculo post Christum natum quinto; et eadem se ratione concinnaturum promittit recentiorem. Multa se debere profitetur Rollini scriptis historicis, multa Historiae illi orbis vniuersi, Baumgartenii adnotationibus illustratae. Haud raro quae ibi verbosius exposita erant, in breuem summam collegit. Neque tamen propterea

fontes

fontes ipſos adire neglexit: qui id operam daret, vt rectius nonnulla et accuratius traderet, quam ab illis factum animaduertiſſet. Certe in temporum ratione maxime ſibi diſcedendum putauit ab illis orbis hiſtorici concinnatoribus. Optimum adhuc in eo genere ducem expertus eſt Petauium, quamuis nonnunquam alucinatum. Itaque rationem Petauianam etiam ad eorum imperiorum hiſtoriam, quae ille non attigerat, transtulit.

Praemiſſa operi Introductio per paginas centum et viginti extenditur. In ea exponit celeb. Gattererus primo de hiſtoriae natura et indole, itemque de ſcientiis, quae huc pertinent, adiutricibus, tum de hiſtoria vniuerſali, eiusque fontibus et ſubſidiis, in quibus copioſe recenſet libros v. c. chronologicos, geographicos, genealogicos, narrationes itinerum cet. Scriptores praecipue antiquorum rituum, per claſſes ſuas diſpoſiti, magno hic numero comparent. Vtiliſſimus in primis eſt index ille veterum Hiſtoricorum, inde a Moſe ad Ioannem Antiochenum, pag. 80-109 deductus. Sed per totum opus hic atque illic magna diligentia laudatos reperimus cuiuscunque generis libellos hiſtoricos.

Iam quod ad hiſtoriae antiquae tractationem ipſam attinet, ea vndeuiginti libris comprehenditur. Eorum primus ab orbe condito ad dilu-

diluuium pergit; secundus inde ad natum Abrahamum; tertius historiam populi Israelitici inde ab Abrahamo ad finem captiuitatis Babylonicae complectitur; reliqui res persequuntur Moabitarum, Ammonitarum cet. Aegyptiorum ad tempora Alexandri M. antiquissimi etiam Syriae regni cet. quas denique excipiunt res Christianorum, primis quinque saeculis. Parum hic tributum videmus auctoritati eorum, qui Sinensium antiquitatem summam iactant.

Librorum omnium eadem descriptio est. Primo scriptores proferuntur, deinde fontes ac subsidia; sequitur sedes regionum et locorum; post narrantur res gestae; denique cuiusque imperii res ecclesiasticae, politicae, domesticae, litterariae explicantur.

Illa vero omnia, qua fieri decebat, diligentia et breuitate, ita tradita sunt a celeberrimo Gatterero, vt nihil deesse videatur eorum, quae quis in epitome historiae antiquae, vel ad res narrandas, vel ad notanda tempora, iure requirat. Itaque facere non possumus, quin hunc librum reliquis in eo genere longe praeferendum censeamus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXVIII.

DIE MARTIS, IV. ID. NOVEMBR. cIↃ IↃCCLXI.



GADIBVS. XXIX. SEPT.*

Qui ante dies aliquot in sinu nostro ancoras iecit, duarum nauium regiarum praefectus, deprehensas a se confirmauit, inter Carthaginem nouam** et Fretum, naues Anglorum bellicas septendecim.

* Cadix.

** Carthagena.

CENTVM CELLIS. XI. OCTOBR.*

Ex Corsica accepimus, Paolum per tractum Capo-Corso, quem nuper intrauerat, acrius progredi. Eiusdem nominis portum, expugnato Castello Rogliano, clausum tenet. Illius castelli

praefectus discesserat Maginagium, quingentis militibus, tribus etiam turribus instructum. ibi bis hostem repulerant praesidiarii: sed cum pari tertium impetum vidissent, sine vlla spe auxilii, deditionem fecerunt. Ac per eundem tractum quas tueri non possent turres, Genuenses ipsi supposito puluere pyrio deiecerunt. Iamque Adiacium** Corsis cessisse rumor erat, hosque ad oppugnandam Bastiam se instruere. Interceperunt naues binas, quae, Cales *** Bastiamque petiturae, copiosum commeatum, neque exiguam pecuniae summam vehebant.

* Ciuita-vecchia.

** Ajaccio.

*** Calvi.

HAGA COMITVM. XXX. OCTOBR.

De augendis copiis, quae res praepotentium ordinum consilio proposita fuerat, breui aliquid decerneretur. Ad decies mille auctum iri, audimus. Ex litteris Africanis verendum est, ne ab Algeriae regimine foedus cum republica nostra dirimatur.

VINDOBONA. XXI. OCTOBR.

Die XVI. Octobr. in collegio Theresiano publice sollemniterque disputabat Ludouicus Kanocky, Comes, praesente serenissimo Vindobonensium antistite *, cui Regina illud negotii dederat. **. Intererant actui tum disputatoris parens, supremi castrorum praefecti vicarius***, tum

tum ex optimatibus Hungariae **** complures. Ad quaestiones ex omnibus historiae, philosophiae et matheseos partibus tam promte eleganterque respondebat illustrissimus iuuenis, vt magna ingenii admiratio esset. Finito actu, Reginae nomine donabatur ab Antistite catena aurea, cui aptus erat numus augusta effigie decorus. Distributa fuit per hanc occasionem pars prima eruditi operis, quod, auctore Georgio Pray, ordinis Jesu sodali summe reuer. inscribitur Annales veteres Hunnorum, Avarum et Hungarorum.

* Se. Fürstl. Gnaden der Herr Erzbischof.

** dazu ernannter Kaiserl. Königl. Commissarius.

*** Generalfeldmarschallieutenant.

**** Hungarische Magnaten.

EX HERCYNIAE * TRACTV. XXIX. OCTOBR.

Vaubecourtio nuper ab oppido montano Clausthal datum fuit amoris cultusque signum, quo vix quisquam ducum hostilium a capta vrbe se adfectum glorietur. Cusus ipsi fuit, honoris caussa, numus argenteus, floreni magnitudine sesquisemunciam ** pondere aequans. Primaria numi facies Vaubecourtii effigiem refert, militari veste *** induti. Dextra is bacillum imperatorium **** tenet; sinistra libram, quae vtraque lance schedulam habet. Alteri, quae praeponderat, inscriptum est IVS HONESTI; alteri, IVS BELLI. Addita sunt verba, PONDERE VALET HONESTVM. Versa numi facie oppidum Clausthalense forma feminea

conſpicitur. Haec cum inſignibus in clypeo, ſub lauru ſedet, a fulminibus, quae nubes emittunt, tuta; in tractu officinis metallicis conſpicuo. Addita eſt inſcriptio, SVPERNAS AVERTIT IRAS. In areola vero leguntur haec, RECTO, MODESTO, DVCI VAVBECOVRT. CIVIT. CLAVSTHAL. 1761. Excogitauerant illius numi deſcriptionem duo Galli, militum praefecti. Paullo rarior futurus eſt, quod inter cudendum typus diſſiluit.

* Harz.

** anderthalb Loth.

*** Uniforme.

**** Commandoſtab.

ALTONA. X. NOVEMBR.

Modo extra ordinem curſor renuntiauit de praelio, quo cum Xauerii agmine congreſſae Principis Brunſuicenſis et Luckneri copiae, ſuperiores diſceſſerint.

RES LITTERARIAE.

In recentioribus Britannorum Poëtis is eſt Alexander Pope, in cuius ſcripta praecipue conuenire videatur illa libri praeſtantis gloria,

— — — *et mare tranſit,*

Et longum noto ſcriptori prorogat aeuum.

Nihil ab eius ingenio profectum eſt, quod non omni aetate prodeſſe ſimul et delectare, atque apud omnes gentes puncta ferre exiſtimatorum

debe-

debeat. Nemo eo rectius medium illud tenuit, in quo veram carminis virtutem ponimus, ab inerti tenuitate quorundam, et a furibunda plurimorum vesania aeque remotum. Dulcis Popii est, et amabilis furor, quo incalescere poëtam recta ratio iubeat.

Instituerunt annos abhinc viginti et quod excurrit, politioris Europae nationes, etiam hae, quae non admodum fauere nomini Britanno solent, scripta Popiana, carmina in primis, in vernaculam suam, tum ligato, tum soluto sermone conuertere. Initium fecerunt Galli: secuti sunt in libellis quibusdam singulis nostrates. *Commentationem de Homine* reddiderunt vernaculo carmine Brockesius, Vffenbachius, et nuper etiam Kretschius: latino Io. Ioach. Gottlob Am-ende, Vir S. vener. *Raptus cincinni* Musa debetur illustris Gottschediae. *Artis criticae periculum* interpretes duo habuit, alterum ligatum G. E. Mullerum, solutum alterum, C. F. Drollingerum. Fortassis etiam alii in aliis conuertendis operam posuerunt.

Sed deerat, qui optabatur, interpres, qui totum nobis Popium continuis voluminibus exhiberet, qui illam constantem sibi similemque in diuersis generibus Popiani ingenii stilique elegantiam redderet. Atque diutius, putamus, defuturus erat, nisi prouinciam suscepisset, Popii sui amore, illius apud nos in carmine siue graui,

fiue iocofo, felix pridem imitator, *Ioannes Iacobus Dufch*, humaniorum litterarum in Chriftianeo acad. Alton. Profeffor celeberrimus. Hoc interprete reperto, nullis fumtibus parcendum ftatuit Iverfenii noftri liberalis animus, vt Popii opera, Germanice foluta oratione conuerfa, quam nitidiffime prodirent. Sequendum fibi etiam putauit elegantiffimus interpres exemplum Londinenfe illud, quod a. 1752 nouem voluminibus formae octauae mai. editum omnia Popii, tum carmina, tum alia fcripta, (praeter Homerum ab eo conuerfum) complectitur, eruditis et copiofis Guil. Warburtonii commentariis illuftrata. Popii huius vernaculi cum duo volumina iam ante biennium comparuiffent, modo acceffit tertium. Eorum communis index eft:

Herrn Alexander Pope Esq. fämtliche Werke. Mit Wilh. Warburtons Commentar und Anmerkungen aus deffen neuefter und befter Ausgabe überfetzt. Altona, bey David Iverfen.

Volumen I. a. 1758 editum conftat plagulis 19. Poft praefatiunculam, qua Dufchius de fuo interpretandi confilio eleganter exponit, fequitur longior Popii praefatio. Hanc excipiunt confcripta a variis auctoribus in Popium carmina. Hinc Popiana ipfa incipiunt: De carmine paftorali disputatio, cum Eclogis quatuor, totidem anni tempeftates complexis. Meffias, ecloge facra ad Pollionis Virgiliani imitationem

con-

confecta. Silua prope Vindeſorium. Ode in die S. Caeciliae, aliaeque cantiunculae. Artis criticae periculum. Raptus cincinni, carmen generis iocoſi epicum. Elegi in memoriam feminae cuiusdam minus felicis. Catonis Addiſoniani prologus.

Volumen II. a. 1759 emiſſum, plagulasque 18 complexum, praeter ea, quae hic in exemplo Anglicano leguntur, nonnulla habet ex voluminibus tertio et ſexto. Cum enim omittere placuiſſet contextum Latinum eorum carminum, quae conuerterat Popius: conquirenda videbantur, quibus iuſta efficeretur voluminis magnitudo. Leguntur autem hic: Sapphus ad Phaonem epiſtola, itemque Eloiſae ad Abaclardum. Famae templum. Chauceri de Ianuario et Maia narratio. Balneatricis Chaucerianae prologus. Thebaidis Statianae liber primus. Narratio de Dryope, itemque de Vertumno et Pomona, ex Metamorph. Ouid. Luſus nonnulli, quibus poëtas Anglos imitatus erat Popius iuuenis. Nonnulla imitatione Horatii reddita. Carmina varii generis. Epitaphia Denique Popianis illis ſubiuncta eſt I. Brownii de Satira diſputatio, Warburtono inſcripta.

Volumen III. a. 1761. plagulas continet 22. Hic primum locum occupat carminum Popii princeps, longeque nobiliſſimum, illa de Homine commentatio, quatuor epiſtolis conſtans.

Sequun-

Sequuntur p. 127 - 210 commentarii, quibus epiſtolae illae explicantur, ampliſſimi. Hos excipit precatio generalis, h. e. Deo opt. max. ab omnibus populis ſectisque conſecranda. Eam et libera verſione reddidit doctiſſimus interpres, et legibus poëticis adſtricta: quarum hanc non ſine voluptate quadam contulimus cum duabus aliis, Hagedorniana et Kretſchiana. Poſtremo comparent Epiſtolae morales quatuor: prima in virorum indolem, eiusque cognoſcendae rationem inquirit; altera ſimiliter de feminarum ingenio moribusque exponit; duae reliquae in vſu diuitiarum abuſuque declarando verſantur.

Quod reliquum eſt, gratulamur Interpreti doctiſſimo, ac de diſciplina elegantiori etiam hoc ipſo opere praeclare promerito dimidiam laboris partem feliciter abſolutam: nullique dubitamus, quin ad omnes, qui ſincerum veri pulchrique iudicium amant, fructus inde redundaturi ſint vberrimi iucundiſſimique.

In libello XXXII. p. 256 v. 19 legendum eſt *Tozio.*

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXIX.

DIE VENERIS, IDIBVS NOVEMBR. cIↄ Iↄcclxi.



HAFNIA. VI. NOV.

Nuper Rex augustissimus a consiliis status esse voluit Virum illustrem Adolphum Gotthardum Carstens, Cancellariae Germanicae secretarium, qui adhuc a iustitiae consiliis fuerat.

NEAPOLI. XVI. OCTOBR.

Tum piscatu, tum reliqua re nauali * tantopere se Rex oblectat, vt negligi alia opera voluerit, dum perfecta esset, quae ad Pausilipum ** conditur, arx pulcherrima. Scaphas *** aliquot construi iussit qua forma Venetorum phaselae **** solent, quibus ad maris litus vehi nonnunquam

possit animi voluptatisque caussa. Aedificium praeterea campestre exstructurus dicitur in tractu illo valde nitidum. Qua re iucundior multis futura est in collibus illis commoratio, maiorque actae ipsius celebritas. Ceterum munificentia sua humanissimus Princeps in dies magis magisque sibi ciuium animos deuincit.

* Marine.

** *Posilipo.*

*** barque.

**** Gondolo.

Cum finitum fere esset triennium, ex quo Siciliam pro Rege gubernabat illustrissimus Marchio Fogliani: prorogatum ipsi fuit, magna Siculorum congratulatione, imperium illud in annos tres.

ROMA. XVII. OCTOBR.

Qui nudius tertius huc venerat, purpuratus pater Eboracensis *, Equitem St. Georgii, parentem suum, salutaturus, eodem die vespere Tusculum ** repetiit.

* der Cardinal von York.

** Frascati.

Consilium cepit regiae celsitudinis Dux Parmensis, instituendi, in vrbe imperii sui principe, academiam pictorum et sculptorum. Itaque Battonio, clarissimo pictori, mandauit, vt a summis quibusque artificibus Romanis specimina

fieri

fieri curaret picturae linearis *. Quorum quae praestantissima visa erunt cum legerit celsissimus Princeps, amplis ea praemiis redimet.

* Dessins.

VERSALIIS. XXIX. OCTOBR.

Regi ante dies aliquot ordinis aurei velleris insignia * tradebat Hispaniae legatus illustriss. de Grimaldi, Marchio. Illis ornari Artesiae** Comitem voluit Rex catholicus.

* Orden des güldnen Vliesses.
** Artois.

LONDINO. III. NOVEMBR.

Conuocabatur quidem hodie regni Senatus*: neque tamen adhuc typis descripta est Regis ad vtramque Curiam ** oratio. Fieri enim hoc prius nequit, quam electus fuerit nouus inferioris curiae orator ***. Quod munus, graue profecto et insigne, vix dubium est, quin Custio deferatur.

* das Parlament ward eröffnet.
** Häuser.
*** Sprecher des Unterhauses.

Classiculae, qua Rodneius Indiam occidentalem petiit, naues binae, velox altera, altera tormentaria**, amissis malis Plymuthum redierunt. Sed earum in locum statim missae Rodneio fuerunt aliae binae.

* Fregatte.
** Bombardiergalliote.

De copiis terreſtribus quinquies mille milites ex Bella inſula in Americam miſſos eſſe, inter omnes conſtat. Quae de diruendis ſoloque adaequandis * Bellae inſulae operibus nuper tradebantur, vana eſſe deprehenduntur. Imminutae illa tranſuectione copiae, propediem ſupplebuntur aliis, ex Anglia ſubmittendis.

* ſchleiffen.

Quod nonnullorum ex Gallia litterae ſignificarunt, claſſem Breſtienſem exſcenſionem minari Scotiae, id quidem parum credibile videtur.

In belli Germanici ratione nonnihil commutabitur. Quas habemus opes maritimas, his ſic vtemur, vt non neceſſe ſit nobis, quidquam reddere eorum, quae vi capta expugnataque tenemus.

RATISBONA. XXIX. OCTOBR.

Vindobona relatum legimus, ab Imperatore auguſtiſſimo ad Comitis, in imperio Rom. et German. dignitatem euectum fuiſſe Ioannem Fridericum Liberumbaronem a Bachof, auguſtiſſimi Regis Daniae in aula imperatoria extra ordinem legatum.

COLONIA AGRIPPINA. III. NOV.

Litteris Florentia ad nos perlatis cognouimus, obiiſſe ibidem Fabricium Serbelloni, eminentiſſimum patrem purpuratum. Natus in

eadem

eadem vrbe d. XXX. Apr. a. 1693, a Benedicto XIV. Pontifice summo, a. 1753 ecclesiae Rom. sacerdos, ac Bononiae legatus dicebatur. Frater ipsius est Ioannes Baptista, Comes a Serbelloni, in copiis regiis imperatoriis summus castrorum praefectus *.

* Kaiserl. Königl. Feldmarschall.

EX AGRO HANNOVERANO. VI. NOV.

Nudius tertius mane ex Hamelae vicinia movit Granbii agmen. Eodem tempore Ferdinandi exercitus, traiecto Visurgi, in accliuibus Hastenbeckii locis castra fecit ita, vt serenissimi ducis praetorium in praefecturae Ohsenensis curia * collocaretur. Heri vero inde Halam concessit exercitus, cuius primum agmen Granbii erat. Intra paucos dies futura videtur haud exigua rerum commutatio. Militi panis copia tributa, quae in decem dies sufficiat. Impedimenta exercitus grauiora cum officinis plerisque pistoriis ad Hamelam conducta sunt, tormentis eius tegenda **.

* Amthaus.

** unter den Canonen von Hameln.

PRAGA. XXX. OCTOBR.

Vnius milliaris spatio sursum concessit Prussiae rex: quo paratiorem haberet lignorum commeatusque copiam. Quae Suidnicii fortuna fuit, eadem Coseliae futura erat, si ad rem gerendam necessaria tempore praesto omnia fuissent.

DRESDA. XXIX. OCTOBR.

Reuocatae sunt, quae disiunctae ab exercitu, et mense Augusto Berolinum missae fuerant, cohortes tres, et turmae Hungaricorum quinque: et cum agmine suo, quod ad Döbeliam consistit, rursus coniunctae.

Qui a Laudoni exercitu cum viginti militum millibus, vt quidem fama est, profecti erant duces, *Buttlerus* et *Beckius*, *in Lusatiam superiorem* mouerunt.

ALTONA. XIII. NOVEMBR.

Nouissimis Pomeranorum litteris confirmatur, discessisse omnino ex tractu Colbergensi Russorum copias, tum difficili immitique tempestate coactas; tum vero quod soluta fuisset obsidio naualis.

RES LITTERARIAE.

Magnam felicitatis tum priuatae, tum publicae partem ab institutione iuuentutis pendere, ita notum est, et vel vulgi iudicio comprobatum: vt mirum videri debeat, rem omnium confessione longe saluberrimam, tantopere plerumque negligi, certe publica auctoritate minus, quam debebat, adiuuari. In nonnullis ciuitatibus ita prolabi videmus iuuentutem, vt non praeceptorum amplius disciplina, sed principum opibus refrenanda ac coërcenda sit. De puerorum

rorum educatione est vtilissimus *Plutarchi* libellus, diligentius ille quondam in scholis legi solitus. De puellis educandis consilia egregia sunt *Fenelonii* et *Lockii*: elegantia etiam, quae in variis libellis moralibus et satiricis proposita legimus. Iucundam quoque nuper rationem iniit et ad vsum valde accommodatam nobilissima femina *la Beaumont*, conscribendis opusculis elegantissimis *le Magazin des Enfants*, *le Magazin des Adolescentes*. Huc spectant quae Lipsiae, auctore *Io. Friderico Maio*, Politices ac Philos. mor. P. P. impensis Gollneri, prodierunt, „Consilia bene instituendae ad annum aetatis decimum sextum „puellae: libelli de puerorum educatione pars „altera. Vbi simul discipuli in praeceptorem „officia traduntur, et in praefatione disquiritur, „quo tempore futurum videatur, vt tot prae„claris de institutione puerili consiliis plenior, „quam adhuc factum sit, euentus respondeat." Plag. 7½ octonis.

Vorschläge zum glücklichen Unterrichte eines jungen Frauenzimmers bis in das sechszehnte Jahr, als der zweyte Theil der Vorschläge zum glücklichen Unterrichte eines Knaben bis in das sechszehnte Jahr; wobey zugleich die Pflichten eines Schülers gegen seinen Lehrer ausgeführt werden. Nebst einer Vorrede von dem glücklichen Zeitpuncte, worinne die gute Anweisung zur vernünftigen Kinderzucht grössere Wirkungen thun werden, als jetzo: aufgesetzt von Johann Fridrich Mayen, der Politik und Sittenlehre öffentlichem Lehrer in Leipzig.

Prae-

Praemissis quaestionibus aliquot generalibus, ostendit auctor celeberrimus, quibus rebus a puerorum disciplina discedere puellarum educatio debeat. Quo loco de corporis etiam temperatione exponit, et pro eius diuersa natura tractandorum puerorum modum definit. Deinde quibus litterarum artiumque partibus qua ratione imbuendae sint virgunculae persequitur. Nulla hic vel noua, vel ante incognita proponuntur; neque enim id consilii erat doctissimo auctori: sed de rebus notis ita exponitur, vt multa tamen dicantur, quae iucunda obseruatu sint parentibus, quaeque ad omnes partes in rem suam conuertere vtiliter queant. Inde a pagina 90. discipuli in praeceptorem officia explicantur.

Illa vero omnia eo rectius hic, et vitae accommodatius praecipi cognouimus, quod is est prudentissimus auctor, qui vsu ipso edoctus, quid institutioni puerili conueniat, vnus omnium optime nouerit, deque illustrando hoc argumento praeclare dudum, non vno libro meritus fuerit.

In praefatione, tum demum a praeceptis et consiliis instituendae iuuentutis exspectandum euentum prosperum ac felicem docet, cum non parentes solum praeceptoresque, verum etiam magistratus, et qui ciuitatibus praesint, rationem habere succrescentis rei publicae iuuentutis, et hanc salutis partem legum et institutorum auctoritate iuuare, coeperint.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XL.

DIE MARTIS, XV. CAL. DECEMBR. cIↃ IↃCCLXI.



HAGA COMITVM. X. NOV.

Quae tum e Gallia, tum ex Hiſpania perſcripta ſunt de pactione d. XXV Aug. ab vtrisque inita, animaduerſionem excitant hominum politicorum, et in deliberationes publicas potiſſimum cadunt. Facile enim futurum putant reipubl. ordines, vt aula Londinenſis flagitet quae ſibi ex foedere debentur, auxilia. Ex quo enim allatus fuit pactionis illius paullo certior nuntius, propoſita fuiſſe dicitur quaeſtio, conſultumne videretur augeri rei publicae copias vicies mille hominibus? Sed conſilium illud reiectum fertur, non minus quam alia eiusdem argumenti, quo tem-

pore ſereniſſima Princeps vidua rei publ. praeeſſet. Interea viginti militibus augebitur centuria * quaelibet. Quodſi enim duci bellum, latiusque dispergi futuro anno videatur, ſatis maturum cenſetur fore, ſi menſe Ianuario Februarioue illa conſcribendorum militum conſilia ſuſcipiantur.

* Compagnie.

HANNOVERA. XIII. NOV.

Eimbeckam heri caſtrorum principia transtulit Ferdinandus. Ad vrbem noſtram copioſum inſtruitur foeni ſtraminisque horreum.

Lucknerum, ſupremum vigiliarum adhuc praefectum *, ad altiorem dignitatis militaris gradum euexit Rex auguſtiſſimus, ſummique ducis vicarium ** eſſe iuſſit.

* Generalmajor.

** Generallieutenant.

ZELLA. IX. NOV.

Hoc veſpere ipſo certus nobis curſor refert, prope vicum Scherf-Oldendorf a tribus hoſtium agminibus tentata fuiſſe agmina noſtrorum duo, Principis Brunſuicenſis, et Luckneri. Auxilio Principi veniſſe Granbyum. Profligatos Gallos retroceſſiſſe ad exercitum maiorem. Opimae praedae facultatem habuiſſe Luckneri Hungaricos. Hercyniae tractum hoſtibus vacuum eſſe.

EX SILESIA INFERIORI. VII. NOV.

Latius ad Marchiae Brandenburgicae fines vsque praedatum excurrunt Austriaci Russique. Rex Strehlae adhuc commoratur, hospitio suburbano vsus. Temporarias coniunctasque stationes habent * vtriusque exercitus milites. Neque tamen adhuc finem impositum hornae expeditioni putamus.

* cantonniren.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. X. NOV.

Strenua adhuc defensione fungitur Colberga. Agmen Bergicum, quod vi expugnare stationem * Prussorum inter Stargardiam et Pyritium conaretur, repressit Platenius satis male mulcatum.

* einen Posten forciren.

LVNEBVRGO. XIV. NOV.

Ex Brunsuicensium litteris, vel hodierna luce, vel crastina, Zella Brunsuicum reuertetur Dux serenissimus, omnibus ciuium votis exspectatus. Cras pariter ex vrbe nostra eodem reditura est ipsius coniux celsissima.

ALTONA. XVII NOV.

Nouissimis e Saxonia nuntiis comperimus, VI et VII huius mensis impetum a Daunio factum in castra Henrici Principis prope Sietsuiam munita. Irruentibus tametsi strenue restiterant Prussi, fecit tamen immutata Dau-

niani exercitus collocatio, vt in Lusatiam inferiorem discedere consultius putaret Dux serenissimus, sibique submittendum a Rege agmen iungere. Discedentem subsecutus est, mora nulla interposita, Daunius. Quae cum ita sint, in horas inde aliquid rei grauioris exspectatur.

RES LITTERARIAE.

Prolusio de mercatura veterum Romanorum, in primis de equite Romano, negotiatore. Qua Viro illustri, amplissimo ac praenobilissimo Rudolpho Michaeli Ridelio Senatori reipublicae Hamburgensis grauissimo dignissimoque, felicissima muneris suscepti auspicia gratulatur Ioannes Martinus Müller, Ioannei Hamburg. Conrect. Hamburgi litteris Harmsenianis MDCCLXI. 4 plag. in forma quarta mai.

Eleganti hac doctaque commentatione Vir clarissimus, celeberrimo Collegae suo cognominis, simul et Patronum illustrem publice colit et reliquos litterarum existimatores grato munusculo adficit. Neque enim adhuc, quod quidem sciamus, expositum paullo disertius fuit libell[o] singulari de mercatura Romanorum.

Antiquissimis temporibus quaestuosa merc[a]turae negotia prorsus ignorabant ciues Roma[ni] vel bellis, reique tum publicae, tum priuat[ae] studio impediti, vel a nauigandi periculis abho[r]rentes: certe nullas cum exteris nationibus [...]

rat

rationesque contraxisse videntur. Sed erant aduenae multi et peregrini, qui permutandarum vendendarumque mercium caussa, tum e vicinis regionibus, tum e disiunctissimis terris Romam confluerent: erant serui, qui ex Romuli institutis, praeter alia ministeria, mercaturas etiam et negotiationes exercerent. Vtrique hominum generi quoad relicta esset mercatura, fieri non potuit, quin ab ingenuis hominibus eius studium contemneretur.

Sed temporis progressu, cum varias commerciorum vtilitates, et ad omnes vitae partes commoda intellexissent Romani; mercatura etiam in laudibus poni, immo a viris principibus celebrari vsurparique coepta est. Itaque in singulis Romanorum ordinibus negotiatores fuisse reperias. Inter equites, qui negotiarentur eminebant publicani, h. e. qui redimendis publicis reditibus, atque iis in primis vectigalibus, quae in prouinciis ex agris, ex pascuis, ex portubus mercibusque redundarent, publico perfruebantur. Vehementer enim alucinantur, qui veterum Romanorum publicanos (*Generalpächter*, *Zollpächter*) cum eiusmodi hominibus, quos nostrates *Zöllner* vel *Zollbediente* vocant, comparandos putant. Hi illorum erant administri (*Zollbediente*), tum portitores (*Zolleinnehmer*), tum magistri scripturae (*Zollschreiber*). Nec senatores, etsi id ipsum nonnullis secus videatur, negotiatorum numero excludendi. Plurimi enim ex equestri ordine,

quem in negotiis quaeſtuoſis verſatum patet, in ſenatum cooptabantur. Quos, impetrato munere ſenatorio, ſtatim abiecisse commerciorum vſum, minus ſane credibile videtur. Praeterea ipſi ſenatores, maioribus magiſtratibus, aedilitate, praetura, conſulatu et cenſura nondum perfuncti, adhuc priuatorum hominum iure vtebantur. His accedit, quod tempore belli, et in extremis rei publicae anguſtiis ſaepe neceſſe erat, vt, qui redemturis patrimonia auxiſſent, etiam reipublicae, ex qua creuiſſent, ad tempus commodarent conducerentque ea, quae ad exercitus alendos opus eſſent: cuiusmodi negotiationes erant centonaria, ſagaria, argentaria, frumentaria cet. Quibus denique argumentis robur addit ipſa lex tribunitia, qua poſtea ſenatoribus, ne quaeſtum facerent, ne ad mercaturam animum adiungerent, neue naues mercatorias haberent, interdictum eſt.

Sub Imperatoribus ita feruere negotiantium ſtudia coeperunt, vt iam non ciues ſolum priuati, ſed proceres quoque Romanorum commercia exercerent. Ipſe luxus vt plures aduehendae eſſent merces peregrinae, atque mercatura latius in dies pateret, effecit. Huic negotiandi ſtudio adſcribendae vel in primis videntur immenſae quorundam priuatorum hominum diuitiae.

His ita disputatis cum viros Romae vel na-

talium ſplendore, vel virtutis morumque commendatione ſummos, mercaturae operam dediſſe, pateat: qualis illa mercatura fuerit, docendum eſt. Quam eiusmodi fuiſſe oſtendit doctiſſimus Müllerus, qualem ſolam in laude ponendam iudicauit Cicero, qui de Offic. I, 42, *mercatura*, inquit, *ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt. Sin magna et copioſa, multa vndique adportans, multisque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda. Atque etiam, ſi ſatiata quaeſtu, vel contenta potius, vt ſaepe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſionesque contulerit, videtur iure optimo poſſe laudari.* Hanc deſcriptionem qui tenuerit, quid de ingenuorum ciuium, quid de equitum, quid de ſenatorum mercatura ſtatuendum, facile expedierit.

Primum eſt, *vt non ſit tenuis et ſordida; ſed magna et copioſa.* Hoc in equite, in ſenatore, vel in ipſo Imperatore Rom. requiri, nemo erit, quin intelligat. Vulteium quidem Horatianum (Epiſt. I, 7, 65.) facile ferimus *vilia vendentem tunicato ſcruta popello;* ſed hominem ingenuum volumus ab omni ſordidae artis quaeſtusque ſpecie remotiſſimum. Huius fuerit, de ſua ipſius pecunia naues omnibus rebus inſtructas per omnes terrarum oras maritimas dimittere, rerum, quibus abundet patria, exportationem; quibus egeat, inuectionem iuuare liberaliter cet.

Alteram mercatura laudem habet, *eum ipſa*

multa

multa vndique adportat, multisque sine vanitate impertit. Et hanc quoque habuisse mercaturam, in qua principes Rom. versarentur, historia antiqua docet. Ex Africa, Sicilia, Sardinia magnam omnis generis frumenti copiam; Alexandria, vrbe Aegypti, piper, aromata, telas, libros, papyrum, chartas, vitra, lina, stupas, sindones et vestes Babylonicas; ex Numidia, marmor et columnas; ex India, ebur; ex Attica, trabes hymettias; ex Arabia felici, tura et suffimenta deferenda curabat. Hoc etiam portoria s. vectigalia indicant, quae ex rerum venalium, in primis peregrinarum mercium, inuectione et reuectione colligebantur. Ad hoc potentiorum mercatura numerosas manus poscens, tenuiorum indigentiae opitulabatur. In his erant praeter alios, *mercatores*, *negotiatores*, *institores*, *calculatores*, s. ratiocinatores, (Buchhalter, Rechnungsführer) *proxenetae* s. pararii (*Mäkler*), *praecones.* Erant praeterea *curatores*, *nautae*, *vectores*, *operarii*, *carrucarii*, *mercenarii*, quibus in recipiendis, colligendis, et transmittendis mercibus opus esset.

Tertium ex descriptione Ciceroniana momentum est, *vt opes copiosis et magnis mercaturis collectae ad coëmendos comparandosque agros fertiles et possessiones rusticanas conferantur.* Atque hanc disputationis partem, iucundam in primis, similiter vsu Romanorum illustrat Auctor elegantissimus. Ceterum spem facit tractationis de mercatura Rom. enucleatioris, cui hanc veluti prolusionem praemiserit.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLI.

DIE VENERIS, XII. CAL. DECEMBR. cIↃ IↃCCLXI.



LONDINO. VI. NOV.

Heri, quo die coniurationis ſulphureae memoria ritu anniuerſario recolebatur, ſplendidus erat aulae conuentus. Congregabantur ordinum Periſcelidis *, Cardui ** et Balnei *** equites, ſignis quique ſuis ornati, Regi, gentique auguſtae ea de re gratulaturi.

* Ritter vom Hoſenbande.

** Ritter vom Diſtel-Orden.

*** Ritter des Bades.

Perlatos huc videmus commentarios de actis inter Galliam Angliamque pacificatoriis, *Memoire*

historique sur la Negociation de la France et de l'Angleterre cet. Quo de argumento vtrum quidquam editura sit aula nostra, nondum constat.

Stanleius iam redux, Lutetia Paris. missam acceperat Regis christianissimi effigiem, magni pretii lapillis distinctam. Vicissim hinc propediem Bussio quod aeque pretiosum sit, muneri mittetur.

Magis magisque euanescit quae erat, spes de Pittio rei publicae iterum praeficiendo.

Intra paucos dies sciemus, futurum ne sit nobis bellum cum gente, quae media adhuc integraque manserat, an minus.

EX EADEM VRBE. X. NOV.

Die VI. Nov. iterum, ex quo conuocatum habemus regni senatum, in curiam superiorem* prodibat Rex, in cuius conspectum a communi concilio ** adducebatur huius orator *** futurus, Ioannes Cust. Comprobato viro, per supremum regni Cancellarium **** significabat Augustissimus curiae inferiori, quaecunque illa pro iure ac libertate sua factura esset, ea ab se omnia rata habitum iri.

* das Oberhaus.

** die Gemeinden.

*** der Sprecher.

**** Grofskanzler.

Postea

Poſtea oratione Rex in ſolio ſedens initia dabat * conſultationibus. Quo digreſſo cum diſceſſiſſet commune concilium, de oratione in ſenatu regia ad illuſtres regni proceres ** referebat Cancellarius Angliae ſupremus. Quo facto, vtraque curia pro ſe quaeque Regi quidem libello gratias agendas ***, Reginae vero nuntios ablegandos decreuit.

* eröfnete die Sitzung.

** Lords.

*** Dankſagungsadreſſe.

LVTETIA PARISIORVM. IX. NOV.

Rurſus agitatum iri audimus conſilia inter aulam noſtram et Londinenſem pacificatoria: quorum iam inter ſe leges communicaſſe dicuntur aulae. Vt veriſimile non eſt, Galliam in iis, quas antea ferebat conditionibus perſtituram: ita ſperandum quoque videtur, fore, vt Angli, pacis iam quidem non minus, quam nos, cupidi, de priſtinis poſtulatis nonnihil remittant.

Die huius menſis ſecundo, Verſaliis Regem Reginamque officioſe ſalutauit Princeps Condatenſis ex Germania redux.

RATISBONA. V. NOV.

Die menſis nono rurſus inſtaurabuntur comitia*. Delegatorum imperii ordinum conuentui ** propediem exhibitum iri dicunt mandatum imperatorium ***, quo nouae pecuniae

menſtruae, ab expeditione Romanâ dictae****, poſtulabuntur.

* Reichstagsverſamlungen.
** Reichsconvent.
*** Kaiſerl. Commiſſionsdecret.
**** Römermonathe.

EX FRANCONIAE TRACTV. X. NOV.

In terris Hennebergicis Galli, vt Werram fluuium nauigabilem habeant, omni opere nituntur. Vbicunque impedimenti quid obiicitur, cataractis rem expediunt. Cuiusmodi opera cum immenſam fere materiam requirant, ſiluas excidi totas videmus. Eo labore regionis incolae quotidie continentur. Illud quaerere videntur Galli, vt pabula cibariaque comparari expeditius, et ſi res exigat, vlterius etiam transuehi poſſint.

DVSSELDORPIO. X. NOV.

Ex copiis Sobiſianis ad Rhenum inferiorem tot remanent, quot retinendo flumini tegendoque ſuffecturae videantur. Pontes illi non vno loco imponuntur.

Veſaliae Galli ea parant, quae euerſionem munimentis vrbisque operibus ac demolitionem haud dubie portendant.

RATZEBVRGO. XII. NOV.

Bellingium tribunum ſubito in terras Megapoli-

politanas reuertiſſe cum ter mille militibus, et in vico Wredenhagen ſtationem praecipuam habere, litteris inde allatis cognouimus. Praeterea dimitti ab eo, accepimus, cateruas, quae Ducis ſereniſſimi copias redeuntes intercipiant, ſuo agmini ſupplemento futuras.

RES LITTERARIAE.

Antiquiſſimi maiores noſtri, incultioris Germaniae incolae, quemadmodum morum probitate reliquis populis facile antecellebant: ita in ipſo deorum cultu, tametſi cum aliis communiter alucinabantur, tenebant tamen aliquid, quod ja naturae verique ratione propius abeſſe videatur. Praeclare hoc docet, quae Iſenaci nuper plagulis 6 formae quartae prodiit, *Ioannis Friderici Eckhardi, Ill. Gymn. Iſenacenſis Directoris, ampliſſ. philoſoph. ord. Ienenſis Adiuncti, ſocietatis Teutonicae et Latinae membri honorarii, de Germanis antiquis deos ſuos parietibus minime cohibentibus, Commentatio.*

Eleganti libello probare contendit Vir doctiſſimus, Tacito potiſſimum auctore vſus, notionem dei longe rectiorem, diuinaque natura digniorem animis informaſſe Germanos veteres, quam a ceteris deorum cultoribus factum ſit. Cuius rei veritas vt clarius adpareret, et velut apertior aditus ad illa Germanorum ſacra fieret, nonnulla ante ſibi ſtabilienda putauit Eckhardus atque probanda. Primum, falſum eſſe Iulium

Caesarem docet, cum Germanos neget cultui diuino studere, et esse Deum putare: nam nec fieri posse, vt ab vniuersa aliqua gente ac natione nullus colatur deus; nec magnam vim inesse in Caesaris testimonio, quem veris falsa immiscuisse, saepeque narrantem a vero aberrasse, iam inter veteres constiterit. Neque tamen in hoc maleuolentiae Caesarem accusat, quem potius ex Romanorum indole iudicasse de Germanis et narrasse putat. Deinde opinionem pariter reiicit eorum, qui Germanis non Dei solum vnius, sed Triadis etiam diuinae cognitionem tribuere non dubitarunt.

Parte commentationis prima verisimili ratione euincitur, prae reliquis gentibus Germanos veteres notionem concepisse dei immensi et infiniti. Quam cum sola ratio aliqua ex parte doceret, tamen non retinuerunt ceteri populi a veri dei cultu alieni, vel certe corruperunt. Cui quidem rei occasionem dedit templorum in rebus sacris cultuque diuino vsus. Sed illi corruptelae eo minus obnoxii fuerunt Germani, quod nullis templis, nullis imaginibus vterentur. Atque hoc institutum ipsum videri potest, ex Taciti quidem verbis, ab accuratiori dei infiniti cognitione profectum, quam quae vulgo recepta esset. Quod vt luculentius adpareat, parte secunda demonstratur, cultum illum, quem in templis paragerent veteres, haud cadere in notionem dei immensi et infiniti. Eadem ratio parte tertia ad cultum imaginum transfertur.

Pars

Pars quarta in argumento principe versatur, ex cap. nono Taciti de Moribus Germanorum arcessito: simulque remouet illam, quae ex *templi* vocabulo, aliis in locis vsurpato, esse videbatur, repugnantiam. Adfert praeterea Graecorum Persarumque in hoc iudicio consensum, et in caussas quare ita statuerent, inquirit.

Germanorum hinc rationem simili modo expendit auctor eruditissimus, il s ue, allatis in vtramque partem rerum momentis, primas etiam tribuit. Ac ne partium studio quidquam dedisse putetur, ad monumenta ipsa, Eddam in primis, remittit. Veriores illas Dei notiones inde a Noachi tempore acceptas traditasque existimat.

Ratisbonae litteris Zunckelii exscripta legitur *Bibliotheca, siue Catalogus librorum, quibus vtitur Georgius Septimus Dieterichs, Comes Palatinus Caesareus, et Reipublicae patriae Ratisbonensis Senator.* Pars I. 1760. pagg. 172. octonis. Pars II. 1760, pagg. 194. Pars III. 1761. pagg. 195-334.

Quod alias in bibliothecis publicis fieri solet, vt euulgandis librorum indicibus ipsae bibliothecae eruditis hominibus, etiam exteris, veluti aperiantur: hoc in priuata supellectili facit liberalitas Dietericiana. Offert Vir illustris thesauros hic suos multo studio collectos litteratorum vsibus;

vſibus: et, quo expeditior ſit vtendi facultas, quales illi et cuiusmodi ſint, commoda ratione indicat.

Prima Catalogi pars opera maiora complectitur litterarum ordine. Ea potiſſimum ad Hiſtoriam et Juris diſciplinam pertinent. Vaſtiorum quidem voluminum et pretioſorum copiam non valde magnam deprehendimus: ſed eo maiorem librorum vtilium, et rariorum. In his Res publicae Elzeuirianae, quae vocantur, adſunt omnes. Nec pauci ſunt libri ſingulares, qui in iure Ordinum et Ciuitatium imperii Germanici verſantur, iique rariſſimi, v. g. de rebus Auſtriae, Stiriae, de Norimberga, Sedino, Argentorato cet.

Parte ſecunda adparatus incipit disputationum, programmatum, et opuſculorum ex omni ſcientiarum genere. Atque hic potiſſimum diuitiae comparent Collectoris, ampliſſimae ſane et admirandae. Tota enim pars, ex litterarum ſerie priores tantum tres exhibet: quartamque partem complent omnem ſequentes litterae quatuor. Illae ſeptem litterae libellos indicant minores duodecies mille ſeptingentos et octoginta: hoc ipſo ſaeculo et ſuperiori in Germania aliisque terris editos; in quibus complures ſunt, qui forte nusquam alibi reperiantur. Haec collectio illuſtri poſſeſſori viginti annorum diligentia conſtitit.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLII.

DIE MARTIS, VIII. CAL. DECEMBR. cIↄ Iↄcclxi.

OLYSSIPPONE. XXV. SEPT.

Typis iam expreſſa legitur copioſe deſcripta cognitio *, quam de famoſo illo Gabriele Malagrida inſtituit quaeſitorum fidei tribunal **. Si a vaticinationibus, quae ad Regem ſpectant, diſceſſeris, argumentum ſcripti omne verſatur in errantibus, ſeditioſis, impiisque decretis, quae homo ſceleratus duobus libris euulgarat. Horum alter, Luſitanico ſermone conſcriptus eſt hoc indice, *Heroica e admiraval Vida de glorioſa Santa Anna, Mai de Maria Santiſſima, dictada da meſma Soberaniſſima Senhora e ſeu Sant.ſſimo Filho:* hoc eſt, Vita heroica et glorioſa ſanctae Annae, ſanctiſſimae Mariae

Tt ma-

matris, ab ipſa domina praepotenti ſanctiſſimo filio ſuo dictata. Alter inſcriptus eſt, *Tractatus de Vita et Imperio Antichriſti.* Atque in illis prauitatis erroribus ad vitae finem perſtitit homo fanaticus, neque ſibi eos extorqueri paſſus eſt, ſaniora iudicum conſilia contumaciter aſpernatus. Itaque quem iſte adflatum diuinum venditabat, hunc animum ſanctitatis ſimulatione, faſtu, temeritate, ſtultitiaque inflatum declarauit tribunalis ſacri ſententia: quae peſtiferarum opinionum condemnatum magiſtratui tradidit, addita formula, qua more ſolito rogabantur noui iudices, vt, quoad fieri poſſet, miſericordiam adhibere reo vellent, nec poenas cum ſanguine poſcere. Enimuero hi neutiquam obſecundantes, paullo etiam grauius in maleficum ſtatuerunt. Sententiae haec ſumma erat: Reum a ſacro iudicio propter nefarias, quibus infectus eſſet opiniones, ſibi traditum, re cauſſaque diligentius cognita, morti addici ita, vt ad palum iugulati corpus igne concremaretur, cineresque ſpargerentur, ne veſtigium ipſius vllum ſupereſſet. Ceterum Mediolanenſis erat Malagrida in Comenſis territorii vico, Minaio, editus.

* das Verhör.

** die heil. Inquiſition.

VESONTIONE. XXII. OCTOBR.*

Tribus praemiis eruditorum hominum ſtudia et ſollertiam excitat ſcientiarum artiumque liberalium Academia noſtra, d. XXIV. Auguſti

a. 1762

a. 1762 distribuendis. Quorum bina legauit Talardi Ducis, rebus humanis iam erepti, liberalitas: tertium ab hac ciuitate constitutum est.

* Besançon.

Eloquentiae proponitur numus aureus 350 librarum Gallic. quem auferet qui oratione, semihorae curriculo praelegenda, optime excusserit quaestionem, Saepiusne illa rerum domina Fortuna hominem, quem beet, an homo fortunam quaerere videatur?

Historicis disquirendum est, Coenobia illa nobiliora*, vulgo St. Claude, Luxel, et Lure dicta, quo tempore vsa sint iure regibus sacro**, et quam illud late patuisse videatur? Praemium erit numus aureus 250 librarum Gallicarum.

* Abteyen.

** Rechte der Regalien.

Denique, tegularum officinae qua ratione perfici queant, qui ostenderit, numo aureo 200 librarum donabitur.

MONACHIO. XX. OCTOBR.

Diem serenissimi Principis Electoris nomine insignem, sollemniter nuper coluit Academia, quae hic *floret*, scientiarum. Die XII Octobris in numeroso auditorum consessu orationem Latinam de iis, quibus Scholasticorum philosophiam hodierna superat, recitabat Vir illustris a

Wolter, Sereniſſimi Principis a conſiliis ſanctioribus, Medicus primarius, ordinis Academiae philoſophici director.

D. XVIII. de exhibitis Academiae libellis quinam propoſita praeſtantiſſimis praemia ferre deberent, diiudicabatur. Tribuitur vero nummus aureus modi maioris quinquaginta hungaricos aequans.

Quaeſtione phyſica disquirendum erat, Ad ſuccum plantarum nutritium quid plantae ipſae, quid ſoli natura conferret, ſolumque qua ratione ad ferendas fruges emendandum? Quam cum a non vno docte eruditeque pertractatam vidiſſent Academici: praemium tamen tribuendum ſtatuerunt disputationi hoc diſticho inſignitae,

Fortunatus et ille, Deos qui nouit agreſtes,

Panaque, Syluanumque ſenem, Nymphasque ſorores.

Aperta, quae obſignata erat ſchedula, auctor prodibat Berolinenſis, vir ill. atque cel. a Juſti.

Hiſtorica quaeſtio in regum Franconiae et Bauariae ducum ex gente Angilolfingica iure alterno verſabatur. Omne punctum tulerat ſcriptio, quae hunc verſiculum praeferebat,

Molliter auſterum ſtudio fallente laborem.

Reſignabatur adiuncta libello ſchedula. Sed haec, nomi-

nominis loco, ſcriptum aliud ſymbolum habebat, media parte abſciſſum: ſimul rogabantur arbitri, vellent, ſi forte huic ſcripto primas detuliſſent, libellis illud publicis indicare. Interea Academicorum nonnulli ex ſtilo, ipſaque disputandi ratione intelligere ſibi videbantur ab eodem viro praeſtantiſſimo, cui modo praemium Phyſico adiudicaſſent, hanc quoque disquiſitionem profectam. Quod ipſum vere eos conieciſſe euentus poſt comprobauit.

In annum ſequentem propoſitae pariter ſunt quaeſtiones binae: altera hiſtorica eſt; altera ad Aſtronomiam pertinet.

BRVXELLIS. VII. NOV.

Adhuc per fines noſtros transire videmus copias Gallicas.

Exeunte menſe ſuperiori in viuario Harenenſi ſtatua ponebatur marmorea sereniſſimi Principis, Belgii Auſtriaci praeſidis. Morem illa veſtitumque Romanum refert, atque vna cum baſi ad quindecim pedes altitudine protenditur. Circa eam minores ſtatuentur quatuor, Deas, theatri praeſides, Melpomenen, Thalian, Euterpen et Terpſichoren repraeſentaturae. Nihil in toto opere deſiderauerint periti, quo cenſeri artis Phidiacae excellentia ſoleat.

EX EADEM VRBE. XI. NOV.

Quae Gadibus nouiſſime allatae ſunt, litterae,

minime laeta nuntiarunt: Algeriae principis * iuſſu, vno die templa ſacris Romanenſibus dicata clauſa fuiſſe omnia; fidei propagandae cauſſa miſſos in cuſtodiis teneri; horum etiam nonnullos carris addictos eſſe. Illius conſilii quae cauſſae fuerint, ignoramus.

* Dey.

RES LITTERARIAE.

De cognatione Hiſtoriae et Eloquentiae cum Poëſi. Lipſiae ex officina Langenhemiana, pagg. 40, formae quartae. Disputatio eſt, quam haud ita pridem in academia Lipſienſi ad diſceptandum propoſuerunt fratres praeſtantiſſimi, *Samuel Fridericus Nathanael Morus*, Artium Magiſter, et *Chriſtian. Gotth. Beniamin*, Laubanenſes.

Nemini vel ignota vel dubia eſſe poteſt Hiſtoriae et Eloquentiae coniunctio, et vtriusque cum Poëſi cognatio: neque tamen omnes rationem illius vinculi communis ſatis perſpiciunt. Quod vel error indicat eorum, qui illud ingenio ſcriptorum potiſſimum deberi, et ab horum pendere arbitrio putant. Itaque ſuperuacua videri haud debet Auctoris noſtri diligentia, quae in cognationis illius naturam et originem accuratius inquirit.

Primo quidem loco de cognatione illa exponitur, quae Hiſtorico cum Poëta intercedit. Sed illa neque ad annalium ſcriptores pertinet,

neque

neque ad eos, qui ſine ornatu vllo res geſtas enarrant: ſed in his verſatur, qui pragmatica ratione, quam dicunt, hiſtoriam perſequuntur. In horum oratione multa reperias verba poëtica, figuras inſigniores, epitheta vero pulcherrima; quo quidem nomine non adiectiua, quae dicimus, ſola intelligenda ſunt, ſed quaecunque etiam alia, quae loco eorum adhibere ſtilus ornatior ſolet. In elocutione etiam paullo audaciores nonnunquam hiſtoricos videas; quo ipſo poëtas imitantur, quorum eſt, vnam rem variis modis multisque verbis efferre, ita tamen, vt certa ipſius pars ac veluti facies compareat: Deinde ſimilitudinem inter ſe habent Hiſtorici et Poëtae in tractandi ratione. Narrationes vtrique ſuas pari modo deſcriptionibus amplificant, aliisque rebus adiungendis. Comparationum vſu perſpicuitatem et delectationem quaerunt, lectoris ſtudium excitant. Etiam tum poëtas imitantur hiſtoriarum ſcriptores, cum, quod ſaepius fit, ſententias inſerunt, et meditationes philoſophicas, quo vtilior fiat hiſtoria et ad vſus vitae accommodatior; cum nonnunquam, placendi cauſſa ab argumento paullulum digreſſi, ſermones familiares referunt, et narratiunculas etiam immiſcent. Neque tamen in illa ſimilitudine nihil inter Hiſtoriam et Poëſin diſcriminis remanet: id quod erudite ab auctore noſtro oſtenditur. Qui deinceps etiam conquiſitis argumentis probat, illa omnia *Hiſtorico* a *Poëtis* adſumenda eſſe, ſiquidem

dem lectorum vtilitati consulere, et quae narrat, infigere animis voluerit.

Hinc ad Oratoris cum Poëta cognationem progreditur Auctor elegantissimus. Exposita paucis eloquentiae natura, eodem, quo ante vsus fuerat ordine, adhiberi ab oratore docet verba poëtica multa, tropos, epitheta selecta: quantaeque elocutionis diuitiae requirantur, quanta numeri suauitas, ex ipsius, qui verba facit, consilio probat.

Hic atque illic paullo forte copiosius persequi argumentum suum videatur Vir praestantissimus: sed haec ipsa copia non inutilis erit litterarum studiosis, iunioribus praesertim, qui ex hac commentatione non pauca discere et in vsum suum conuertere poterunt. Loca hic bene multa sunt, quae accuratam veterum lectionem et interiorem cum Auctoribus classicis consuetudinem prodant. Recta etiam de rebus et disciplinis iudicia, atque oratio tersa nitidaque commentationem hanc de meliori nota commendant.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLIII.

DIE VENERIS, V. CAL. DECEMBR. CIƆ IƆCCLXI.

HOLMIAE. III. NOV.

Qui Reginae imperatricis iussu, diu in hac aula Legati extra ordinem munere functus erat, illustrissimus Comes a Goes, Vindobonam reuocatus est, umque, audientia priuatim facta, valere aulam ostram iussit. Eum augustissima Hera sibi a onsiliis sanctioribus esse voluit, simulque Arhiduci natu minimo dedit aulae magistrum.

In Hernosandiae xenodochio alitur singulari uadam paralysi laborans Ioannes Danielson enström, in vico Ieresta, qui ad Nordingrenem Ingriae dioecesin pertinet, d. XVI. April. a.

1715 editus. Hic ex quo lucem adſpexit, bra-
chiis iners fuit ita, vt nunquam ea altius quam
ad ventriculum ſuſtollere potuerit. Manus na-
turae modo conformatas, ſed introrſum hume-
ros verſus inflexas habet: quo fit, vt, tamet-
capere illis porrectum v. c. pileum baculum-
poſſit, veſtem tamen induere parti corporis
ſuperiori nequaquam poſſit. Brachiis pedibus-
que vtitur tenuibus valde et infirmis: pedibus
quidem dupliciter incuruatis. Quorum cum
plantae retrorſum conuerſae ſint, digiti intror-
ſum vergunt ita, vt oblique ſe mutuo conti-
gant. In illa pedum diſtortione, qua et diffi-
culter ingreditur, neque conſiſtere diu pote-
ſingulari tamen facultate praeditus eſt. Na-
inter pedum digitos inſertum cochleare non ip-
ſolum ori admouet; verum etiam, capta forfi-
pannos pellesque conſcindit; quin, digitali in-
poſito, veſtes ſartorum more, capitisque teg-
menta vtrique ſexui conficit. Praeterea calam-
qua pedis digiti iunguntur, immiſſo, ſatis com-
mode ſcribit: vitrum poculumque ori admou-
intricata fila extricat, et in glomum induc-
reliquaque eiusmodi manuum opera pedibu-
perficit. Ante annum aetatis decimum neq-
pedibus vti, neque manibus ad vllam rem p-
terat. Xenodochio, quod diximus, d. 1. I-
a. 1741 exceptus, menſe Iulio a. 1757, imp-
trata eius rei venia, matrimonio ſibi iunxit -
nodochii illius oeconomiae praefectam, Kirſti-
Hans Datter Löfdal. Ceterum homo ſtat-

humili, fronte porrectiore, viuidis oculis, crine nigro. Memoria satis valet: voce etiam qui praeditus admodum modulate cantat. Religionis cultusque diuini praeceptis animum habet praeclare imbutum. Pedum alacritatem quod singulis annis imminui sensit, ne ingrauiscente aetate ad ineuntis adolescentiae imbecillitatem recidat, veretur.

DELPHIS. XXIV. OCTOB.*

Serenissimae gentis Nassouicae Arausionensis **in nouo vrbis templo sepulchrum, cui reparando biennii labor impensus fuit, pristino tantum splendore restitutum conspicitur. Exstructum illud quondam a. 1609 fuit, ordinum Belgii iussu Guilielmi I Arausionensis monimentum, clarissimo artifice de Keyser.

* Delft.

** Oranien.

Proxime loculamenta antiqua, quibus insignia Principum comparent *, ex aduerso ei, quod Frisonis nostri capit, nouum aliud effectum est, insignibus serenissimae Principis, nostri praesidis hodierni matris, splendidum. In medio loculamento est scutum Arausionense et Britannicum, subrotundum sectumque, corona imposita, ab vnicorni et Leopardo sustentatum. Id circumit niger margo duplex. Ex corona caput eminet Genii inaurati. In margine

 nigro

nigro litteris inauratis ſcriptum legitur verbum OBIIT.

* Wappenbehältnifs.

Loculamentum praefert corpus ſiccatum* tantum non prominens argento inductum. Coronam illud clauſam ſuſtollit. Eius laruae caput obuoluitur velamento argentato. Ponſunt ſtatuae binae inauratae hominum magnitudine; dextrorſum quidem Genius, inuerſa facem manu tenens; ſiniſtrorſum femina, plorantis geſtu. Supra Genium attollitur vexillum, in quo nigris litteris inſcriptae ſunt voces *je maintiendrai*, h. e. tuebor. Pariter feminae ſupereminet vexillum, hac inſcriptione, VINDICE TVTA LIBERTAS. Ex aduerſum duae lampades accenſae viſuntur. Sub ſcuto in area nigra litteris aureis, ſignificatur dies, quo vitam finiit ſereniſſima princeps, XII Ianuar. cIↄIↄCCL. Inferius impoſitum viſitur duabus columnis, ſ cuſſatim iacentibus, clepſammidium. Supra ſcutum parieti infixa ſunt ſigna vexillaque, quae in ipſa exſequiarum pompa adhibita fuerant.

* Sceleton.

GEDANO. I. NOV.

Inter ſummos litterarum patronos merito refert Polonia noſtra illuſtriſſimum Principem Ioſephum Alexandrum Jablonowsky, ordinis Spiritus ſ. itemque ſ. Michaëlis et ſ. Huberti Equitem, Nouogardiae Palatinum, nuper e

Academiae ſcientiarum Pariſinae adſcriptum. Contraxit liberaliſſimus Princeps cum ciuitate noſtra rationem, qua certa pecuniae ſumma fundatur, vnde quotannis aurei numi quatuor redeant, his tribuendi, qui de propoſitis in medium quaeſtionibus optime expoſuerint.

Maximus quidem numus, quadraginta hungaricorum, orationi diſſertationiue promittitur in perficienda Poloniae iunctarumque regionum hiſtoria verſanti. Secundus, triginta hungaricos aequiparans, quaeſtioni Geometricae deſtinatur. Tertius, viginti hungaricorum, ad tractationem ſpectat, qua Phyſicis et agriculturae ſcientia iuuetur. Quarto denique numo donabitur, qui artis mechanicae et hydraulicae locum aliquem perſecutus fuerit.

LONDINO. XI. NOV.

Transmiſſam ex Dominica legimus a Praefecto militari, illius inſulae deſcriptionem: cuius haec ſumma eſt.

Poſſeſſionum, quas imperio noſtro adiecimus haud ſane poſtrema videtur Dominica. Magnas inſula opportunitates habet, plurimaque inde commoda capere M. Britannia poterit. Vberrimus eſt fabarum arabicarum *, nucum Indiae ** et optimi generis goſſypiorum *** prouentus. Magna etiam ſacchari, eiusque nobilioris, copia futura erat, niſi cannarum cultum negligi ab incolis maluiſſent Galli, veriti,

ne inuidiam excitaret insula propter vberiorem copiam celebranda.

* Caffebohnen.

** Cacao.

*** Baumwollstauden.

Longitudine insula ad decem fere milliaria protenditur, latitudine septem vel octo complet. Media parte montuosa est, et silueftris. Fluuiis aliquot riuulisque rigatur; et cum siccitate nulla laboret, campos praebet nunquam non viridantes. Quae sane fecundi soli feracisque indicia habentur. Sinus a Roberto Principe nominatus, omnium in litoribus Indiae maxime portuosus est, et propter aquandi lignandique opportunitatem nauibus nostris siue bellicis, siue mercatoriis dudum notissimus. Iam vada admodum piscosa reperiuntur, et in orae maritimae pascuis, pecudes multae, variique generis volucres. Quae hic gignitur, Nicotiana *, similis est eius, quam Martinica fert, longeque praestantissima ducitur.

* Tabac.

RES LITTERARIAE.

Amstelodami nuper impensis Harrevelti cum eruditis communicatum est Gallice scriptum opusculum, lectu meditatuque dignissimum. *De la Nature* inscribitur, et ex metaphisicis, moralibus et physicis, complectitur locos quatuor, ad cogno-

gnoſcendam naturam tum omnem, tum humanam longe vtiliſſimos. Quatuor illud partibus conſtat.

Parte prima de bono et malo in hac rerum natura, diſputatur. Sunt, qui omnia eſſe mala dicant; plures tamen, qui bona omnia: ſunt, qui plura malis bona contendant; rurſus non nulli mala volunt frequentiora. Ex his ſententiis philoſophus Gallus nullam omnino probat: potius demonſtrare adnititur, quod ſibi ante perſuaſit, aequam eſſe per omnes naturae partes boni malique menſuram. Quam ille aequilibritatem viginti octo capitibus docet vbique animaduerti, in ortu, et eorum, quae procreata ſunt, nutritu, in voluptate, in diuerſitate ordinum humanorum, in artibus et diſciplinis, in rebus mercatoriis, bellicis cet. ac ſimul de coniunctis cum illis rebus quaeſtionibus exponit. Sed quod in bellis, praeter alia bona, illud etiam ineſſe dicit, quod diminuenda hominum multitudine, ne impedimento ſibi onerique ſint, caueatur, rationem ſane adfert parum probabilem. Refertiſſima enim incolis eſt Sinenſium regio; neque tamen hi bellis ſibi opus eſſe iudicant, quibus eiusmodi alleuamentum quaeratur.

Parte libri ſecunda, quae de generatione ſimplici omnium ſimilique inſcribitur, *De la generation uniforme des êtres*, argumentis ſtabilire contendit, quaecunque ſint, minima, maxima, vno

omnia

omnia modo gigni. Habent hic naturalis disciplinae cultores, quo ingenium suam sollertiamque exerceant. Auctor quidem ad probandam sententiam, et exemplis per experientiam cognitis, et analogiae, quam vocant, legibus diligenter vsus est: eo pag. 331 progressus, vt astris astra generari doceat.

Parte tertia, principia philosophiae moralis ad naturae instinctum refert: huncque ad sensus reliquos sextum adiungit, ac moralem nominat; quaque ratione emendandus videatur, ostendit.

Pars vltima, Physicis spirituum titulo insignita, *De la physique des Esprits*, Psychologiam quandam praefert, cum corporis fabrica, arcta coniunctione copulatam, indeque facultates mentis viresque omnes arcessentem. Nouam hic et inusitatam Phychologiae formam induunt fibrae illae (*Fibres sensitives*, *intellectuelles*, *volitives*, *motrices*) et aliae eiusmodi partes corporis ad significandam mentis naturam adhibitae. Nonnulla profecto ita comparata putamus, ut inseruire vero indagando vtiliter possint. Otium certe delectabuntur lectorum, qui meditandi studio teneantur, neque naturae vim ignorent.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti, foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, nummos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLIV.

DIE MARTIS, CAL. DECEMBR. cIↄ IↄCCLXI.

HAFNIA. XX. NOV.

Dignitate auxit Rex augustissimus, et a Consiliis iustitiae esse voluit viros duo, in ciuitate Altonana de re partim ciuili partim litteraria longe meritissimos, alterum Ioannem Adolph. Petr. Gries, Syndicum ciuitatis, et Cancellariae regiae Consiliarium; alterum Georgium Christ. Maternum de Cilano, philosophiae naturalis, medicinae et antiquitatum Graec. atque Rom. in Christianeo acad. Professorem.

Concessit nuper in imperium optimi Regis, successionis atque hereditatis iure, Holsatia

Ploenenſis. Itaque propoſitum fuit die XIII Novembris ducatus illius ciuibus edictum regium, quo exſpectare propediem iubentur ſollemnem, regiminis cum ſacramento pietatis ſuſceptionem. Comprobatam interea voluit Auguſtiſſimus atque conſtabilitam auctoritatem eorum, quos Dux quondam ſereniſſimus vel iuſtitiae adminiſtrandae, vel aliis rei publ. partibus praefecerat.

LVTETIA PARISIORVM. XVI. NOV.

In portu Gratiae * adhuc verſatur Puyſegurius Marchio, ſummique ducis vicarius. Ibi ex aulae mandato conſtruenda curat nauigia noui generis, plana, remis agenda. In omnibus regni portubus defenſionis cauſſa conficientur, vt fama eſt, naues actuariae, ad deſcriptionem illam, quam a. 1752 propoſuerat Grammontius Eques. Octoginta illae milites capiunt. Prorae imponitur tormentum globuli triginta ſex librarum capax. ** Conſtratae praeterea ſunt, velisque et clauo inſtructae. Cum ad digitum tantummodo viceſimum octauum, vel triceſimum deprimantur ***; vix orae locus fuerit, quo non adpelli incolumes queant. E contrario fieri vix poterit, vt ad oras eiusmodi nauigiis tectas quidquam ſuſcipiant naues bellicae.

* Havre de Grace.

** eine ſechs und dreiſſigpfündige Canone.

*** nur 28 bis 30 Zoll tief gehen.

In

In Britannia minori * viginti quinque vel triginta millia militum congregantur. Quam rem qui cum aliis eiusdem generis contulerit, vix dubitare possit, quin in Angliae oras exscensio paretur, ducibus quidem, qui in portu Briuate ** adsunt, Belsuncio, et Equite a Sancta cruce. Quaecunque bello persequendo inseruiunt, acri studio summaque contentione instruuntur omnia. Paullo enim insolentiores se gerere videntur, fortuna sua nimium confisi Angli.

* Bretagne.

** Breſt.

VINDOBONA. XI. NOV.

Latius in dies per Saxoniam se diffundunt copiae nostrae. Die V. Nov. iubente Daunio, in stationes hostium principes * impetum fecit Riedius, Dux militum, hoc ipso consilio cateruis quibusdam turmisque auctus **, tanta vi, ac virtute, vt non de statu modo suo deiicerentur hostes, verum etiam, praeter bina tormenta campestria ***, Centuriones duo, Subcenturiones **** tres, cum centum et triginta gregariis desiderarent: ne caesos longe plures vulneratosque commemoremus. Quin oppidula quoque Nossen et Roswein eodem tempore petita expugnabantur.

* Vorposten.

** mit einigen Bataillons und Escadrons verstärket.

*** Feldstücke.

**** Lieutenants.

Postridie eius diei Döbelium, ad Muldam vsque, progredi iubebatur agmen Riedianum. Quod vt tutius fieret, dextrorsum ac sinistrorsum procedebant agmina alia bina: quorum alteri praeest Campitellus, summi castrorum praefecti vicarius*; alteri Albertus, regiae celsitudinis Princeps. Qua quidem re effectum est, vt a lateribus nunc admodum coërceatur exercitus hostilis.

* Feldmarschall-Lieutenant.

WARSOVIA. XVIII. NOV.

Si vera narrant litterae ex Pomerania vlteriori nouissimae, copiis suis hiberna ibidem constituet Romanzouius, augustissimae Imperatricis iussu.

EX VISTVLAE VICINIA. XIX. NOV.

Gedano in Pomeraniam conuehitur ingens frumenti copia, alendis Russorum copiis destinata. Exinde conlicere posse videmur, id quod similiter aliis quoque signis adparet, non tam cito, ac putabamus, futurum, vt Russi ex regione illa discedant. Interea Camini Colbergaeque libera sunt nulloque metu impedita commercia: compluresque adeo, qui sub initia obsidionis inde diffugerant, Colbergam redeunt.

MAGDEBVRGO. XXIV. NOV.

Stargardia Greiffenbergam cum agmine suo obuiam processerat serenissimo Principi Würtenbergico

bergico summi ducis vicarius a Platen. Itaque relictis, quae ad Colbergam per menses quinque magna virtutis fama obtinuerat, castris Treptouiam concessit Princeps, atque d. XVI. Nov. Greiffenbergae se cum agmine illo Plateniano coniunxit. Quod ante quam faceret, satis validam manum reliquit, praesidio Colbergensi, cui praeest Tribunus ab Heyden, adiiciendam. Qui discessus, tametsi inspectantibus Roman. zouii Bergiique copiis fieret, tantum abest, vt quidquam nostris detrimenti intulerit, vt in ipso itinere etiam capti fuerint hostium nonnulli.

EX TRACTV HANNOVERANO. XXIV. NOV.

Eimbecae adhuc subsistit praetorium Ferdinandi. Stationes temporarias coniunctasque * periit agmen serenissimi Brunsuicensium Principis. Ipse Princeps heres, vna cum Friderico Principe Gandershemii versatur. Gallorum exercitus in silua Sudhemensi subsistens impedimenta grauiora diuersis itineribus Cassellas curat transuehenda**, ipseque paullatim Werram traiiciet in hiberna concessurus. Itaque apud nostros similiter omnium sermonibus celebrantur hibernacula propediem constituenda. Oldershusii in tractu Nordhemensi agit Lucknerus, summi ducis legatus; Hardenbergius vero in vico Mackensensi, prope oppidulum Dassel. Vslariam tenet Friderici, tribuni militum vicarius. Eimbecae trecenti homines continentur in reficiendis, quae a Gallis disiecta erant, operibus.

Quo quidem consilio conuehenda sunt sudium stipitumque*** tria millia. Nordhemii Gallorum quatuor millia numerantur: indeque ad vicos Hardenbergensem ac Bouendensem diffusuae sunt hostiles copiae. Quae Göttingae constituta erant, horrea, propter glires muresque, quorum in illis infinita multitudo exorta est, Cassellas deducentur.

* Cantonnirungsquartiere.

** läſst defiliren.

*** Pallisaden.

BEROLINO. XVI. NOV.

Inter aetatis nostrae macrobios merito referendus est, qui in oppido Grossen-Ziethen die XXI Octobris ex Colonis Gallicis vitam finiit, Daniel Ammyer, postquam annos centum et tredecim mensesque tres viuendo expleuisset. Natus erat Blesis * anno saeculi superioris quadragesimo octauo. Stipendia in copiis Gallicis, Suecicis et Imperialibus meruerat. Valetudine grauisus erat firma et constanti. Tertia ante obitum hebdomade subito morbo tentatus periit.

* Blois.

HANNOVERA. XXVII. NOV.

Modo certis auctoribus comperimus, serenissimum Ducem Ferdinandum, die XIX mensis praeteriti, febri ardenti vehementius correptum dies quindecim decubuisse. Quod temporis spatium occasionem suam ratus illustrissimus Bro-

Broglius, ſummus caſtrorum praefectus, cum lentius a noſtris rem agi ſenſiſſet, ſtationem, quam ala ipſius dextra deſeruerat, rurſus occupandam duxit.

RES LITTERARIAE.

Hiſtoire generale des Conjurations, Conſpirations, et Revolutions celebres, tant anciennes que modernes, par M. Deſormeaux. Lutetiae Pariſ. apud Duchesnium. Tomus IX paginis 480 forma 12 maiori, Tomus X p. 403 conſtat.

Opus hoc, quo coniurationes, et rerum publicarum conuerſiones tum veteri, tum recentiori memoria inſigniores enarrantur, primum auctorem principemque habuit *Duportum du Tertre*, cuius etiam nomine dudum innotuit. Is octo volumina ediderat, cum a. 1759 menſe Aprili, operi perficiendo rebusque humanis eripiebatur.

Succeſſit in laborem, qui eum nunc addendis voluminibus binis finiuit, Vir doctiſſimus *Deſormeaux*, primam illam Duporti deſcriptionem ſecutus. Supererant, ad abſoluendam hiſtoriam omnem, coniurationum commutationumque exempla ea, quae ex India Orientis arceſſita hic legimus. Quae nemo fere eſt, quin ſciat, quam grauia, quam numeroſa, quam ad noſtram aetatem continua fuerint. Itaque quae in

in India maiori, Mogolis, quem vocant, imperium complexa, acciderunt, praeter volumen nonum integrum, decimi etiam paginas ducentas et octoginta implent. Inde a Timuri ſ. Tamerlanis aetate exorſus clariſſ. Deſormeaux ad annum 1755 argumentum perſequitur.

Tomi decimi pars reliqua commutationes exhibet regni Siamenſis, quarum longe nobiliſſima habetur ea, in qua primas partes egit celebratus ille Conſtantius. Multo breuius auctor, ſi in ſolo argumento principe verſari voluiſſet, rem expediturus erat: ſed ingenium ille moresque populorum et formam imperii, atque alia eiuscemodi ſibi accuratius deſcribenda putauit, quibus et iucundior reddi hiſtoria, et ad vſus accommodatior fieri ſolet. In rebus tradendis auctores ſecutus eſt locupletiſſimos: id quod tum praefatio vniuerſe indicat, tum ipſe narrandi modus haud obſcure oſtendit. Nam a laudandis nominatim teſtibus, et ab adnotationibus ſubiiciendis conſulto abſtinuit. Ceterum operi per ſe iucundo nouam ex ſtilo eleganti commendationem comparauit.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti, foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLV.

DIE VENERIS, PRID. NON. DECEMBR. CIƆ IƆCCLXI.

VERSALIIS. XX. NOV.

Nudius tertius, facta publice audientia, Regem ſalutabant hinc diſceſſuri reipublicae Hamburgenſis oratores, Faber et Clamer. Qui eadem de cauſſa in onſpectum quoque Reginae, Delphini, huiusue coniugis, nec minus Ducis Bituricenſis*, omitis Prouinciae et Arteſiae**, regiarumque rincipum adducebantur.

* Berry.

** Artois.

In dies ſingulos hic ex Germania reducem ſpectamus Sobiſium, ſummum caſtrorum

praefectum. Is tum Regi de ſtatu et conditione copiarum, quas reliquit, referet; tum vero de futurae expeditionis ratione * cum ſummis aulae adminiſtris conſilia communicabit.

* Operationsplan.

LVTETIA PARISIORVM. XXIII. NOV.

Quae Briuate portu * commorabatur, claſſis, et copiis et reliquo adparatu inſtructiſſima, ſuperiori hebdomade, vt ventum idoneum nacta eſſet, exitura dicebatur, et Martinicam petitura. Non abiectum videtur illud in Angliam conſilium. Nautis ac claſſiariis quinque menſium ſtipendia repraeſentata ſunt. Expeditionis naualis duces iam ante dies aliquot, mandatis inſtructi, in ſuas quisque ſtationes diſceſſerunt**. Dici vix poteſt, quanto ſtudio non tantum Briuate portu, Rupifortii ***, Telone Martio****, Dunquercae, verum etiam in reliquis regni portubus ac naualibus ad reficiendam rem maritimam incumbatur. Sane quae adparantur, eiusmodi ſunt, vt dubium nullum relinquant, quin res quaedam grauiſſima agitetur. Sed illa quaenam ſit, definire nondum licet. Illud quidem certiſſimum habetur, opes noſtras maritimas quadraginta amplius nauibus bellicis auctas propediem fore.

* Breſt.

** ſind nach ihren Poſten abgegangen.

*** Rochefort.

**** Toulon.

HAGA COMITVM. XXVIII. NOV.

In dies huc ex foederato exercitu adueniunt Angli, militum praefecti: ipſeque adeo Granbyus iam iam exſpectatur. Ex quo magna ſignificatio fit, ad finem perductam eſſe huius quidem anni expeditionem bellicam.

LEODIO. XXVIII. NOV.*

Hiberna in Praeſulis noſtri regione conſtituta ſunt generoſis Gallorum equitibus deſultoriis **. In ipſa vrbe hoſpitantur legionis principes cum ſummo duce ***. Legio equeſtris regia **** Stableti ***** Malmediique commorabitur.

* Lüttich.

** die Französischen Gens d'armes.

*** der Generalstab.

**** das Regiment Royalcavallerie.

***** Stably.

RATISBONA. XXI. NOV.

Heri noctu accepimus, die XIX huius menſis ad Praeſulis Paſſauienſis dignitatem communibus ſuffragiis euectum eſſe Joſephum Mariam Thuni Comitem, Gurcique Praeſulem. *

* Biſchof von Gurk.

WARSOVIA. XIX. NOV.

Palatinatum Siradienſem petituri dicuntur auguſtiſſimae Imperatricis iuſſu duodecies mille Ruſſi, vt vel Nobilium eius regionis conſilia obſeruent, vel, quod alii cauſſantur, cibariorum,

quae in Silesiam mittuntur, exportationem impediant.

RES LITTERARIAE.

Ad tenenda tradendaque, quae nobis aeternae salutis caussa patefacta sunt, tantam vim habet sacri codicis recta solidaque interpretatio, vt inter sanctioris disciplinae doctores prae reliquis bene mereri de religione videantur, qui interpretandi artem tum ipsi accuratius callent, tum ceteris ad eam excolendam doctrina sua praeceptisque prosunt. Non caremus neque doctoribus, neque libris, qui se ad eam rem duces profiteantur. Plerique tamen vel in philosophandi studio nimii ex dialecticis subliter congerunt quaecunque ad legendos interpretandosque auctores spectare putant: vel aliorum in hoc genere praecepta, leges, regulas, canones magno labore colligunt. Neutri in illa disciplina quod operae pretium sit, efficiunt. Qui longo vsu, legendis, explicandis varii generis scriptoribus, qui accurata linguarum scientia, qui criticis legibus, qui antiquitatum cognitione ampla, et aliis eiuscemodi subsidiis praeparati ad scribendam artem accedunt: ab his demum exspectari potest, quod vere vsui futurum sit. Talem se dudum praestitit cum aliis scriptis tum disputationibus illis, quibus difficultates N. T. recte interpretandi persecutus est, celeberrimus Lipsiensium Theologus *Ioannes Augustus Ernesti.* Huius

Huius modo ex officina Weidemanniana plagulis 16, octonis prodiit *Institutio interpretis noui Testamenti ad vsus lectionum.*

Enatum eſt paullatim, vt fieri in academiis ſolet, praeſtantiſſimum opuſculum ex dictatis, quibus Vir ſumme ven. auditorum rogatu, collecta traderet, quae vel ſibi meminiſſet in interpretando profuiſſe, vel aliis in videndo vero obfuiſſe. Ea hic diligentius digeſta exculta et inter legendum interpretandumque paullatim aucta, vt laborem ſcribendi ſtudioſis demeret, tempusque, quod dictando periret, lucraretur, litterarum formulis exprimenda tradidit.

In docendi ratione primum cauit Vir ſummus, ne abſoluta decreta, quos vulgo etiam canones vocant, ſcriberet; deinde laborauit, vt ab veris obſeruationibus praecepta duceret, eaque eiusmodi, quae certam et perſpicuam notam, et quaſi anſam veri tenendi haberent, et vſum certum ac facilem redderent.

Praefationem, qua de ſcribendi libri conſilio exponitur, Prolegomena excipiunt, de interpretatione vniuerſa. Haec duabus rebus continetur, ſubtilitate intelligendi, et ſubtilitate explicandi. Sed vtrique propoſita eſt quaedam veluti materia, in qua verſetur, eaque eſt in libris ipſis, atque in adparatu quodam doctrinae. Atque hac diſtributione totius opuſculi ratio ni-

 titur,

titur. Duabus itaque partibus conſtat: quarum *prior* obſeruationes generales praeceptaque complectitur; *altera* de libris noui Foederis agit, ad quos transferri qua obſeruata praeceptaque ſunt, debet, deque ſubſidiis, quibus expeditior vſus reddatur. Ex ipſa illa deſcriptione pars prima rurſus ſit bis partita. Nam vel *contemplatiua* eſt, quae generales obſeruationes de ſenſu et generibus verborum habet; vel *praeceptiua*, quae de modo ſenſus indagandi exponit.

Partis primae ſectio prior contemplatiua inſcribitur, huiusque caput I. *de ſenſu verborum.* II. *de verborum generibus et vario vſu.* Quae duobus illis capitibus disputantur, eorum ſane vſus latiſſime patet. Explicata ſenſus litterae ſ. litteralis, quem dicunt, ratione, varii variorum errores notantur, et quomodo caueri queant, oſtenditur. Deinde vocabulorum in propria et tropica diſtinctio vtiliter enucleatur: ſed in primis de emphaſium natura et indole diligentius ſubtiliusque exponitur, et quas reales nonnulli dixerunt, nullas eſſe euincitur. Aliae etiam vocum diſtributiones exponuntur. Sectio poſterior praeceptiua eſt, vti diximus, et de ſenſu recte quaerendo; ſiue de regulis interpretandi agit. Huius Caput I. *eſt de vſu loquendi reperiundo in linguis mortuis, et ſcriptore quolibet vniuerſe.* De locis parallelis, quae vocant, de Scholiaſtis, de verſionum auctoribus erudite tractatur. II. *de ſenſus reperiendi rationibus vſus ſubſidiariis.* Orationis con-

contextus, analogia linguarum, et reliqua interpretandi auxilia quem vſum praeſtent, docetur. III. *de reperiendo vſu loquendi N. T.* Hoc capite eruditiſſime explicatam legimus illam de genere orationis, quo ſcriptores N. T. vſi ſunt, controuerſiam, tantis quondam inter eruditos motibus agitatam. Nec minus vtiliter hic Analogiam fidei definitam reperimus. IV. *de dictione tropica iudicanda, et interpretanda.* V. *de Emphaſibus iudicandis.* Qui in hoc genere a plerisque committi errores ſolent, eorum cauendorum ratio traditur. VI. *de Compoſitione eorum, quae inter ſe pugnare videntur.* VII. *de Verſionibus et commentariis ſcribendis et iudicandis.*

Pars opuſculi altera de inſtrumento hermeneutico, eiusque legitimo vſu inſcribitur. Eius Caput I. eſt *de libris N. T. eorumque auctoritate, integritate, diſtinctionibus.* II. *de codicibus ſcriptis eorumque vſu.* III. *de editionibus N. T.* IV. *de Verſionibus.* V. *de libris doctorum veteris eccleſiae vniuerſe, eorumque vſu.* VI. *de variis lectionibus, earumque cauſſis, fontibus, iudicio et delectu.* VII. *de vſu verſionis LXX. V. T. et fragmentorum Aquilae, Symmachi cet.* VIII. *de vſu ſcriptorum Iudaicorum.* Nominatim quid Philonis et Joſephi ſcripta vtilitatis interpreti N. T. adferant, oſtenditur. Quae ab eruditiſſimo auctore in tribus illis capitibus prioribus huius ſecundae partis de N. T. tabulis diſputantur, tam docta ſunt, tam diligenter excuſſa vt nihil adhuc de illis argumen-

tis,

tis ſolidius ſcriptum arbitremur. IX. *de Interpretibus N. T. eorumque vſu.* X. *de vſu diſciplinarum.* Recenſentur hoc capite extremo ſcientiae ad explicandum N. T. neceſſariae: et illae quo modo ad vſum transferendae ſint, oſtenditur. Diſciplinae eiusmodi ſunt Grammatica, eaque accuratior et ſubtilior, ars critica, rhetorice, dialectice, geographia, chronologia, Hiſtoria, antiquitates. Inquibus adhibendis tum vſum latius perſequitur doctiſſimus Erneſti; tum etiam abuſum quorundam interpretum notat.

Optabunt nobiscum ſanctioris diſciplinae ſtudioſi, vt breui edatur, quod extrema praefatione promiſſum legunt opus contra hos, qui per ſpeciem reuerentiae aduerſus ſcripturam ſacram et verba diuina, fanaticam quandam barbariem, et artem ſomniandi ac ludendi in ſcripturis inducere tentant.

Quod reliquum eſt nulli dubitamus, quin futurum ſit, quod optat Auctor ſumme ven. vt per hunc libellum quamplurimis ſcripturarum ſacrarum recte atque ordine cognoſcendarum atque ſcrutandarum ſtudium incendatur iisque hoc opuſculum ad bene intelligendum, et cognoſcendum quam plurimum proſit.

Libello XLIII. p. 344. v. penult. legatur *delectabunt*.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLVI.

DIE MARTIS, VI. ID. DECEMBR. CIƆ IƆCCLXI.



GENVA. VI. NOV.

Ex Corſica quae quidem huc perſcribuntur magnopere diſcrepant ab iis, quae in libellis extraneorum publicis relata legimus. Maginagium caſtellum iterum quidem, ſed non meliori, quam ante, ſucceſſu adortus eſt Paolus, rebellantium Dux. Quem ex caſtello Algaiola quoque pulſum eſſe, comperimus. Qui ad montium tractum ſuperiorem pertinent pagi *, a rebellantium partibus diſceſſerunt. Quin Fiumorbenſis etiam ſumtis aduerſus Paoli factionem armis in auxilium vocauit Tribunum noſtrum militarem, Martinettum. Hunc d. viceſimo quinto menſis

Zz prae-

praeteriti Baſtia eo abiiſſe, accepimus. Omnibus, quae ad defenſionem pertinent, abunde inſtructum ſcimus locum illum.

* Pieves.

MANTVA CARPETANORVM. X. NOV.

Quae per ſuperioris aetatis incuriam ſpreta apud nos ac neglecta fuerat Ars typographica, inde ex aliquot annis tanta çepit incrementa, vt quotidie ex prelis noſtratium prodire videamus opera, quae vel nitidiſſimis extraneorum nihil concedant. Efficiet tamen Regis ad praeclara quaeuis et vtilia intenti cura, vt ad maiorem etiam elegantiam ars praeſtantiſſima prouehatur. Conſilium cepiſſe dicitur Auguſtiſſimus condendae Academiae peculiaris, in qua iuuenes artis illius ſtudioſi accuratius edoceantur. Imbuentur ſimul etiam aliis diſciplinis eiusmodi, quibus adiuti excellere aliquando in illo genere prae reliquis poſſint.

LVTETIA PARISIORVM. XXIII. NOV.

Ratio in praeſenti initur conſtituendae ſortis, cuius nunquam reddendae vſura cum vita creditoris ceſſant *. Sors ipſa quadragies mille millia conficiet librarum Gallicarum * *.

* Leibrentenſocietät.

** Vierzig Millionen Livres.

Iuſſus eſt Broglius, ſummus caſtrorum praefectus, in Galliam remittere milites, quibus carere

carere posse exercitus videretur. Illis si addantur qui ex copiis Sobisianis reuerti iam coeperunt, facile conficiatur numerus triginta millium. Nec minus vrgetur in portubus nostris adparatus naualis. Sunt, qui Scotiae parari ab aula nostra exscensionem, adfirment.

EX EADEM VRBE. XXVII. NOV.

Indices sibi accuratiores mitti a variorum portuum *praefectis voluit* Dux a *Choiseul* coniugum et liberorum, quorum mariti patresue, cum stipendia regia mererent, expeditione maritima perierunt. Orbitatis incommoda leuare beneficiis suis decreuit Rex munificentissimus. Qua re simul futurum putamus, vt plures in posterum militiae nauali nomen dare lubentius velint.

RES LITTERARIAE.

In iis, qui de stilo Romano praeceperunt iam per annos quadraginta principatum merito suo obtinuit illustris quondam in Academia Halensi I. C. et Antecessor Io. Gottl. Heineccius. Cuius Fundamenta stili cultioris nemo nescit quanto cum plausu tum magistrorum, tum adolescentiae excepta fuerint, cum a. 1719 edita primum essent. Commendabant libellum ordo, perspicuitas, et illa orationis, etiam in tenuissimis praeceptis, vbertas et elegantia. Nonnullis etiam placebat hoc, quod in addita sylloge exem-

pla inuenirent ipſius auctoris, quibus praecepta illa egregie illuſtrata dicerentur. Itaque libellus in plurima gymnaſia introductus ſaepius typis exſcribebatur. Quam in Academia Halenſi, vbi natus erat, laudem obtinuerat, eam in Göttingenſi etiam maiorem conſequebatur commendatione Gesneri, viri in hoc litterarum genere tum principis, cum hic in primo programmate, quo a. 1734 praelectiones ſuas indicebat, de Heineccìano opuſculo *illa poſuiſſet*, "Explica-"bimus ill. Heineccii Fundamenta ſtili cultioris, "libellum ita ſtudioſe arreptum, tritumque iu-"uenum ad haec ſacra contendentium manibus, "vt claſſicam prope auctoritatem conſecutus eſſe "non immerito videatur; libellum tanto maio-"ris faciendum, quod earum rerum praeceptio-"nes luculentas oppido continet, quibus ſubnixus "magnus illius auctor ad id faſtigium peruenit, "in quo cum venerabunda quadam admiratione "illum conſtitutum videmus.„

Superabat priores editiones, quae a 1736 ſequebatur, ſexta, auctior illa et emendatior. Miſerat ad Fritſchium bibliopolam, ipſius rogatu, Io. Lud. Vhlius, Vir doctiſſ. (cum Heineccius ipſe aliis laboribus diſtineretur) quae ex illuſtris Auctoris ore accepta libello adſcripſiſſet. Haec partim, vbi commode fieri poterat, ſuis locis inſerebantur, partim ſeorſum praefationi nouae ab Vhlio profectae ſubiungebantur. In ſylloge exemplorum accedebat ad perilluſtr.

Iuue-

Iuuenem Carolum Sigfried de Plesse epistola, qua Partis II. cap. I. de epistolis conscribendis vsus ostenderetur.

Sed maior libellum praestantissimum, mortuo Auctore fortuna manebat. Anno 1743 primum adnotationibus Io Matthiae Gesneri ornabatur editione septima: cum e suis in eum commentariis impetrari a se passus esset Vir summus quae vel emendando illi, vel augendo viderentur idonea. Quae praefationi Vhlianae subiuncta fuisse modo dicebamus in editione sexta, in hac iterum suis locis inserebantur. In locum eorum, quae praefatus erat Vhlius, succedebat Bibliopolae praefatio, qua lectoribus exponebatur nouae editionis consilium et ratio, in primis vero Gesnerianae reprehensiones diligentius vindicabantur a peruersa calumniatorum interpretatione. Dignus est locus, qui hic exscribatur, cum praefatione illa, Gesnero aeque atque Heineccio perhonorifica, careat editio postrema. "Illud, inquit Bibliopola, prae-"termittere non possum, quod monitos lectores "voluit Vir celeberrimus, si qua reprehendi vi-"deant illustris Viri dicta, non id eo consilio "factum, vt illius laudi vlla ex parte obtrecte-"tur, quam ille aliis suis operibus factisque et "consiliis tantam consecutus est merito suo, vt "si nunquam hunc libellum edidisset, vel is plane "aboleretur, nihilominus illius esset illustre ad "omnem posteritatem nomen futurum. Ita iu-

"dicasse ipsum illustrem virum, satis apparet; 'qui hunc tanquam partum ingenii sui, iuuenili "aetate susceptum, maioribus rebus admotus "abdicauerit velut, certe aliis comendum or- "nandumque reliquerit.

"Non igitur hoc agitur Gesnerianis annotati- "onibus, vt laus Heineccii imminuatur, Ges- "nerus inde crescat, temerentur illius manes, "hic quasi ruinis illius famam suam superstruat; "pulchere id quidem fuerit ridiculum: cum Ges- "nerus, quod sciunt, quicunque illum audi- "erunt, inculcare diligenter suis auditoribus so- "leat, si disputandum sit contra Heineccium, "non cogitandum esse virum meritis ac gloria "grauem, qualis nunc est Heineccius, sed iu- "uenem ingeniosum illum, diligentem, do- "ctum, eum tamen, qui per aetatem et diffi- "cultates alias nondum legere, colligere, diiu- "dicare potuerit omnia; qui suo praeceptori "Thomasio quaedam crediderit, iudici aliarum "rerum acerrimo, sed ab his studiis aliquantum "alieno. Hoc igitur voluit Gesnerus, vt libel- "lus, qui plurimis adhuc profuit, vtilior etiam "esset in posterum, abstersisque naeuis quibus- "dam, nonnullis autem rebus adiectis, magis "placere possit. Si quis quid aliorsum inter- "preteretur, ille vero de suo animo indicabit, "non de Gesnero, cuius est candide et simpli- "citer agere. Insultare autem mortuo qui po- "tuit, quem vinum coluit, a quo beniuolen- "tiae

stiae pignora habuit publica et priuata„. His atque talibus subiungit bibliopola litteras Gesneri et Heineccii mutuas, obseruantiae amicitiaeque plenissimas. Ceterum in sylloge exemplorum loco epistolae ad perillustrem Plessium, quae editioni sextae adiecta erat, epistola hic legitur, qua Joanni Lud. Vhlio dissertationem in Acad. Götting publice defensam gratulatus erat Heineccius. Accessit vero oratio de iurisprudentia veterum Rom. formularia, ritibusque quibus negotia ciuilia explicabant, sollemnibus, publice et more maiorum Franequerae dicta ab Heineccio, cum iurisprudentiae professionem sollemniter auspicaretur.

Vix praeterierat quinquennium, cum a. 1748. libellus proponeretur editiona octaua, denuo nouis multis Gesneri obseruationibus qua auctus, qua emendatus.

Octauam illam secuta est a. 1756. nona editio, nullis, quantum quidem nos obseruauerimus, adnotationibus nouis aucta.

Anno, quo haec scribimus 1761. decimum comparuerunt *Jo. Gottl. Heineccii Fundamenta stili cultioris, nunc demum omnibus Jo. Matthiae Gesneri animaduersionibus, emendationibus, additamentis et praefatione locupletata. Accurauit, digessit, suas quoque obseruationes adiecit Nicolaus Niclas.* 1. Alphab. plag. 16.

Praetermissam hic esse bibliopolae praefationem, iam diximus. Gesneriana, quae eius locum occupat, scripta est Kal. Iul. cIↃ IↃCCLXI. Itaque inter postre-

ſtrema Geſneri opera referendus eſt labor, quo quae in Heineccium commentatus erat reliqua omnia collegit. Tradidit vero illa Niclaſio Ilefeldenſis Paedagogii doctori clariſſimo, veterique ſibi amicitia cognito ac probato. Cui cum iniunxiſſet Geſnerus, vt ex omni, quam prae manu haberet, materie ipſe ſuo iudicio nouum quaſi opuſculum formaret: maluit tamen vir modeſtiſſimus manere in plurium annorum inſtituto, perfecitque ſignis quibusdam, vti quid ab Heineccio ſit, quid a Geſnero, quid ex ipſius denique Graecula praeſertim penu additum, facile intelligatur. Omiſſa hic primum eſt, quam dudum ſublatam voluerat Geſnerus, tota Sylloge Exemplorum Heinecciana. Adiecit doctiſſimus Niclaſius Excurſus quatuor. Horum *primus* eſt de periodis et earum vſu, ex Geſneri primis lineis artis oratoriae: *ſecundus* de Chiaſmo: *tertius* de ſublimitate vel ſublimi, et ſtilo ſublimi, qui vulgo ſic dicitur; a Niclaſio vterque profectus: *quartus* ex Geſneri iisdem primis lineis complectitur partem illam, quae docet gratulari, gratias agere cet. Effecit copia illa nouarum obſeruationum, vt reſecta licet ſylloge, duabus tamen plagulis auctior ſit haec editio ſuperiori.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLVII.
DIE VENERIS, III. ID. DECEMBR. cIↃ IↃCCLXI.



ROMA. XIV. NOV.

Collegiis Canonicorum Monasteriensi, Paderbornensi atque Hildesiensi indulsit Pontifex, vt in tertium mensem differrent eligendi summi Praesulis caerimoniam. Die Martis ad remum dabatur * in septem annos mercator librarius Pagliarini, quod conscriptos in patres societatis Jesu libellos varios in vulgus edidisset.

* auf die Galeeren verdammt.

HOLMIA. XXVII. NOV.

Die huius mensis XXIII. in sollemni ordinum equestrium conuentu ab augustissimo Rege,

collegii illius Cancellarius dicebatur Comes illustrissimus Nicolaus Eckeblad. In locum is successit Tessinii Comitis, qui cum splendido munere illo, tum reliquis se abdicauerat, quibus cum laude summa erat perfunctus. Quo die ipso ex praefectis militum complures Equitum ensiferorum, stellaeque polaris insignibus ornabantur.

EX VARISCIA. XXVII. NOV.*

Comunem imperii exercitum vix verisimile est hac hieme Franconiae hospitia repeditiurum. Die vndeuicesimo huius mensis in tractu nostro prope Weidam et Graefenbrück hospitari coepit, loco tam arcto, vt vna domo homines quinquaginta vel sexaginta contineantur. Illis ligna et stramenta praebere incolae iussi sunt.

* das Voigtland.

EX TRACTV HASSIACO. XXX. NOV.

Cassellis quidem praetorium sibi constituit Broglius, Dux et summus castrorum praefectus. Sed mansurum illud ibidem dicitur vsque ad eum finem dum exhausta sint ad Werram horrea et promtuaria. Frumenti vecturae Francofurta Alsfeldam sine intermissione exercentur. Vt copiae Gallorum non nisi cateruatim * secederent, effecisse dicuntur partim itinera impedita, partim consilia, quae agitare foederati viderentur.

* bataillonweise.

HILDESIA. III. DEC.

Ferdinandi Ducis praetorium in vrbe nostra per hiemem futurum dicitur. Hodie Eimbeca discessit Serenissimus. Qui cum Brugae pernoctauerit, crastina luce intrabit vrbem. Hameliae sibi hospitium parat vna cum legionum principibus Spörkenius, coniunctarum in hibernis copiarum parti praefuturus*. Monasterii acturus hiemem dicitur Brunsuicensium Princeps heres. Qui die Lunae Hannouera huc venerat Fridericus Princeps breui eodem redire cogitat. Propediem hic exspectatur Wangenhemius, dux militum. Anglorum copiae equestres Coppenbruga et Paderborna in Frisiam orientalem transibunt hiematurae: pedestribus hiberna constituentur in tractu Osnabrugensi. Eodem hoc die ipso iam abiit, Hameliae adhuc commorata legio Carriana: in cuius locum Bükeburgica succedet. Illustrissimus Bükeburgi comes Hameliae in praesens degit. Legiones pedestres Hardenbergii et la Chevalerii Eimbecae manebunt praesidiariae.

* einen Theil des Cordons commandiren.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. V. DEC.

Litteris ex Pomerania vlteriore acceptis cognouimus, obsideri adhuc Colbergam a Romanzouio Russorum duce bellico, ab eoque omnia fieri, vt vrbe potiretur. Castrorum initia habet in vico Groffen-Gestin. Eugenius Würtenbergiae Princeps cum agmine suo Greifen-

berga Schiffelbeinum verſus, in Marchia noua, mouit, iamque adeo Ruſſos propius acceſſit.

Henrici Principis in Saxonia exercitus prope Katzenhuſana locum maxime opportunum obtinet.

RES LITTERARIAE.

Göttingae hoc anno die XIV Nov. celebrauit ſocietas regia ſcientiarum ſollemnem illum conuentum, qui in diem eius menſis decimum cadit. Libellum de *nitro Plinii* legebat *Io. Dau. Michaelis*, aulae Conſiliarius. Ex difficillimis apud Plinium locis eſt is, qui de nitro tractat, libri XXXI capite X. Cum in lingua hebraea vna voce *Borith* et alcali et ſalpetrae ſignificari iudicaſſet Vir doctiſſimus, in eam opinionem adducebatur, vt a Plino pariter communi vocabulo vtrumque indicatum ſtatueret. Facillime enim fieri poterat, cum nec Chemiae ſubſidiis neque oculis armatis inſtructi veteres ad indagandam ſalis naturam accederent, vt ſalia haec, valde inter ſe, et in multis ſimilia, confunderent, vnoque nomine inſignirent. Quod idem Arabibus in Borace accidit, quem a ſale nitro voce non diſtinguunt. Atque illud vere ſe coniecisse vidit, cum paullo diligentius in Plinii locum inquiſiuiſſet, Chriſt. Guil. Büttneri, ſui in hiſtor. nat. praeceptoris, auxilio, in rebus medicis praeſertim, vſus. Quaecunque apud Plinium

nium de nitro leguntur, modo ad ſal petrae, modo ad alcali, ſiue ſodam Hiſpanicam, ſiue alcali noſtrum intelligas, modo ad nitrum ſpectant, h. e. alcali naturae ſolius vi praeparatum, maxime Aegyptiacum illud, quod admixtum ſal marinum habet. De rebus illis maximopere diuerſis quae in aduerſariis ſuis reperiſſet Plinius, ea in hoc caput omnia collegit: itaque haud raro duorum verſuum alter de ſale petrae; alter de cinere clauellato agit. Quin eſt, vbi cum nitro confundat tophum illum, quem vel hodie nonnulli naturae parum gnari, cum vaſis coquorum adhaeſit, ſal petrae vocant. Certe quod in nonnullis Aſiae ſpeluncis deſtillare ex molibus dicunt, nihil aliud, quam tophum eſſe, veriſimile videtur.

Atque nonnulla etiam Plinii loca ſingula hac diſputatione illuſtrabantur. Qui locus infit, *in Aegypto autem conficitur*, non eſt, vt putabat Schikardus, de duobus Aegypti deſertae lacubus intelligendus, quorum fundo nitrum gignitur, (propterea forte, quod, cum ſolo illo deſerto generetur Kali herba, huius per calores a paſtoribus incenſae, cineres in lacus iſtos vi venti deferantur). Nam ab eo loco, quo lacus nitroſos conſtituit Plinius, remotiores, bidui ſcilicet itinere, ſunt, et, vel ipſo Schikardo iudice, nimium attolluntur, quam vt exundantis Nili recipere aquas poſſint: et, quod caput eſt, hic vbi verba *naſcitur* et *conficitur* ſibi inuicem opponit Plinius,

non de aliquo naturae munere, sed de nitro loquitur arte humana confecto. Hoc qua ratione confici potuerit, docet praestantissimus Michaëlis. In illas prope Nilum fossas vallesque cum coniecta essent cadauera stercoraque, cuiusmodi hodienum Aegyptii in nitrosos lacus coniiciunt, atque alcali cineres vel nitrum accessissent, necesse erat a Nili supersusa aqua idem effici, quod fieri in salis petrae officinis videmus. Hic quam similis Aegyptus sit Indiae a Gange inundatae, quae nitri veluti patria est, ostenditur. In eiusmodi regione, animalium feracissima, vel casu et natura confici sal petrae potest.

Alter Plinii locus impeditior est, *faciunt ex his vasa, nec non frequenter liquatum cum sulphure coquunt carbonibus.* Non vasa hic cogitanda sunt, quae ex sale petrae fuso sulphureque confiant, qualia esse vix possunt; sed duo hic a Plinio adferuntur. Primo sal petrae Aegyptiacum tam lapidosum esse dicit, vt vasa exinde delectationis caussa conficiantur, quod vel ex sale vulgari fieri solet vbi copiosius adest, v. g. Halae: quodque in Aegyptiaco facilius locum haberet, si ad ea conficienda adhiberetur nitrum, quod teste Huntingtone, in vtroque lacu glaciei instar cohaerescit. Deinde in Aegypto sal petrae dicit addito sulphure liquari. Hoc quidem effici sulphure non multo potest, quo purgetur sal petrae particulis pinguibus commixtum, albumque reddatur: vel adhiberi potest vtrius-

que

que aequa portio, quae vbi detonuerit, h. e. cum ſtrepitu et fulgore deflagrarit, ſal polychreſtum praebet. Forſitan vtrumque indicare Plinius voluit.

Quae hac diſputatione propoſuit Vir illuſtris, ea ad illuſtrandas antiquitates hebraeas, explicandaque ſacri codicis loca nonnulla transferet proxima recitatione, quae fiet menſe Decembri. Praemia quaeſtionibus propoſita tribuere hoc conuentu non potuit Societas propterea, quod libelli ad eam miſſi fuerunt nulli; cum extranei fortaſſe hoc belli tempore ſtudiorum intermiſſionem fieri crederent. Sed propoſita ab eadem fuit quaeſtio noua, quam qui optime explicauerit, numum aureum viginti quinque hungaricorum auferet die X Nov. a. 1763. *Vermiculorum lucentium hiſtoriam quandam conſcribi iubet, quae eorum varia genera enarret, membra viſceraque deſcribat, horum vſum indicet, de parte lucente accuratius doceat qua aetate, in quo ſexu, et qua de cauſſa lucem emittat?* Legibus Academiae non ſatisfaciet, qui ex itinerariis aliisque libellis notis collecta exhibuerit. Suas quisque obſeruationes, et quae re diligentius exquirenda cognouerit, proferat. Ac tametſi gratiſſimum futurum erat, ſi quis perfectam vermium lucentium hiſtoriam offerret: in tribuendo tamen praemio noua potiſſimum, et factis experimentis cognita ac probata ſpectabuntur. Diſputationes ante primum Se-

ptem-

ptembris diem a. 1763 transmittendae ſunt, nulliſque notis, quae auctorem prodant, inſigniendae. Inſcribitur libello ſymbolum aliquod: hoc ipſum in ſchedula quadam ſcribit ipſius auctor: huius conſciſſae partem alteram ad Societatem mittit, alteram ſibi ſeruat. Hac deinde transmiſſa auctorem ſe demonſtrat, qui libellum ſuum praemio adfectum ex relationibus publicis didicerit. Portorii onere liberandae ſunt, quae mittuntur, diſputationes, et vel ipſi Societati, vel ei, qui ipſius eſt ab epiſtolis, inſcribendae: quo quidem munere in poſterum fungetur Kaeſtnerus, Acad. Goetting. Profeſſor. Eaedem vt lingua Latina conſcribantur, merito requiritur.

Extraneis Societatis regiae membris adſcriptus eſt, qui in exercitu ad Rhenum ſuperiorem Gallico ſupremi Chirurgi munere, ſuisque ſcriptis inclaruit, Antonius Louis, vir longe celeberrimus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini, proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLVIII.

DIE MARTIS, XVIII. IANVAR. clↄ Iↄccclxi.



HAFNIA. VII. DEC.

Perfectum hodie vidimus in templo b. Virginis ſuperbum illud monimentum ſummo quondam apud nos Duci maritimo Corto Siuerſon. Adelerio conſtitutum. Deletum illud fuerat fatali incendio a. 1728. Ex marmore Italico eſt longe pulcherrimo. Opus tanta arte elaboratum, vt admiratio commoueatur ſpectatorum, ſiue prominentes in eo figuras * conſiderent, ſiue ſymbola additasque inſcriptiones.

* Bas-reliefs.

CONSTANTINOPOLI. XX. OCTOBR.

Palatium vrbanum hiſce diebus repetiit ſum-

mus Turcorum Imperator, in arce ad mare nigrum aestiua, Caragatſch, aliquantum commoratus.

In ſuburbiis noſtris Pera et Galatha, multa hominum millia abſtulit, per hebdomadas aliquot ſaeuiens peſtilentia. Spem adfert hiemis aduentus, fore, vt infami malo, ad tempus certe, liberemur.

*BARCINONE**. *XXX. OCT.*

Iam pridiem neque tanta, quanta in praeſenti, proſperitate vſa eſt res Hiſpanorum maritima, neque oculos hominum et ſermones tantopere commouit. Biennii tempore conſtructas vidit Fanum S. Chriſtophori ** naues nouem ex cedro omnes, quarum quatuor octogenis et ternis, quinque ſexagenis ac quaternis tormentis armatae ſunt. In naualibus adhuc verſantur aliae ſex, plurium etiam tormentorum capaces. Eiusdem praeterea magnitudinis naues bellicae octo Ferroliae, Gadibus***, et Carthagine noua **** conſtruuntur. Ex Suecia duodecim exſpectari, rumore nuntio accipimus. Adfirmauit praefectorum naualium nonnemo, in naues ſecreto imponi magnam vim tormentorum, glandiumque et pulueris pyrii, vt in Dominicam transueheretur.

* Barcellona.
** Havana.
*** Cadix.
**** Carthagena.

Gadi-

Gadibus naues conſcendunt quatuor cohortes militum recens conſcriptorum, variique ex veteribus legionibus lecti manipuli, in Americam tranſportandi, et legiones ibi peculiares confecturi. Quin conſcriptum iri dicunt triginta hominum millia, quibus terreſtres copiae augeantur. Cum renunciatus fuerit illius multitudinis in Americam aduentus, tum futurum volunt, vt aula noſtra quorſum conſilia illa ſpectent, declaret. Interea male ea res habet mercatores, qui hic negotiantur, Anglos; in primis ex quo tempore iuſſus fuit Marchio de la Mina Gallorum negotiis, quantum fieri poſſet, accommodare.

VINDOBONA. XXV. NOV.

Die ſolis, menſis viceſimo ſecundo, poſteaquam admiſſionibus vacaſſent * Imperator et Regina imperatrix, in templum St. Stephani ſollemniter concedebat aula vniuerſa. Ibi cum adminiſtrarent Legatus pontificius, aulae purpurati, aliique primae dignitatis viri, rem diuinam ſumma caerimonia faciebat ** Praeſul noſter, illuſtriſſimus Princeps a Migazzi. Deo commendabantur quicunque tum viui, tum mortui ad auguſtiſſimam domum Auſtriacam pertinerent.

* nach geendigten Audienzen.

** verrichtete das feyerliche Hochamt.

Conſtituendo nouo regimini cum maxime

opera nauatur: tametsi in multas difficultates incurrat illa commutatio. Eadem non vnius alteriusue muneris descriptione continebitur; sed ad plures rei publicae partes pertinebit. Cum ipsis noui anni auspiciis, si famae credimus, initium fiet.

LONDINO. I. DECEMBR.

Bedfordiae ducem Rex augustissimus sigillorum regni custodem * esse voluit. Idem Comitem a Thomond aerarii regii quaestorem **; Comitem a Powis thesauri custodem ***; et Cawendishium, ex Angliae proceribus, redituum domus regiae consignatorem **** constituit.

* geheimer Siegelbewahrer.

** Cassirer.

*** Schatzmeister.

**** Controlleur des Königl. Hauses.

ARGENTORATO. XXV. NOV.

Quicunque hic commorabantur Regi Prussiae subiecti, excedere vrbe iussi sunt a Vibrayo, marchione, ciuitatis huius praefecto.

Heri huc venerat Roussauius, Vir ingenio scriptisque clarissimus. Crastina luce Bullionum cogitat, Musis ibi suis librisque vacaturus.

BEROLINO. VIII. DEC.

Ocellum Gallice a se conuersum cum Henrico, regiae celsitudinis Principi, cui inscripse-

rat,

rat, nuper misisset illustris Marchio ab Argens, Regis a cubiculo: respondit ei Princeps litteris humanissime scriptis, hisque adiunxit Tabaci thecam splendidam valde ac pretiosam.

DVSSELDORPIO. IV. DEC.

Hodie Coloniam Agrippinam hinc tendet Sobisius Princeps, et supremus castrorum praefectus. Inde Lutetiam Parisiorum perget. Quo absente, exercitui ad Rhenum praefuturus est Comes a Vogue, summi ducis vicarius.

EX MOENI VICINIA. V. DEC.

Die XXVIII Novembris dimittebatur exercitus Broglii ducis, in hiberna concessurus. Ipse dux die I. Decembris Cassellas saluus sospesque peruenit.

Eodem, quem modo diximus, die Francofurtum venit Stainvillius Comes. Die tertio Hanouiam concessit. Hodie vero iter Parisinum persequetur.

EX POMERANIAE SVECICAE CONFINIO. X. DECEMBR.

Si famae fidem habemus, quae Platenio et Schenkendorfio parent agmina, in Saxoniam redire iussa sunt, Henrici Principis copias auctura. Eo spectare dicuntur Serenissimi Principis consilia, vt ante quam de hibernis cogitet,

Auſtriacos ex tractu metallifero * rurſus eiiciat.

* Ertzgebürge.

Colbergam accepimus, die huius menſis ſeptimo deditionem nondum feciſſe. Ruſſi tamen, ex quo diſceſſit agmen Würtenbergicum, et ſuburbiorum et portus domini fuerunt.

EX MEGAPOLITANIS. X. DEC.

Cum nuper ſub Bellingio Pruſſi in hunc ducatum intraſſent, in Rugiam reditum tuliſſe ſereniſſ. Ducis copias certum eſt. Sed ex his ad Pruſſos transfugiſſe quadringentos rumore nuntio fertur.

ALTONA. XV. DEC.

Vratislauienſium litterae detectam coniurationem narrant, quae contra Regis Pruſſ. ſalutem facta ſit. Id egiſſe dicuntur auctores nefarii, vt Regem Auſtriacis traderent. Euaſit periculum auguſtiſſimus ſatis feliciter, cum ex ducibus ipſius bellicis bini in poteſtatem hoſtium veniſſent.

RES LITTERARIAE.

Ex Popii ſcriptis praecipue illam de Homine commentationem interpretes plures nactam fuiſſe tum noſtrates, tum Gallos, diximus libello XXXVIII cum Duſchii noſtri in Popium merita

com-

commendabamus. Gallicis interpretationibus addenda eſt, quae hoc anno Lugduni Gallorum apud fratres Duplain prodiit.

Eſſai ſur l'H mme, nouvellement traduit de l'Anglois, avec des Notes critiques et un Diſcours ſur la Philoſophie Angloiſe. Liber ipſe paginas 244, praefatio pag. 54 implet formae 12. Non effecerunt binae, quae adhuc erant, interpretationes Gallicae, vt tertia haec vel inutilis videri vel ſuperuacua poſſet. Poëtica quidem Resnellii, quamuis elegantiſſima, imitationem potius, quam verſionem exhibet. Contra quae ſoluta oratione confecta eſt, tantopere inhaeret linguae Anglicanae genio, vt peregrinitatis etiam vitio laboret, nec ſine taedio legatur. Mediam quandam viam tenet haec verſio noua, ſententiamque poëtae, quoad patitur Gallici ſermonis conſuetudo, accurate reddit: venuſta eſt praeterea, et auribus propter numeri ſuauitatem iucunda. Quod ſoluto ſermone vſus eſt interpres, in eo recte et Popio, et ſibi conſuluit. Nam vel per carminis ambages vim et virtutem Popii fregiſſet; vel in breuitate ſectanda, ſe ipſe, fruſtra fortaſſe, torſiſſet.

Adnotationes paſſim et contextui ipſo addidit, et finitae cuique epiſtolae ſubiecit, quibus vel audaciores ſententias, vel loca difficiliora ita illuſtrat, vt poëtam defendat. Atque hoc potiſſimum praefatione illa longiore ſecutus eſt.

Deiſmi

Deiſmi inſimularunt nonnulli Popium, eiusque de Homine commentationem falſi ſyſtematis erroribus inniti totam voluerunt. Atque etiamnum inter Gallos ſunt, qui criminationi, licet conuictae, fidem habeant. Vix ab illa opinione deduci potuit Racinius iunior. Huius ſcriptae ad Ramſeyum Equitem ipſumque Popium litterae, et horum reſponſiones, hic leguntur inſertae. Popium egregie *defendit interpres noſter*, neque tamen ipſius hypotheſes omnes ſibi propugnandas putat. Admittebat ſententias liberiores Carmen, quod non doctrinae ſuae Popius fideique formulam eſſe vellet. Praeterea hic adiecta eſt Epiſtola, qua Popius de cognoſcendis hominibus expoſuit; quod quae in commentatione dicta erant generatim, hic per ſingula exempla demonſtrantur. Quae per paginas quadraginta ſeptem extenditur, *diſputatio* de Philoſophia Anglicana, laudem in primis meretur. Anglos de philoſophia praeclare meritos eſſe profitetur: ſtudiumque illud quibus rebus vel naturalibus vel politicis auctum adiutumque fuerit, oſtendit. Illius tamen philoſophiae naeuos etiam vitiaque commemorat: ſed ita, vt occaſionem inde dicat Gallis enatam emendandi tum cogitandi rationem, tum ſcribendi.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLIX.

DIE VENERIS, XV. CAL. IANVAR. CIƆ IƆCCLXI.

ROMA. XXIII. DEC.

Hoc die ipſo euecti ſunt a ſummo Pontifice ad Purpuratorum dignitatem, qui ipſi a variis Europae aulis commendati fuerant, viri illuſtriſſimi. Reginae quidem Imperatricis fauore nitebantur Franciſcus Chriſtophorus ab Hutten, Spirenſium Praeſul, et Chriſtophorus a Migazzi, ſummus Praeſul Vindobonenſis. Gallia commendauerat Ludouicum Chriſtianum a Rohan, Praeſulem Argentoratenſem: Hiſpania Bonauenturam de Corduba Spinolam de la Cerda, Indiae Patriarcham, et Neocaeſareae Archiepiſcopum. Ab Equite S. Georgii traditus erat Antonius Ceriade de

Choiſeul-Beaupré, Veſontionis * Praeſul; a Rege Poloniae et Saxoniae Electore, Ioannes Franciſcus Ioſephus a Rochechouart, Lauduni ** Dux et Praeſul, idemque Galliae ad Sedem apoſtolicam legatus. Sardiniae Rex commendauerat Franciſcum Henricum Virginium Nattam, ex Dominici ordine, Albae, in tractu Montis Ferrati *** Praeſulem. Praeterea ad eandem dignitatem euecti ſunt, Ioannes Molino, Venetus, *Brixiae* **** *Praeſul*; Cornelius Monti-Caprara, Romae praefectus, et Balthaſar Cenſi, conſilii pontificii ab epiſtolis.

In horum, quos modo diximus, locum ſuccesſerunt Molinarius vrbis praefectus; et Piccolominus Conſilii ab epiſtolis.

* Beſançon.
** Laon.
*** Montferrat.
**** Breſcia.

Pagliarino, librario, propter libellum *Lupi ſmaſcherati*, h. e. lupi detracta perſona detecti, ad remos damnato, poenam remiſit, gratiamque fecit Pontifex, cum pro reo deprecatus eſſet vrbis praefectus.

LONDINO. IV. DEC.

Cliuium, tribunum militarem, multis proſperisque per Indiam orientalem expeditionibus clariſſimum, Plaſſii, qui Hiberniae vicus eſt, liberum Baronem nominauit Rex auguſtiſſimus.

Pro-

Propediem confectam ſperamus, quae inter aulas noſtram et Ruſſicam agitabatur, pactionem mercatoriam *. Prima ſcripti lineamenta ** iam ad nos transmiſit Keithius, noſter ad aulam Petropolitanam Legatus.

* Commerce-Tractat.

** die Punctation.

Sed praeterea etiam de alia pactione ſermo increbuit, qua aulae noſtrae cum Germaniae quadam conueniſſe volunt de agmine militum in ſtipendia noſtra transſcribendo.

Quae in Germaniam ad augendum exercitum traiicientur, copiae duodecies mille capita conficient.

LVTETIA PARISIORVM. IV. DEC.

Apud Luyneſium, Patrem purpuratum, ſingulis hebdomadibus regio iuſſu bis terque congregantur Archiepiſcoporum et Epiſcoporum amplius quadraginta, qui de conſtitutionibus ſodalium ordinis Ieſu conſultent. Qui cum ad Regem retulerint, ſententiam de tota re dicet Auguſtiſſimus.

Duces militares quatuor atque in his Marchionem ab Armentieres et Ducem a Briſſac pronunciauit Rex ſupremos Galliae praetores caſtrorumque praefectos *. Praeterea nonnulli

in castrorum praefectos**, alii in legionum legatos***, alii in tribunos relati fuerunt.

* Marschalis von Frankreich.
** Marschalls de Camp.
*** Brigadiers.

Nuntius aulae haud iucundus fuit, qui castellum Mahnense in ora Malabarica cum quinque operibus aliis retulit a Loueto Anglis deditum fuisse, quod ea tenere diutius non posset: trecentisque Anglos tormentis illa deditione auctos fuisse. Egressos cum concentu militari et sublatis explicatisque signis praesidiarios propediem reduces exspectamus.

RES LITTERARIAE.

Commemorauimus libello XXIX mortem Bosii, Professoris in Academia Wittenbergensi meritissimi. Memoriam viri nuper Academiae nomine consecrauit eleganti programmate et Romano Crusius, Eloquentiae Professor.

Georgius Matthias Bose, Physices quondam apud Wittenbergenses Professor ordinarius Academiae regiae scientiarum Parisinae adscriptus, Instituti Bononiensis, societatis scient Suecicae, itemque Teutonicarum Gryphicae Helmstad. et Ienensis collega, natus erat Lipsiae a. 1710, d. X Sept. patre Georgio Henrico Bose, mercatore nobili, nec litterarum, qua pe

per itinera varia excoluerat, experte; matre Eua Sibylla Bachmaier. In maioribus eius complures fuisse viros spectabiles clarisque gentibus implicatos ex vita discimus filii superstitis, quae cum is artium Magister renuntiatus esset, inserta fuit Memoriae Melanthonis a Titio, Professore celeberr. concinnatae.

Cum magnam exspectationem adferret peracre ingenium longeque praestantissimum, in re valde lauta, non deerant magistrorum operae, quibus ad artes scientiasque capessendas adduceretur. Praeter Philosophiam ac Mathesin linguas addiscebat complures: humanioribus, poësi Latinae et vernaculae vacabat, sed in primis linguas eruditorum Romanam Graecamque tanto studio complectebatur, vt vtriusque sibi facultatem compararet prorsus eximiam. Anno aetatis decimo septimo philosophiae doctor artiumque magister renuntiatus, medicinae diligentiorem operam nauabat eo consilio, vt disciplinam naturalem, quam praecipue exculturus erat, felicius postea tractaret. Cum disputatione publica specimen eruditionis edidisset, ordini philosophorum Lips. adiunctus, mathemata et physica tradere coepit ita, vt experimentis praecipue magno tum labore, tum sumtu instituendis inclaresceret. Electricitatem quam vocat physicorum consuetudo, pridem veluti sepultam, cum vix exsuscitasset apud Gallos Du Fayus, Lipsiae recolere coepit Bosius, atque

Germanorum primus fere miracula illa electrica tentauit: in quo genere deinceps variis inuentis nomen illustrauit suum.

A. 1738 in Academia Wittenbergensi docendae Physices munus ordinarium adeptus, prouinciae illi tanta cum auctoritate et studiosorum iuuenum adplausu praefuit, vt ad neminem illa deferri potuisse iudicaretur, qui maiori eam vel doctrina vel diligentia tuiturus fuisset. In tradendis physicis et mathematicis continua viri opera versabatur. Philosophiam quoque nonnunquam docebat; idque vel incommodo valetudinis suae. Neque minus diligenter incumbebat ad studia litterarum, et in supellectilem illam lautam ac pretiosam, quam sibi coëmendis, quaecunque ad physicam et mathesin facerent, praestantissimis tum scriptis tum machinis, comparauerat. In bibliothecam amplius duodecies mille imperiales impenderat: machinas vero et instrumenta ingenti pretio constitisse iudicabant quicunque splendidum adparatum conspexissent. Tanto studio cum amplissimam sibi doctrinam comparasset, fieri non poterat, quin multa conscriberet physica in primis ac mathematica: quae partim singularibus libris edita sunt, partim variis collectionibus societatum regiarum inserta. Magna apud exteros gloria erat nomen Bosianum: ipse in varias societates cooptabatur; inde ampla illa litterarum commercia, vt epistolarum multa millia colligeret

ret

ret a viris per Europam doctiſſimis ad eum datarum. Saepius fiebat, vt cum ad eum tanquam arbitrum difficillimas quaeſtiones detuliſſent eruditi homines, ipſe tam acute prudenterque litem dirimeret, vt ab vtraque parte iniret gratiam. Saepius de occultis naturae interrogatus, ad propoſitam quaeſtionem conſcripto libello integro reſpondit. Breui, latius patebat eruditionis Boſianae vſus, neque eruditis extraneis minora commoda, quam ipſi Academiae adferebat.

Alacer erat natura, et per omnia extra dilationes poſitus, ſed in rebus gerendis nonnunquam paullo audacior. Amicis ſemper ſe candidum praebebat, aliquando ſimplicem et apertum, ac cum damno ſuo familiarem. Aduerſus inuidos et obtrectatores (quibus eum non caruiſſe vel inſtitutae in eum actiones teſtantur) ita ſe gerebat, vt inſultibus eorum ingenuum magnumque animum opponeret: aliquoties tamen paullo ſeueriorem fecit tuendi veri honorisque conſeruandi ſtudium. In congreſſu amicorum ingenium prodebat hilare, iucundum, ſalibusque et facetiis abundans. In ſermone inerat ingenua quaedam ſimplicitas, eaque aduerſus certos homines non ſatis cauta. Docentis oratio viuida erat, hilaris et expedita. In matrimonio habuerat Ioannam Henricam Carpzouiam, cuius iam dudum ereptae deſiderium leniebat filius, quem ex ea ſuſceperat, paterna-

rum

rum virtutum aemulus. Praesidis in ordine Philosophorum munere aliquoties functus fuerat. Rectoris acad. prouinciae, quam secundum susceperat regendam, finem attulit notissima illa calamitas, quae ipsi quoque moriendi necessitatem accelerauit. Magdeburgi detinebatur Bosius noster, cum sua omnia incendio consumta audiret, inter tormentorum fulmina, quibus d. XIII Octobris anni superioris vrbs verberabatur, bibliothecam, machinas, codices manuscriptos, epistolas, supellectilem domesticam. Qua occasione litteras ad filium dedit spei Deo confisae plenissimas, viroque constanti et sapiente dignas. Sed cum augerentur aliis super alias malis aegritudinis caussae, accessit mense Augusto dysenteria grauis, qua die 1. Sept. huius anni vitam ita, vt christianum decebat, finiuit. Paucis ante mortem annis alterius oculi vsu paene se orbatum sensit. Multa variaque a viro eruditissimo scripta sparsimque edita fuisse, modo diximus. Quae vt vno alteroue volumine colligantur optabunt, quicunque disquisitionibus mathematicis ac physicis delectantur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS LI.

DIE VENERIS, VIII. CAL. IANVAR. cIↃ IↃCCLXI.



OLYSSIPPONE. XV. NOV.

Ex aliquo tempore domo ſua prodeuntem non vidimus illuſtriſſimum Comitem ab Oeyras, primum regis adminiſtrum. Quod cum nonnulli vulneri in crurum altero adſcribant, ſunt qui tribuendum potius magno cuidam negotio dicant, quo detineatur.

Ex ſinu omnium ſanctorum * allatae litterae, Nouae coloniae caſtellum ab Hiſpanis narrant terreſtri obſidione cingi: eius praefectum ex tractu Ianeirenſi aduehenda curare, quibus horrea repleat; militibus ſuis ſupplementa numeroſa

ſcribere Comitem a Boba, Nouaeque coloniae aditus omnes operibus tormentisque munire.

* Bahia.

LVTETIA PARISIORVM. X. DEC.

Eorum, qui rei tum ciuili, tum militari in Canada praefecti, multa in ciues contra ius fasque commiſerant, haud pauci in caſtellum Pariſinum * coniecti fuerunt.

* *Baſtille.*

EX EADEM VRBE. XIV. DEC.

Conualuit ex morbo, quo adfectus erat, qui nuper ſigillorum regni cuſtos dicebatur, Berrierius. Itaque nouum munus auſpicantem gratulabundi ſalutarunt vniuerſitatis litterariae patres, magiſtratus, et reliquae curiae*.

* Gerichtshöfe.

Ineunte menſe Martio in caſtra Britanniae inferioris congregabuntur, vt fama eſt, ſexaginta millia militum. Quae vtrum ad tuendas oras noſtras, an ad infeſtandam Angliam Scotiamue comparentur, nondum liquet. Nouis quotidie coniecturis locum faciunt ex Hiſpania nuntii: ſed ita varia ſunt quae adferuntur et incerta, vt nihil inde colligi explorate poſſit.

LONDINO. XI. DEC.

Quae ab vtraque regni Anglici curia * agitantur de augendis copiis, ſumtibusque ſuggerendis

rendis consilia, ita sane comparata sunt, vt bellum praedicere videantur summis viribus in Germania persequendum. Maritimi adparatus tanti fiunt, quanti nunquam ante toto hoc belli tempore facti sunt.

* das Ober- und Unter-Parlement.

Plimutho per hosce dies ad summum militiae reique naualis Senatum * venisse dicitur, qui inde iam naues aliquot profectas ad Bellam Insulam nuntiaret. Interea in portum Plimuthensem delatus nauta narrasse fertur, visam a se Gallorum nauium quatuordecim classem, portu Briuate exeuntem. Quae si ita sunt, exspectari grauissimarum rerum nuntii debent.

* Admiralität.

Foederatus in Germania exercitus supplementis, quae comparat, nostrisque, qui traiicientur, militibus auctus, centenis millibus constabit.

Qui in Hispania negotiantur mercatores nostri, retulisse ad regni illius consilium feruntur de negotiis suis rebusque in tuto collocandis, si forte interrupta pace belli necessitas incidisset. Sed responsum illis fuisse dicitur Regis catholici nomine, nihil esse, quod rebus suis metuant mercatores Angli: neque enim adhuc futurum videri vt eiusmodi rerum consiliorumque commutatio consequatur.

DRESDA. V. DEC.

Tſchoppam propediem translatum iri dicunt illuſtriſſimi Daunii praetorium. Inde ad vicum Noſſenſem agmen Haddikii, Alberti Principis prope Hähnichium, Laſcii Comitis ad Haynam, tendit. Henricus Princeps caſtrorum initia adhuc collocata habet in pago Barnitio. Hibernis neutra pars quietis fructura videtur, niſi quid ferro ante decidatur. Auſtriaci certe etiamnum de capiendis collibus Katzenhuſanis cogitare videntur.

EX PRAETORIO EXERCITVS GERMANIAE WEIDENSI. V. DEC.

Statu ſuo adhuc permanet communis Germaniae exercitus: neque ex ſtationibus diſpoſitis ad illuſtriſſ. Serbellonium, ſummum caſtrorum praefectum, quidquam relatum auditur, quod memoratu dignum videatur. Hiberna nondum conſtituta ſunt.

MONASTERIO. XI. DEC.

Die VII. Dec. ſaluus ſoſpesque huc venit ſereniſſimus Brunſuicenſium heres, hibernacula in vrbe noſtra ſumturus. Cuius copiae eo magis otio reficiendae ſunt, quod cum tota expeditione grauiſſimos labores bellicos pertuliſſent, nuper etiam, continuatis, quantum fieri poterat, intineribus, Gandershemio huc peruenerunt.

RES

RES LITTERARIAE.

Auli Gellii noctium Atticarum libri XX. ficut superfunt. Editio Gronouiana. Praefatus est, et excurfus operi adiecit Ioh. Ludouicus Conradi, Iur. D. et in Collegio maiori Princ. collegiatus. Pars prima. Lipfiae impenfis, Gotth. Theophili Georgii cIɔIɔccLXII. 1 Alphab. 10 plag. forma oct. maiori.

Luculentiffimae funt, quas Gellio debemus, noctes Atticae, h. e. lucubrationes de rebus variis multa eruditione refertae, quas longinquis, vt ipfe loquitur, per hiemem noctibus in agro terrae Atticae perfecit. Optima editio erat, quae Lugduni Bat. cIɔ Iɔccvi. in 4. mai. cura Iacobi Gronouii prodierat. Noua quondam exfpectabatur ab Abrahamo Gronouio. Interea minorem acceperamus a. P. D. Longolio, Curiae Regnitiae cIɔ Iɔccxli. 8. vtiliffimo indice illuftratam. Maior etiam exfpectatio erat eius, quam cum maxime Argentorati adornare dicitur V. cl. Elias Stoeberus. Huic anteuertiffe videmus illam, cuius modo partem primam indicauimus, editionem Lipfienfem. Cuius quae dotes fint, ipfius editoris confultiffimi I. L. Conradi, verbis referemus. Ita vero is poft laudes Gellianas. "Bene igitur factum effe, Lector, "ftatuere debes a librario, qui, deficientibus "Gellii Gronouiani exemplaribus, eius editio-"nem, pernecefſariis acceffionibus aliquot au-"ctiorem, fuis impenfis renouandam fufceperit.

"Is cum audiisset, multa in Gellio esse, quae ad "illustrandum Ius Romanum valerent, neque "in his interpretandis aut Gronouium aut alios "nihil alienae industriae ad perficiendum reli-"quisse, impulsus ea, quam sibi de me fortasse "falsam afferri passus est, opinione ad me adiit, "et exposita re, vt ad hoc negotium accingi vel-"lem, impetrauit. Sed partim operarum festi-"natio, partim ceterae meae *occupationes* fece-"runt, vt, quae a me disputanda essent, ea re-"iici debuerint ab ipso annotationum Gronouia-"narum contextu ad Excursus quosdam, velut "Appendicem libri futuros: id quod vt mihi "ad scribendum facilius, ita tibi, Lector, ad "vtendum commodius fore intellego. Reliqua "huius editionis curatio fuit eius, qui diligen-"tiam suam in Plauto nuper edito, corrigendis "periculis typographicis, iam probauit, et ab "Ernestio V. S. in praefatione ad illum poëtam "laudatus, meis laudibus facile carebit, Enoci "Christiani Aug. Othonis, A. M. qui et singu-"las plagulas intentissima cura emendauit, et "vbi ad orationis Gellianae aliquam vel melio-"rem vel certe probabiliorem lectionem doctri-"na et ingenio adiutus euaserat, eam suo nomine "insignitam Gronouianis annotationibus inse-"ruit: de quarum lectionum probitate, cum ipse "alieno iudicio stet potius quam suo, ne ego "quidem illas ad meum, sed ad tuum, erudite "Lector, arbitrium, conferendas putaui.,,

Prae-

Praefationem illam antecedit Editoris dedicatio, qua Gellium hunc Serenissimo Principi Carolo Theodoro, Comiti Palatino ad Rhenum et S. R. I. Electori, sacram esse voluit. Sequuntur, quae Gronouianam editionem ornauerant, epistola Dominico Passioneo, Abbati illustrissimo, inscripta, Iac. Gronouii praefatio ad lectorem, Conspectus operae post renatus litteras et typographiam repertam Aulo Gellio impensae cet.

In fine huius Partis primae, h. e. libri noni, quo illa concluditur, comparent, Excursuum nomine, Conradi, Viri Consult. ad Gellium disputationes nonnullae. Quas cum ipse volumini posteriori subiungere decreuisset coniunctas, earum particulam huic volumini adiectam voluit librarius, vt lectoribus iam ante quasi aliquis earum gustus daretur. In quibus Editor doctissimus ordinem sequitur non Gellii capitum; sed titulorum eius doctrinae, a qua et Gellium, et quam vicissim a Gellio illustrare studuit. Earum indices exhibebimus. Primae est, *Cap.* 2. §. 3. *de orig. iur. et Gell. VI.* 9. *De Cn. Flauio.* Secundae, *Ibid.* §. 4. *et Gell. XV*, 27. *de Laelio Felice.* Tertiae, *Cap.* 8. *de leg. et Gell. X*, 20, *de Priuilegiis.* Quartae, *Cap.* 4. *de statu hom. et Gell. VII*, 4. *de venditione seruorum sub corona.* Quintae, *Cap.* 9. *de his*, *qui sui vel al. iuris*, *et Gell. II*, 2. *de publico munere vel officio.* Sextae, *Cap.* 2. *de adopt. et emanc. et Gell. V*, 19. *de arrogationibus auctoritate principum factis.*

Septi-

Septimae, *Tit. de Praef. vrbi, et Gell. XV, 8.* Octauae, §. 1. *Cap. 6. de officio Praef. et Gell. XIV, 2, in caussa dubia quomodo pronunciandum.* Nonae, *Ibid. cap. 4. et Gell. XIV, 4 de imagine iustitiae Chrysippea.*

Christiani Lud. Scheidii, cuius obitum Libello XXXVII indicauimus, memoriam sequenti Epigrammate prosecutus est illustris Lipsiensium Professor, idemque poëta praestantissimns, Io. Gottlob Boehme.

Sit tibi terra leuis, Scheidi, nec carmina busto,
Nec lacrimae desint, purpureaeque rosae.
Heu! decus Aonidum, Germanae gloria gentis,
Heu! doctae periit conditor historiae.
Te patria ereptum, rerum te nuncia Musa,
Luget, Pieridum Munchusidesque salus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS LII.

DIE MARTIS, V. CAL. IANVAR. cIↃ IↃCCLXI.



HAFNIA. XXI. DEC.

Quae Regis munificentiſſimi ſumtibus iter hinc in Arabiam felicem ſuſcepit, ſocietas hominum litteratorum, hanc, Conſtantinopoli ab aula Turcica litteris liberi commeatus adiutam, d. XXVII Sept. Alexandriam Aegypti felici itinere ſaluam perueniſſe, ex allatis inde litteris cognouimus. Quae vbi menſes aliquot tum Alexandriae tum Cairi commorata fuerit, mandatisque ſatisfecerit, iter ſuum ad Sinai montem perſequetur.

PETROBVRGO. XXIV. NOV.

Maturam huius anni hiemem experimur.

Newa quidem reliquique fluuii iam exeunte Octobri frigore constiterant. Tempore itaque Stephanopolin * et Reualiam redierat, quae ad Colbergam fuerat, classis. Cuius tamen vna nauis, quae Astracan dicebatur, sexaginta sex tormentis armata, prope Daghoam insulam, nautis classiariisque seruatis, periit. Ceterum Stephanopoli quod erat nosocomium classiariis constitutum * * haud ita pridem incendio consumtum fuit vna cum aegrotorum nonnullis.

* Cronstadt.

** das Hospital der Marine.

LVTETIA PARISIORVM. XVIII. DEC.

Collegam sibi honorarium esse voluit Academia, quae hic est, scientiarum illustr. Bertinum, supremum aerarii regii praefectum.

* Generalcontrolleur der Finanzen.

Quae Briuate Portu exierat classicula aduersis ventis in portum Berritonensem compulsa fuit. Eam binae naues Anglorum veloces * obseruant. Ad Britanniae minoris oras versari dicuntur eorundem bellicae naues vndeuiginti.

* Fregatten.

Sublatum est, quod de cogendis Burdegalae * retinendisque nauibus mercatoriis erat, edictum * *. In portu Burdegalensi, praeter veloces binas, naues bellicae quatuor construuntur, sexagena tormenta vecturae.

* Bourdeaux.

** Beschlag auf die Kauffahrdeyschiffe.

DVS-

DVSSELDORPIO. XV. DEC.

Moueri rurſus Gallos, quaeque ad proficiſcendum pertinent paraſſe, vt dato ſigno iter ingredi queant, rumore nuntio vndique adfertur.

ALTONA. XXIX. DEC.

Straliſundenſium litterae d. XXI Deç. datae Colbergam narrant d. XVII deditionem feciſſe; captiuumque cum praeſidio ſuo belli iure factum fortiſſimum illum Tribunum ab Heyden.

RES LITTERARIAE.

Ex inſtitutione ſcholaſtica, quae hodie plerumque obtinet, ſi quaeratur, quid cauſſae ſit, cur non eae, quae debebant, ad iuuentutem vtilitates perueniant; variae a variis adferri cauſſae ſolent. Sunt, qui in exiguo doctorum peritorum et proborum numero; ſunt, qui in delicata nimisque eleganti adoleſcentium noſtrorum educatione; ſunt, qui in feſtinatione eorum ad ſublimiores ſcholas nimia, neque vllis adhuc legibus coërcita; ſunt, qui in aliis rebus externis illius mali cauſſas contineri arbitrentur. Quos quidem omnes recte exiſtimaſſe, tantum abeſt, vt negari queat, vt potius omnes illas cauſſas, modo ſingulas, modo iunctas locum habere, ingenue fatendum ſit. At vero vna ſupereſſe videtur cauſſa, ad quam eo reſpici

magis oportebat, quod non tam aliunde illa atque altius repetita, quam ex ipsis scholarum penetralibus desumta cernitur.

Hanc docta et eleganti *Prolusione de Institutionis scholasticae terminis non sine magno scholarum detrimento migrandis*, Hannouerae clↄ Iↄcclx duabus plag. 4. mai. perfecutus est Vir de studiis humanioribus, et de scholis rectius constituendis praeclare promeritus, *Ludouicus Guilielmus Balhorn*, *Lycei maioris Hannouerani Director*. In illa vero disputatione triplici quaestioni responsurus *primo* quousque scholae limites pertingant ostendit; *deinde*, quo pacto hi soleant nonnunquam termini migrari; *denique*, quantum ex hac re scholis detrimenti accidat.

Ad primum caput quod attinet, in statuendis inferiori scholae limitibus rectissime ita versatur, vt per singulas, quibus iuuenilis aetas impertiri debet, artes doctrinasque eat. Itaque in tradenda *sanctiori disciplina*, supra primaria caelestis doctrinae elementa paullo adscendendum putat propterea, quod et in hac temporum nostrorum quiduis sentiendi pronunciandique licentia, munito pectore beneque praeparato opus sit, nisi de sua statione deiici aut fluctuari animus debeat, et lente proficere soleant, qui, sacris litteris dicati, sublimioris earundem pertractandarum rationis plane expertes ad academias accesserint. Praeparandos videlicet esse alumnos academiae

qui-

quidem partim, lubrico autem ſaeculo omnes. *Philoſophandum* quoque in ſcholis, quanquam paucis, erit. Tametſi enim committendum non eſt, vt intelligentiae vis in iuuenibus veluti deſeratur, cautio tamen adhibenda eſt, ne quis facile vltra *mathematicae* doctrinae elementa, et vniuerſa humanae ſapientiae decreta in ſcholis progrediatur. Maiorem ſibi diligentiam vindicat *rerum geſtarum et antiquitatis orbisque terrarum notitia.* Vt enim vegeta in primis et iuuenili aetati fida eſt memoria: tempori, ſeu potius aetati inſeruiendum eſt, ſed ita, vt hiſtoriae, quam dicunt, vniuerſali opera potiſſimum tribuatur, vt in antiquitatibus maxime neceſſaria, vt in geographicis orbis ante, quam ſingularum regionum deſcriptiones tradantur. *Poeticen* dudum ſapientibus viris animaduerſum eſt, non poſſe ſine inſigni omnium litterarum detrimento faſtidiri. Fieri haud poteſt, vt reuerenda effatorum diuinorum monimenta recte intelligat, vt natiuam linguae vim ſatis perceptam teneat poëtices expers et ignarus. Itaque carminis, ſi non pangendi, at diiudicandi praecepta ad ſcholam pertinent. *Oratorum* vero ars hos limites in ſcholis obtinet, vt eius ſi non vim ac numen, ornatum tamen, et varias bene apteque eloquendi ſpecies et formas mente animoque percipiant iuuenes, totumque orationis conſcribendae habitum, et illud bene pronuntiandi artificium non modo cognoſcant, verum etiam, propoſitis crebris ad imitandum veterum exem-

plis vſurpent. *Linguarum* denique *Latinae*, *Graecae* et *Ebracae* vix eſt in ſcholis imperium definiendum. Latinae quidem fieri non poteſt, vt quid in ſcholis nimis tribuatur. Huius ſane eo vsque periti eſſe debent qui academias adeunt, vt ſi quid ad ſcribendum aut ad eloquendum proponatur, id, ſi nondum eleganter et venuſte, verbis tamen idoneis, veris et apte connexis enuntiare ſciant. Graecarum autem litterarum, non ſacrarum tantum verum etiam profanarum, niſi e ſcholis intelligentia petatur, ebraeae item linguae niſi quis elementa ſaltem in iisdem iam ſubſelliis familiaria ſibi reddiderit, verendum ſane eſt, vt vnquam ſit ad aliquam harum linguarum doctrinam adſpiraturus.

Poſitis ita ſcholaſticae inſtitutionis limitibus, ſequitur vt, quantopere hi ſoleant a multis negligi migrarique, oſtendatur. Migrant hos terminos, qui in ſanctiore diſciplina omnes, quin ſubtiliſſimas res conſectantur, aut in conuincendis erroribus habitant: qui omnem philoſophiae ambitum cum iuuenibus percurrunt, et formaturi quaſi Wolfios et Neutonios alteros, in vmbra ſua omnes ex recondita philoſophia locos pertractant: qui in enarrandis rebus geſtis ita tarde ſe proripiunt, vt in emetiendo totius hiſtoriae ambitu quatuor aut quinque annos conſumant, vel antequam vniuerſae hiſtoriae imaginem tradiderint, in ſingulis partibus excolendis toti ſunt. Iam qui e ſcholae cancellis ea

ratione

ratione egrediuntur, quod vni litterarum generi ſtudium ſupra, quam ſatis eſt, impertiunt, vt temporis compenſatio fiat, alteri debent ſurripere. Iacet igitur, miſereque iacet linguarum probe tractandarum in eiusmodi ſcholis, ſeu, quod nomen magis conuenit, academiis ſtudium. Sordent tricae, quas dicunt, et nugae grammaticae. Ne tamen non legiſſe videantur, quae tanti fieri alias intelligunt Graeciae Latiique veteris monimenta: feſtinanter auctores praecipuos percurrunt. Ebraica vero aut academiis integra reſeruant, aut in primis lectionis ebraeae fundamentis ſecuri adquieſcunt.

Tertium eſt, vt quid ex neglectis adeo ſcholae limitibus damni proficiſci ſoleat, oſtendatur. Primo occurit mirifica iſta rerum commixtio, in eo tandem deſitura, vt poſt celebratas hoc pacto in ſcholis academias, in academiis contra ſint ſcholae requirendae. Quid enim aliud ſunt, ſi veſtem ſuperbam detraxeris, et rem nudam ſpectes, collegia nonnunquam, quae dicuntur, fundamentalia, epiſtolographica, et iſta non raro ſtili elaboratoria, quam inferiores in academia ſcholae? Haec ſane et academiis indigna ſunt, et illis academicis moleſta, qui ad audienda grauiora rectius praeparati venerant. Sed maius etiam in ipſas inferiores ſcholas damnum inde proficiſcitur. Poenitet ſero alumnos temporis ſine fructu conſumti, virique facti male de ſcholis publicis earumque magiſtris ſentiunt,

aucto-

auctores aliis fiunt, vt publicas has palaestras fugiant, domesticisque magistris se committant, vel si vitare istas nolint, at festinante pede scholasticae institutionis stadium percurrant, quo citius eo adspirent, vbi non sublimioris modo doctrinae, sed linguarum adeo omnisque eruditionis prima debeant fundamenta poni. Accedit summus, qui est nonnunquam, scholarum in academiis contemtus: habent enim, cur de scholarum doctoribus inique sentiant doctores academici, suaeque iam doctrinae alumnis temporis operaeque iacturam in scholis factam exprobrent. Denique ex peruersa eiusmodi institutione scholastica, exsistit illa, quae summum litterarum studiis damnum adfert, praematura, quam iuuenes concipiunt, ingenii sui opinio: quae gignere etiam solet nimiam ad sublimiores scholas festinationem.

Quibus prudenter eleganterque disputatis subiunxit doctissimus Lycei Hannoueram Director lectiones atque exercitationes, quibus primi ordinis iuuenes tum ipse, tum collega ipsius, continere soleat. Quae sane ita comparatae videntur, vt exemplum praebeant institutionis scholasticae iustis terminis circumscriptae.

FINIS

ANNI CIↃIↃCCLXI.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS I.

DIE VENERIS, CAL. IANVAR. cIↃ IↃCCLXII.



HOLMIA. XXVIII. DEC.

Regiis litteris iterum inuitati illuſtriſſimi Comites, Guſtauus Bonde et Ture Gabriel Bielke, regni Suecici Senatores, ordinumque regis equeſtrium praefecti*, adſignatum in conſilio regio locum d. XV. Dec. ceperunt.

* Commandeurs der Königl. Orden.

Ex Nordlandia relatum accepimus, in Medelpadiae vico excogitatum fuiſſe ab agricola, Per Perſſen, inſtrumentum excutiendis ſpicarum granis ita aptatum, vt quod alias ſedecim homines effeciſſent, praeſtare eiusdem ope bini

possent: itaque illam machinam communi per Nordlandiam vsu iam recipi. Nec difficilem esse vtilissimi instrumenti repertorem: sed conficiendi vtendique rationem aequum pretium offerentibus libenter impertiri.

HAGA COMITVM. XXII. DEC.

Nondum licuit per pagum Bernensem, supplere quae conscriptae ante tempus aliquod fuerant, praetorianorum centurias Heluetianas tres*, tametsi semel iterumque Bernenses adierant foederati Belgii ordines. Sed missae nuper ad eosdem litterae eiusmodi sunt, vt illis rem caussamque sine vlla dubitatione probaturae videantur.

* drey Compagnien Schweizergarde.

EX EADEM VRBE, EODEM DIE.

Foederati Belgii ordinibus litteras per hos dies tradebat Yorkius, Eques et Magnae Britanniae regis administer, quibus de reipubl. nostrae ciuibus nonnullis magnopere conquerebatur, quod cum mediam se partibus professa esset respublica, Gallis nihilominus ad construendas naues necessaria omnia sufficerent, conuehendis in portus illorum lignis, velis, funium adparatu; eaque re ducendi belli facultatem darent. Propterea se rogatos velle ordines, vt, statutis poenis grauissimis, interdicerent ciuibus suis commercio eiusmodi Anglis noxio; eo magis quod fieri possit, vt ipsi aliquando detrimenta inde caperent.

VIN-

VINDOBONA. XII. DEC.

Swidnitii haud ita pridem detecta fuerunt loca ſubterranea et concamerata *, in quibus repererunt noſtri magnam pecuniae vim, arma, tormentaque bene multa, res pretioſas complures ſacris vſibus dicatas **. Quae cum ſpem faciant plurium locorum ſimiliter detegendorum, *in ea quam fieri poteſt*, diligentiſſime inquiritur.

* Gewölbe.

** Kirchenkoſtbarkeiten.

AVGVSTA VINDELICORVM. XVII. DEC.

Tam parum ſibi conſtant, quae de concilio pacificantium feruntur, vt illius breui apud nos obeundi ſpes in dies magis magisque extenuetur. Fama quidem adhuc fuerat, primo quoque tempore adfuturos Imperatoris cum ſumma auctoritate legatos *, venturum quoque huc omnibus ignotum * *, vt alias ſibi aedes compararet, Keyſerlingium, comitem. Sed iam explorate adfirmari audimus, ab aula Saxonica Dresdam hinc reuocatos fuiſſe, qui legatorum ſcrinia cum litteris *** curare debebant.

* Plenipotentiarien.

* * incognito.

* * * Officianten der Geſandſchaftscanzley.

*TRAIECTO AD MOSAM *. XXIII. DEC.*

Nocte, quae diem huius menſis viceſimum ſequebatur, graui et funeſto caſu commota vrbs fuit.

fuit. In aërem ferebatur locus concameratus, vbi pulueris pyrii pondo triginta ſex millia adſeruabantur. Qui prope locum excubias agebant milites quindecim vna cum Subcenturione** perierunt, disiectorumque confracta membra hic atque illic remotis ab vrbe ſpatiis inuenta ſunt Non ſolum funditus euerſae fuerunt aedes, quibus vtebatur ſereniſſima Haſſiae Philippsthalienſis Princeps, ſed ipſa etiam et domeſticorum quindecim illa ruina vitam amiſerunt. Simili modo Liberibaronis a Celis tum aedes euerſae fuerunt, tum vxor periit. Aedificia fere trecenta, et in illis templa nonnulla, calamitatis illius indicia muris, tectis, feneſtris que vitreis oſtendunt. Miſſus eſt a ſereniſſimo Principe Ludouico, qui in factum factique auctores diligentius inquirat.

* Maſtricht.

** Lieutenant.

RES LITTERARIAE.

Luneburgo nobis allatum fuit carmen ſollemne, quo diem Dei ſeruatoris nati feſtum celebrauit Iohannei Luneburgenſis Rector *I. C. Stockhauſen.* Primum huius quidem generis carmen eſt, quod viro huic doctiſſimo debeatur, ex quo Schmidio Brunſuicum vocato, ſcholam ſuſcepit regendam.

Quae ſuprema dies quondam fuit in paradiſo
Nubila praeteriit lacrimisque

Im-

Immortale decus lugentibus, heu! quod ademtum:
Nec miseris spes vlla salutis
Terrigenis fulsit. Sed gratia mira Tonantis
Fulminibus solatia miscet,
Queis superarent tristitiam vitaeque labores.
Ecce venit radians ab Eoo
Ipse Deus filius! splendens Genitoris imago
Natus homo de virgine casta.
Mirificisque ligat cum terra sidera nodis,
Caelitibus dum reddere lapsos
Hostia gratia studet. Iubare exorto, comitatus
Descendit praeconibus altis
Noctu, palmiferis Bethlem resonantibus aruis:
"Aeterno sit gloria summa!
"Pax redeat terrae, cunctis plaudentibus alma!
"Acceptum que hominum genus Ipsi!"
Nate Deo, salue, tibi pandunt pectora ciues,
Quos tanto dignatus honore
Natus eis similis! Resonat tibi laude Moria
Ostendens monimenta Maiorum
Plena tui desiderio, manantibus aris
Te modo significante cruore.
Psallite Christiades memores insignis honoris
Viuite semper, et auspice Christo,
Sancti. Nam vitiis renouatur pristina labes;
Mors et quae sunt mortis acerba;
Horrida bella cient, nostram patriamque fatigant.
Cui tandem Tu Pacifer adsis.

Subiunctum erat carmen vernaculum pulchrum ac dulce; quo Latinum illud paullo liberius interpretatus est idem poëta praestantissimus.

Pium illud Luneburgensium institutum vt exteris etiam pateret, effecit nuper diligentia viri, qui ante hac suis illud carminibus praeclare tuitus est, *Conradi Arnoldi Schmidii*, Professoris nunc in Carolino Brunsuicensium celeberrimi. Edidit is Luneburgi litteris Sternianis carminum eius generis suorum collectionem. *Lieder auf die Geburt des Erlösers, von Conrad Arnold Schmid.* 1761 pagg. 99. formae oct. Simul addita commentatione religiosi moris rationem et antiquitatem persecutus est.

Carmina illa (cantilenas vocant Luneburgenses) ad concentus musicos referenda sunt, quibus templa ibi primaria quatuor, inter sacrae mensae administrationem, diuinis nataliciis, calendis Ianuarii, et die magorum, resonant. Conscribuntur autem ab vtroque Rectorum, qui scholis in vrbe praecipuis praesunt, artis musicae legibus a directoribus eiusdem concinnanda. Concinnatum carmen in tabula maiori descriptum proponitur inferiorum classium alumnis, in templis illud decantaturis, qui exercitatione illa quotidie horas binas continentur. Erat, quando non in templis modo illa cantilena, sed in vicis etiam vrbis, publice decantabatur,

batur, cum classes quatuor inferiores vna cum praeceptoribus sex sollemni ordine processissent. Hodie in plagula maiori typis exscripta inter alumnos, variis nonnunquam picturis distincta, distribuitur, ciuibus vero domesticatim exhibetur. Ducenti iam anni sunt, ex quo typis euulgari cantilenas institutum fuit: itaque amplius quadringentas a binis scholis propositas fuisse colligitur. Quas superesse omnes hodieque reperiri vix sibi persuadet diligentissimus huius commentationis auctor. *Nihilominus* spem facit nonnullam amplioris cuiusdam rei expositionis latino sermone conficiendae.

Interea ritus illius et cantilenarum rationem satis dilucide explicat. Quo tempore positum erat in more institutoque, vt in scholis templisque latina carmina audirentur, natalitium illud elegis constabat; hique elegi ad vulgares quatuor vocum modos concinnabantur a melopoeo. Nimirum tum in scholis siue superioribus, siue inferioribus cum reliquis artibus ita coniungebatur musica, vt quicunque Latina discerent, illi vacarent. Seni erant versiculi Latini a Rectore discipulis Cantorique praescripti: quos hic inter ciues distribuebat, addita etiam prima nominis sui littera. Vetustissima huius generis cantilena, quam quidem Schmidius viderit, nomen habet Georgii Cosii, Iohannei Luneb. Cantoris, inscribiturque *Melodia carminis scholastici, Anni* 1629. Carmen scholae ad S. Michaël.

(*Melo-*

(*Melodia Carminis ſcholaſtici de anno* 1740 C. G.) cuius modos fecerat Chriſtianus Gaertner, Cantor, nondum additam habuit interpretationem vernaculam. Poſtea pro *melodiae* vocabulo adhibitum fuit *Cantilenae* nomen, quo non verſus ipſi ſignificarentur, ſed eorum modulatio. Id quod inſcriptio probat primi carminis in Iohanneo Luneb. propoſiti: *Cantilena 4 vocum, carminis ſcholaſtici pro ſchola ſenatoria Luneburgenſium, feriis natalitiis decantata, de anno* 1647. Cui addita conſpicitur interpretatio verſiculis Germanicis. Monimentum ſimul praefert belli illius per annos triginta geſti: hac quidem parte ab eo, qui in ſimili genere nunc verſetur, imitandum. Subiungemus illud, Schmidium ſecuti.

Pacis qui princeps audis, tu naſceris infans,
Grex tuus vt vigeat pace, ſolo atque polo.
Naſcere, Rex pacis, pietatis corde ſereno,
Vt niteant pacis, voce manuque bona.
Sic dabis IMPERIO, pacis dux, TEMPORA PACIS,
Pacificoque adimes bella cruenta gregi.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS II.

DIE MARTIS, NON. IANVAR. cIↃ IↃCCLXII.



HAFNIA. XXVIII. DEC.

In summum militiae naualis coniunctumque illi annonae et stipendiorum militarium consilium * adsciuit Augustissimus Christianum Conradum, Comitem a Danneskiold-Laurwigen, classis praefecti vicarium * *, itemque Conradum a Schindel, nauis bellicae praefectum ***. Christianum Petrum Flensburg, qui pariter naui bellicae praefuerat, praeesse tertio ordini classiariorum **** voluit; in cuius locum successit illustr. Adamus Ferdinand. Comes a Moltke.

* das combinirte Admiralitäts- und Generalcommissariats-Collegium.

** Viceadmiral.

*** Commandeurcapitaine.

**** dritte Division des Seevolks.

OLYSSIPPONE. XXIV. NOV.

Ex tractu Ianeiro allatae litterae Brafilienfes feliciter compofitas nuntiant, quae nobis cum Hifpanis, propter Nouam Coloniam, interceffferant, controuerfias.

MALACA *. XXIV. NOV.

Ex Martinica redux nauis Maffilienfis cum, transmiffo iam freto, acriter infequentem fenfiffet velocem * * Anglicanam, Fuengirolam confugit. Inde Malacam conducta fuit a binis pifcatoriis. Narrauit nauis illius praefectus, die XXIV Sept. quo e portu Martinicae foluiffet, in armis ibi fuiffe ad triginta hominum millia: fatis tum rei frumentariae ***, tum adparatui bellico **** profpectum effe: exfpectari ab incolis Anglos fortiter excipiendos: raro diem praeteriiffe, quin naues captas quatuor vel quinque adduxiffent qui ab infula armati praedatum exiiffent *****.

* Mallaga.

** Fregatte.

*** Proviant.

**** Ammunition.

***** die Armateurs der Infül.

MANTVA CARPETANORVM. IV. DEC.

Nauticis, qui inde ab anno 1744 ordines reliquerunt *, propofito Gadibus * * edicto, declarauit Rex indulgentiffimus, fe et gratiam facturum,

eturum, et quae illis ſtipendia deberentur, ſoluturum.

* deſertirte Matroſen.

** Cadix.

LVTETIA PARISIORVM. XX. DEC.

Res Galliae maritimas * opinione celerius ita auctas conſtitutasque conſpicient hoſtes noſtri, vt metuendas ſibi vel vltro faſſuri ſint. Ad eas omni ratione iuuandas, ſummi Regis adminiſtri, omnes regni ordines ciuitatesque, velut ex compacto, quaecunque fieri poſſunt, conferunt. Ciues Pariſini, mercatorum ſocietates, Equites Meliteníes ** quique Regis vel ab epiſtolis vel a rationibus ſunt, naues Regi ſingulas addixerunt in belli vſum comparandas. Velorum funiumque adparatum ***, qui ſex nauibus ſufficiat, praeſtabunt Argentoratenſes. Nauem tormentis ſeptuaginta duobus armandam ſuis ſumtibus inſtruet Dux a Penthievre, ſupremus militiae Gallorum naualis praefectus****. Horum exempla, aemulantium ſtudio, ſequuntur vrbes per Galliam principes, ſodalitates multae, multi homines priuati locupletiores.

* die Marine.

** Maltheſer-Ritter.

*** Segel- und Tauwerk.

**** der Groſs-Admiral von Frankreich.

Qui in re tormentaria, et architectura militari exercentur *, hos cum rei maritimae ad-

dictis coniunctos Rex voluit, nauibusque in posterum stipendia mereri omnes iussit, qui scholae militaris beneficio vsi fuerint.

* das Artillerie- und Ingenieurcorps.

Die XIX. Dec. vrbem hanc transiens cursor Hispanus Londinum pergebat. Illi datas ad comitem de Fuentes, Hispaniae in aula Londinensi legatum, litteras esse, quibus domum reuocaretur, * constans fama ferebat. Quae nunc illud etiam addit, die XII. Mantua Carpetanorum iam discessisse, heri sui iussu, Bristolium Comitem, Magnae Britanniae Regis administrum.

* Rappel.

DVBLINO. XIII. DEC.

Pittium quanti faceret ciuitas nostra, litteris ad eum publice missis* declarauit. Quibus, celebratis viri laudibus, prudentia in primis bonique publici studio, et rei publicae tali viro carendum esse dolebat, et gratam meritorum ipsius memoriam sempiternamque fore, confirmabat.

* eine Addresse.

LONDINO. XXII. DEC.

Consilia crebrius ex aliquot diebus conferunt aulae administri. Quae quorsum nominatim pertineant, diligentissime celatur. Illud tamen sibi intelligere videntur nonnulli, rationem iniri, si qui-

ſi quidem cum gente adhuc quieta, neutramque partem ſecuta bellum exarſerit, quomodo inſtruendae ſint vires noſtrae copiaeque, vt tot hoſtibus terra marique pares reddantur.

Die XVI. Dec. mane mortuus eſt anno aetatis octogeſimo Ioannes Ligonerius, Comitis vicarius * ex Hiberniae primoribus **, Balnei Eques ***, ſummus et caſtrorum exercituumque praefectus, et rei tormentariae magiſter ****, primae legionis peditum praetorianorum Tribunus *****, Regis a Conſiliis ſanctioribus, ſocietati denique ſcientiarum adſcriptus. Cuius morte, quae vacat, ſuprema rei tormentariae cura, hanc ad Granbium, Marchionem, de latum iri putant.

* Vicomte.

** Pair von Irland.

*** Ritter des Ordens vom Bath.

**** Groſsmeiſter der Artillerie.

***** Oberſter des erſten Regiments Garde zu Fuſs.

HAGA COMITVM. XXIX. DEC.

Hiſpanos bellum indixiſſe Anglis ſide litterarum haud vulgarium referunt libelli apud nos publici: ex aula Hiſpana iam abiiſſe Legatum Anglicum: ab Hiſpaniarum rege in regni optimates * relatum fuiſſe Ducem a Choiſeul, et ordinis aurei velleris inſignibus donatum.

* Grands von Spanien.

AMSTELODAMO. XXIX. DEC.

Si vera narrant litterae Haga Comitum missae, de auxiliis ex pactione debitis adpellauit Belgii foederati ordines Yorkius, Eques.

* eine gewisse tractatenmäßige Hülfe reclamirt.

RES LITTERARIAE.

Quod optaueramus, cum Libello XXIX anni praeteriti Musis christianeis nouum doctorem gratulabamur, vt typis exscriberetur oratio ipsius sollemnis, in eo votis nostris vidimus satisfactum. Expressa fuit stanno Burmesteriano binis plagulis 8. mai. *Io. Bernh. Basedowii P. P. Oratio auspicalis, de variis grauissimis circa axiomata moralia quaestionibus. Die VII Octobris* 1761 *Altonae habita.*

Exordium orationis morati generis est, versaturque in commemorandis, quae impellere Auctorem ad obeunda quam religiosissime muneris officia debeant, beneficiis Regiis, patrociniis illustrissimorum Maecenatum, beneuolentia et exemplis spectatissimi collegii tum Gymnasiarchici tum Professorii, iudiciis denique quibus prosecuti iuuenem fuerint fautores Hamburgenses. Hinc ad ipsum dicendi argumentum progressus, quoniam publicis praelectionibus conscriptam a se Philosophiam practicam interpretaturus sit, qualem in hac philosophandi rationem sequatur, et quonam primo et generali axiomate vtatur, significat ita, vt nonnullorum

in

in eo genere errores notet. Quo facto ad varias circa axiomata moralia quaestiones transit orator philosophus. In quibus excutiendis quae vel rectae rationi diuinis ue oraculis parum consentanea, vel latebram praebitura impietati videbantur, oppositis rationibus impugnat: quae dubia essent, quae ab interpretibus perperam explicata, partim plane et perspicue expedit, partim diligentius definit. Sed oratio ipsa legenda est veri pulchrique amantibus: neque enim in breuem summam contrahi eiusmodi res possunt, quin tractationis suauitas pereat. In peroratione Christianei ciues compellat vir humanissimus, suique officii admonitis confirmat, nihil se eorum, quae philosophi Christiani partibus contineantur, praetermissurum. Conferant qui eloquentiae studio ducuntur orationem Latinam cum vernaculis Viri eloquentissimi, quas anno superiori editas libello commentariorum III. laudauimus.

Ad eloquentiam vernaculam delati facere non possumus, quin masculae illius neque infucatae specimen etiam commemoremus orationem, qua sacra saecularia ob summum absolutumque imperium augustissimis Daniae Noruagiaeque Regibus delatum, Altonanis etiam Musis d. XVII. Octobr. 1760 pie laeteque culta, prosecutus est *Martinus Ehlers*, Scholae Segebergensis Rector cla-

clarissimus. Prostat haec apud Iuersenium nostrum, quatuor formae 4. plagulis exscripta. *Die Vorzüge einer unumschränkten monarchischen Regierung vor andern Regierungsformen* cet. Non poterant nisi pulchre cogitata eleganterque reddita proficisci ab oratore, quem illustris quondam Gesneri praecepta et consilia in seminario Göttingensium philologico ad veram eloquentiam informassent.

Londini ante dies aliquot collegam sibi adsciuit regia scientiarum Societas illustrissimum Ferrerium, ex Angliae proceribus, nauis bellicae quondam praefectum, eundemque fratrem ac heredem Comitis huius, qui poenam capite luit. Ipse, hac occasione data, cum sociis communicauit quae in Veneris per solem transitu, obseruasset. Quibus adiunxerat figuras manu sua quam elegantissime delineatas, nec minus Transitorium, quod dicunt, suum itidem inuentum, quo quae ad cognoscendam contemplandamque Venerem pertinent, perspicua demonstratione illustrabat. Laudauit Societas noui Collegae scriptum, nihil a se visum professa, quo planetae eius ratio rectius veriusque explicaretur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur, singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, nummos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS III.

DIE VENERIS, VI. ID. IANVAR. CIↃ IↃCCLXII.



EX BOHEMIA. XXVI. DEC.

Propediem Vindobonam concedet Laudonus, summus rei tormentariae praefectus *. Maquerium quidem, militum ducem, in vrbem iam venisse accepimus; illustrissimum vero Daunium in dies exspectari.

* Generalfeldzeugmeister.

RES LITTERARIAE.

Academiae Georgiae Augustae Prorector D. Joannes Georgius Roederer, cum Senatu, memoriam viri illustris Joannis Matthiae Gesneri, consiliarii Regis aulici, Professoris eloquentiae et poeseos P. O. Bibliothecarii academici, Societatis regiae scientiarum Directoris, Praesidis societatis Teutomicae, scholarum per terras Brunsuico Luneburgicas, seminariique philologici Inspectoris,

C *A. D.*

A. D. III Augusti MDCCLXI. fato functi, ciuibus posterisque commendat. Gottingae, 4. plag. in Fol.

Contigit hac Commendatione Gesnero, quod magnis viris optandum est, et ab ipso saepius praestitum fuit, vt sempiternae gloriae per eum commendaretur, qui ipse quoque, in illo commendando, propriam ingenii gloriam consequereretur: sed ita contigit, vt quod aliis fortuna Academiae tribueret, in hoc ipsius Gesneri iudicandi vis eluceat. Ipse enim funus suum indici ab Academia voluit interprete *Ioanne Dauide Michaëlis.* Quem nisi constaret programmatis huius auctorem esse, facile argueret, praeter prologi argumentum, singularis illa Viroque illustri propria in dicendo elegantia et in effingenda Gesneri imagine candor eximius.

Prologus quidem in argumento versatur simili eius, quo in eiusmodi scriptionibus aliquoties vsus est Gesnerus, cum ex Graecorum monimentis illustraret symbolis et mythis inuolutam et ad mystica sacra ablegatam, immortalitatis spem. Erat inter haec symbola psyche, seu ex eruca emergens papilio, quo in primis delectaretur. Placuit Orienti similis imago locustae alatae. Itaque de hac se in programmate ipsi scribendo expositurum, morituro post triduum Gesnero significauit illustris Michaëlis. Deduxerant eum videlicet Gesneri papiliones (*Schmetterlinge*) ad locustam Salomonaeam, Ecclef. XII, 5. Simul hic de Graecorum mythis illis, facili ratione explicat impeditum alias diui Petri locum Epist. II, 2, 10.

Sequi-

Sequitur, quod maximam programmatis partem implet ingenii Gesneri animique effigies, maiore quam fieri plerumque solet, libertate et veritate expressa: quod similiter ipse et in aliis pingendis facere solitus fuisset, et vt in se fieret, praecepisset. *Laudabimus* inquit illustr. Auctor, *si quis alius ea moriatur sui conscientia, vt similia petere a collega ne viuis quidem adulari solito, audeat.* Nos illius imaginis potiora tantum lineamenta referemus.

Ingenio talis erat Gesnerus, qualem ex scriptis omnes norunt. Non vni diligentiae, nec vigiliis debebat, quae adsecutus erat, sed multum vigori cuidam, et alacritati, et veritati naturae. Memoria non contemnenda, sed tamen, vt in tanto et philologo et polyhistore, mediocris. Duplicem in eo admirari amici, solebant ingenii felicitatem: alteram, mollitiem illam mentis, qua tanquam cereus in verum flectebatur ab aliis inuentum, nec aegre ferebat errorem sibi eximi: alteram, quod qui per omnem vitam criticus fuisset, qua cum facultate diutius exercita raro coniungi poëtica solet, ipse tamen poëta Latinus esset, idque senex etiam, nec arte, sed animi impetu.

Candidum in illo pectus, et ad amicitias iungendas, vt in homine tot distento laboribus, promtum. Ingeniorum iustus aestimator erat et fautor, ex cuius consuetudine multum proficerent iuuenes; in primis si scripta, quorum delectaretur elegantia, exasciari reprehendendo vellent. Sed hae reprehensiones aequae, nihil habentes supercilii, ac ne seueritatis quidem. Aliquando etiam pulchra notando in suspicionem

adducebat. Statuerat enim, vt ipse dicere consueuerat, si quis ipso arbitro ingenii vteretur, *in omni suspicione latrare.* Iniuriarum non patiens, sed qualem existimares virum non ignauum, ea alacritate animi: post breue tamen morae interuallum, memor potius et conquerens, quam vindictae cupidus. Natura prorsus non suspiciosus, nec raro suo damno nimium bonus.

Consuetudo iucunda, quippe quam omni eruditionis variae, ingeniique praeterea ac iocorum sale condiret, ac fronte laeta exhilararet. Mores ad elegantiam vsque comti: vt mirarere, hominem per maximam vitae partem in scholis versatum nihil contraxisse sordis scholasticae. Sed formauerat eum summorum virorum familiaritas, vt cum Weimariae degeret, Friderici Gothilf Mareschalli de Greif, supremi aulae mareschalli: aliquid forte addiderat Lipsia: nec parum hac parte Göttingae debuit, vbi se denuo, vt erat ductili ingenio, ad eorum exemplum composuit, qui eius consuetudine delectabantur, quos inter illustrissimus Hardenbergius, Consiliarius regis intimus, aliique principes in toga sagaque viri.

Graecae Latinaeque doctrinae quid praestiterit, omnes norunt. Ex reliquis eius scriptis plurimum latentis antea veri, atque summa diligentia perpurgati habent Commentationes, quas Societati Regiae scientiarum recitauit. Ipse tamen si quos suos libros reliquis impensius amabat, hi fere erant, quibus Lucianum iuuenis, et Orphica carmina senex atque etiam moribundus

dus poliuit. Plerasque Europae linguas ita didicerat, vt libros illis ſcriptos legeret: quibus et mire variarum rerum cognitione augebatur, et guſtus elegantiam perficiebat. Linguarum Orientis ita peritus, vt pauci eorum, qui eas in academiis profitentur. Hiſtoriae omnis auidus. Naturae quoque ſtudioſus; huius etiam hiſtoriae ex antiquis memor, non pauca ei recentiorum inuenta addiderat, vel propterea, quod multiplici mendacii crimine veteres abſolueret recentiorum diligentia, vbi imperitis male audiunt.

Genus dictionis Latinae planum, aequabile, caſtum, expreſſum: florum nec prodigum, nec diues. Abhorrebat Gesnerus ab illo puritatis ſtudio, quod artem nimiam habet. Valde autem ei diſplicebant qui neglectis veteribus recentiores imitabantur: quem *Latiniſmum diſputantium* dicere ſolebat. Orator perfectus, qualem Cicero deſcripſit, non erat. Sed forte omnino nullus hodie vero oratori, qualem antiqui informarunt, locus eſt, niſi in libera republica. De Germanica lingua bene merendi occaſionem ei dedit Societas, quae Göttingae coiit, Teutonica, cuius ab ipſo initio praeſes fuit. Nec ſenem puduit, ad huius linguae optima ſe et recentiſſima exempla formantem multo imitari iuniores. Poëſin Germanicam ipſe vix attigit, delectabatur tamen ea, et recte de carmine iudicabat. Sed Latinis Poëtis adſuetae aures aegre ferebant carmina Germanica, quae hexametros mentiuntur.

De optima ſcholarum ratione quae philoſophatus eſt Gesnerus digna habita ſunt Senatui regio ſupremo, quae per terras Hannoueranas legum nomen haberent. Munus etiam illi demandatum inſpectoris ſcholarum. Idem Seminario philologico praefectus, bonas ac prudentes ſcholarum magiſtros formare ſtuduit. Bibliothecae academicae ita praefuit, vt inſtructiſſima ſupellectile liberrime vterentur Göttingenſes, et exteri bibliothecam inuiſentes morum in Bibliothecario doctrinaeque elegantiam laudarent.

Philoſophiam non ſolum magni faciebat, ſed et crebro philoſophabatur. A profitenda theologica per omnem vitam abſtinuit, quod de nonnullis aliter paullo ſentiret, quam ſentiunt ex theologis ſeueriores. De bonorum enim inter Romanos, Graecos, Moslemos ſalute prolixius ſperabat. Nec tamen ideo omnibus ſectis aequus, aut naturalis religionis admirator: his potius, qui chriſtianam doctrinam conuellere allaborant, grauiter iraſcebatur, vt communis felicitatis hoſtibus, eo iam, quam olim, peſtilentioribus, quod recentior aut philoſophia aut conſuetudo gloriae ſtimulos, tam Graecis Romanisque acres, obtudiſſet, vt demto Numinis timore vix boni ciues futuri videamur. Ratiociniis, quibus diuinitatem doctrinae chriſtianae defendimus, minus tribuebat, quam ſolent, qui in theologia philoſophantur: vim cogendi ad adſentiendum totam guſtus eſſe volebat ſenſusque interni. Huius ſe vim expertum narrabat. Saepe et addebat eam ſibi diſplicere

ſplicere religionem, quae multum habeat ratiocinii, ſitque enthuſiasmo vacua; quo tamen nomine non illam intelligebat amentiam fanaticorum, ſed partim adfectus vehementiores, partim quod teſtimonium ſpiritus ſ. internum theologi dicunt.

Atque illa quidem eo pertinent, vt, qualis fuerit Geſnerus, cognoſcatur. In vita eius enarranda iuſto nobis brevior videretur Vir illuſtris, niſi exſpectare nos iuberet ampliores commentarios, a cel. Hambergero, cui Geſnerus, et familiari et cognato, hiſtoriam ſuam texendam demandauerit, conſcribendos.

Natus Geſnerus die IX Aprilis, a. 1691, in Franconiae oppido ignobili, Roth: patre Io. Samuele, qui gregi chriſtiano praeerat. Habueritne in maioribus Conradum Geſnerum, nullo indicio conſtat. Patre praemature orbatum fouit ac formauit vitricus Io. Zuckermantel. Sed maiores etiam gratiae habendae Onolsbacenſis gymnaſii Rectori, Georgio Nicolao Koehlero, inuidendo paene praeceptori. Ienam adiit a. 1710: Danzii maxime et Buddei auditor, huius etiam domeſticus et familiaris, vtpote qui filium illi crediderat. Ab anno 1715 Vinarienſi gymnaſio praefuit. Mortuo ſereniſſimo Duce Wilhelmo Erneſto diſplicere ipſi Vinaria coepit, cumque antea Heilbrunnenſis, Gothanus, Dresdendis fieri recuſauiſſet, a. 1728 Onolsbacenſe gymnaſium regendum ſuſcepit. A. 1730 Lipſiam, ſcholae Thomanae rector, petiit. Lipſiae eum a- 1734 naſcens eripuit Academia

demia Goettingensis. Cum a. 1751 Regia conderetur, Praeside Hallero, scientiarum societas, classi historicae collega ordinarius adscriptus est: mox etiam, patriam repetente praeside, Director ab a. 1753 fenestris, alternis enim VI mensibus Hollmannus societatem moderabatur. Quod munus cum Hollmannus deprecaretur, solus Gesnerus ab initio huius, quo mortuus est, anni Directoris perpetui nomine societati praefectus est. Consiliarii aulici dignitatem ab anno inde 1756 habuit. *In coniugio* cum Elisabeta Charitate Eberhardia, ante nouem menses illi erepta, per annos triginta duo suauissime vixit. Ex quo coniugio duo illi liberi, Carolus Philippus, Augustissimo Poloniae Regi a consiliis aulicis, curaque valetudinis, et Christiana Elisabeta, quae Ioanni Iacobo Hubero nupsit, Consiliario aulico et archiatro serenissimi Hassiae Landgravii. Bellum, quod ab anno 1757 terris Hannoueranis incubuit, nec studia Gesneri turbavit, nec animi hilaritatem. Familiaris esse coepit Gallorum ducibus, duumuiris praecipue, Orlickio comiti, atque equiti de Muy. Nec minus se amicum praebuit illustrissimus Comes de Vaux. Sensim tamen morbus serpere, totum corpus macie confici, vultus expallescere ac fieri Hippocraticus, vt Gesnerus ridens etiam amicis narraret, speculo se sibi Philippum Melanchthonem, contueri visum. Denique, quod extremum est in historia morbi ab illustri Richtero, Medico, descripta, placida morte succubuit mane die III. Aug. a. 1761.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS IV.

DIE MARTIS, PRID. ID. IANVAR. cIɔ Iɔcclxii.



CONSTANTINOPOLI.XXVII.NOV.

Quae ad bellum comparat aula Turcica *, omnia ad comprimendos Aegypti tumultus ſpectare, veriſimillimum eſt. Cogendi videntur, vt ad officium redeant Cairi incolae, hoc eſt, Aethiopum, Copticorum, Graecorum, Turcorum amplius trecenta millia. Hi vrbis prouinciaeque praeſidem ** in carcerem tenebroſum ſordidumque coniecerunt. Demandauit negotium illud Turcorum Imperator *** ſpectatae virtutis viro, Muſtaphae, quem ter iam vidimus aulae purpuratorum principem ****. Alexandria is Cairum diſceſſit, Praeſidis ibi officio functurus. Qui vt vi et

D impe-

imperio vti queat, si consiliis et lenitati locum non reliquerint factiosi, copiis nauibusque satis instruetur.

* die Pforte.

** Bassa.

*** der Sultan.

**** Grofsvezir.

Vitam nuper finiit, qui imperante Osmano legatione Gallica functus, ex aliquo tempore principatum in aulae purpuratis tenuerat, Said Effendi.

Grauida est vxor Imperatoris primaria *, et iam appropinquare partus videtur. Quo vt marem edat, futurum imperii heredem, omnibus votis petendum est. Cum enim qui nunc Turcis imperat, Mustapha III. stirpis imperatoriae postremus sit, si nullam prolem masculam relinquat, verendum videtur, ne qui Persiam misere dilacerant, belli intestini furores similem aliquando per terras Ottomanicas stragem edant.

* Die Sultane.

Huius mensis die V. vrbem publice intrabat Correrius, Venetorum in aula Turcica legatus ordinarius. Apud eum graui morbo adfectus decumbit, quem itineris comitem habuerat, Boscouitius, ordinis Iesu sodalis, vir disciplinis mathematicis clarissimus.

PETRO-

PETROBVRGO. VIII. DEC.

Die menſis quinto, celſiſſimae Principis, Coniugis Magni Ducis, natalibus feſto, ſumma erat aulae celebritas, congregatis, vt ſalutandi officio fungerentur, aulicorum vtriusque ſexus illuſtrioribus, et exterorum Principum legatis. Facta in maiori aulae ſacello re diuina, tum in caſtello, tum in militiae naualis praetorio* excuſſa audiebantur tormenta. Tempus veſpertinum in periſtylio ** quidem ſaltatione ſollemni, in Celſiſſimae Principis conclauibus vero coena magnifica, inter vocum neruorumque cantus Italicos traducebatur.

* Admiralität.

** Gallerie.

Die ſexto ſolitis caerimoniis recolebatur memoria eius diei, qui Auguſtiſſimae quondam primus imperii fuerat. Noctu omnium per vrbem aedium feneſtrae feſtis luminibus collucebant *. Ante praetorium vero feſti ignes ſuccendebantur **, ad illius diei ſignificationem comparati.

* illuminirt.

** ein Feuerwerk ward angeſteckt.

MANTVA CARPETANORVM. XV. DEC.

Conſilium nuperrime ſuum Rex catholicus bellique cum Anglis gerendi cauſſas inſeri iuſſit libellis, qui hic eduntur, publicis. Satis adparuiſſe aulae Britannicae in illa armorum fortuna,

qua adhuc vſa ſit, impotentem dominandi cupiditatem: ſpretas ab illa reiectas que fuiſſe, quas Gallia tuliſſet, aequas pacis conditiones: nunc illud agi, vt bellum ducat, deuictisque aliquando in America Gallorum reliquiis, Hiſpanas poſſeſſiones ſimiliter inuadat. Eam victoris populi inſolentiam magis ſibi etiam perſpectam fuiſſe Briſtolii, Legati Anglici, facto arroganti, cum is ex Rege ſciſcitari iuſſus, Gallis ne aduerſus Anglos opem ferre animus eſſet, ſimpliciter ſibi et praeciſe reſpondendum * monuiſſet, quod niſi fieret, bellum ſe interpretaturum, protinusque aula exceſſurum: reſponſum fuiſſe, nihil fore, quod diſcedentem moraretur.

* cathegoriſche Antwort geben.

LVTETIA PARISIORVM. XXXI. DEC.

In dies ſingulos hic bellum exſpectamus Magnae Britanniae ab Hiſpanis ſollemni formula indicendum. In Gallicia certo conſilio paratum eſſe numeroſum copiarum agmen, complures ex Hiſpania litterae narrant: auideque exſpectari miſſi ad aulam Luſitanam curſoris reditum, vt, quo illa in Anglos animo ſit, cognoſcatur.

Interim in commentariis aulicis * vulgatum legimus, praeſcripto Verſaliarum nomine * *, pactum de amicitia iungenda, inter Galliae et Hiſpaniae reges initum. Pactum familiae (*Pacte de Famille*) inſcribitur. Duodeuiginti capitibus * * * conſtat. Conſenſu vtrinque Auguſtiſſi-

morum,

morum, litteris ac ſigillis confirmata pacti exempla die VIII Sept. mutuo tradita **** dicuntur.

* in der Hofzeitung

** unter dem Artikel von Verſailles.

*** Artikel.

**** die Ratificationen ſind ausgewechſelt.

RES LITTERARIAE.

Wittenbergae non ita pridem Eichsfeldi litteris exſcripta prodiit commentatio hoc titulo, *Nocentis defenſionem Ciceroni probatam de Offic II*, 14. *anquirit Ioach. Sam. Weickhmann, D. et P. P.* Forma quarta, plagulae 6.

Ciceronis verba ſunt, "Nec tamen habendum "eſt religioni, *nocentem aliquando, modo ne nefa-"rium impiumque defendere.* Vult hoc multitudo, "patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. Iu-"dicis eſt, ſemper in cauſſis verum ſequi: pa-"troni, nonnunquam veriſimile, etiamſi minus "ſit verum, defendere; quod ſcribere, prae-"ſertim cum de philoſophia ſcriberem, non au-"derem, niſi idem placeret grauiſſimo Stoico-"rum Panaetio.„ Ita enim legendum eſſe locum propugnat Graeuius, tum auctoritate nixus antiquiſſimi codicis, tum probitate Ciceronis. Vulgaris enim lectio eſt, *Nec habendum eſt religioni, nocentem aliquando, et nefarium, impiumque defendere.* Hanc Ciceronis fuiſſe, vix probabile videtur, niſi forte opinionem tenuiſſe dicas iuris

criminalis, quod vocant, doctorum, de quorum ſententia, defenſio nemini, ne quidem diabolo deneganda eſt. Vtcunque tamen res ſe habet, Weickhmannus vir ſ. ven. locum illium, *Nec tamen habendum eſt religioni, nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque defendere*, praecipue impugnandum putauit, nullaque ratione cauſſarum patronis concedendum, vt nocentem defendant. Neque enim illud viri boni eſſe: aduerſari praeterea et eloquentiae conſilio, et ſaluti publicae. Denique vt *iuſtitiae ſpeciem* habeat eiusmodi defenſio, nec multitudinis arbitrio, nec conſuetudine forenſi, nec humanitatis ratione effici.

Inſcripta eſt pulchra disputatio Riuino, Conſiliario aulico, nuper demortuo, oblataque cum primum in ordine ICtorum Wittebergenſium locum obtinuiſſet, diemque natalem celebraret. Carmen ſubiunxit Hillerus, Profeſſor eiusdem Academiae celeberrimus.

Ex Academia Lipſienſi ſereniſſimus Brunſuicenſium Dux in Iuliam Carolinam vocauit *Wilhelmum Abrahamum Tellerum*, Artium Magiſtrum, et S. S. Theologiae Baccalaureum, vt ibi diſciplinam ſanctiorem Profeſſor ordinarius doceret, ſimulque grauiſſimo ſacrorum Antiſtitis munere fungeretur. Clariſſima dudum eſt, et publicis librorum monimentis teſtata viri celeberrimi

ſcientia,

ſcientia, cum in ſanctiori diſciplina, tum in litteratura orientis feliciſſime progreſſa: nec minorem ipſi laudem peperit illa, qua in primis floret, eloquentia ſacra, paternum decus. Alterum in hoc tali viro ornamentum Lipſiae auferunt Athenae Helmſtadienſes, quae inde quondam Carpzouium ſuum, Doctorem Theologum longe celebratiſſimum, acceperant.

Is, quem honoris cauſſa nominauimus, *Iohannes Benedictus Carpzouius*, Abbas Regiolotharienſis, et S. Theologiae Doctor, eiusdemque in Academia Iulia Carolina Profeſſor ordinarius, quanta doctrinae et diligentiae laude munera ſuſtineat, praeter quotidianas praelectiones, ſcriptiones academicae loquuntur. Quarum quae ad manus noſtras recentiores venerunt, breuiter indicabimus.

De ſancta religione gladio et armis defenſa. Oratio ſollemnis in anniuerſariis ſacris Academiae Iuliae Carolinae A. D. XV. Octobr. A. cIↃ IↃCCLIX publice habita. Plagulae tres, in forma quarta. Stilo Romano conſcripta eſt oratio, plenaque venuſtatis eius, quae ex veterum auctorum conſuetudine trahitur.

Promotionem doctoralem viri ſumme reuerendi Ottonis Nathanael. Nicolai S. Theol. Licentiati, ad

aedem

aedem Vldarici et Leuini apud Magdeburgenses Pastoris A.D.XII. Decembr. A. I. S. MDCCLX. in Academia Iul. Carol. rite instituram illustriss. S. R. Imper. Comitibus, Academiae proceribus, ciuibus generosis et nobilissimis sollemniter indicit cet. Plag. 3. quaternis. Disceptatur hic quaestio illa grauis, nec parum impedita, quae *de regimine Theologorum politico*, inter nostram et Romanam ecclesiam in vtramque partem instituι solet. *Subiuncta sunt more consueto vita* et scripta D. Ottonis Nath. Nicolai.

Reliquiae afflictionum Christi, Coloss. I, 24. Programma Sacro Paschali A. R. S. MDCCLXI. in Academia Iulia Carolina P. P. Plag. duae et dimidia. 4.

Sub praesidio Carpzouii dissertationem theologicam *de Quantitate emendationis doctrinae morum naturalis per reuelationem diuinam* A. D. V. Sept. MDCCLXI in auditorio magno theolog. publice tuebatur auctor Io. Iacob. Wasser, Oettingensis, Sacr. Th. Candid. Plagul. 7. forma quarta.

Ceterum Academiae celeberrimae, quae sola fere calamitatis bellicae expers adhuc fuit, vt diuturnum sit otium, toto pectore precamur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS V.

DIE VENERIS, XVIII. CAL. FEBRVAR. cIↃ IↃCCLXII.



EBORACO NOVO. XXII. NOV.*

De expeditione, quae in Martinicam suscipitur, bona nos spe complet insignis quaedam alacritas, qua in naues adscenderunt copiae, Monktono duce. Sed alia etiam militia paratur, vel Missisippi, vel Cayennae tractum petitura. Hallifacio soluent naues cum copiis rei gerendae destinatis.

* Neuyork.

MANTVA CARPETANORVM. XX. DEC.

Ad omnes tum vrbes tum praefecturas* missi sunt, qui aulae mandata perferant de supplementis exercitui pro cuiusque facultate comparandis.

Qua quidem ratione duodecies mille milites noui congregabuntur.

* Acratei.

Aulam Lusitanam adpellasse nostra dicitur de partibus, quas in illo cum Anglis bello susceptura sit: eam enim rerum conditionem videri, quae medios esse integrosque Lusitanos haud patiatur. Qua de caussa quid consilii ceperit Rex fidelissimus, magnopere scire cupimus.

LONDINO. V. IANVAR.

Ipsis calendis Ianuarii, de noui anni auspiciis gratulaturi, Regem, Reginam gentemque augustam salutabant Aulici, legati principum, et reliqui illustriores.

Postridie praeerat Rex sanctiori consilio admodum frequenti. De rebus Hispanicis postquam satis deliberatum erat, communi suffragatione bellum decernebatur sollemni more indicendum. Mox formulam ipsam Rex, quique aderant consiliarii omnes subsignabant. Eadem hodie in publicis vrbis vicis praeconum voce euulgata fuit.

GENVA. XX. DEC.

Studiose adhuc diligenterque Sardiniae Rex in legendis militibus rebusque ad bellum comparandis versatur. Constitutum ipsi adparet, tueri iura sua, nec de postulatis* decedere. Quadra-

draginta militum millia ita parata habere dicitur, vt capessere iter quolibet momento queant.

* Prætensionen.

HAGA COMITUM. II. IAN.

De tribus centuriis praetorianorum, Heluetiano milite supplendis, quale volebant responsum a Bernensibus tulerunt foederati Belgii ordines.

* Compagnien Garde.

EX BOHEMIAE CONFINIO. XXIX. DEC.

Pragam ab exercitu Russico missi sunt haud pauci militum praefecti, legionibus suis res ad vitam necessarias coemturi.

VRATISLAVIA. XXX. DEC.

Propositum d. XVI. Dec. fuit edictum regium, quo suae in Augustissimum fidei iterum admonentur quicunque per Silesiam vel ciuium nomine Regi subiecti sunt, vel iure beneficiario deuincti*; vt ab hostium suasionibus sibi caueant, neque eorum vtilitatibus vlla ratione pareant.

* Vasallen.

RATISBONA. III. IANVAR.

Mensis praeteriti die tricesimo Homburgius, legationis Gallicae ab epistolis, aulae suae iussu certiores fecit variorum Principum legatos, Mantua Carpetanorum d. XIX Versalias venisse cursorem diremtae inter Hispanos et Anglos amicitiae nuntium.

ALTONA. XV. IANVAR.

Cum Suecorum copiis se coniunxisse octies mille Russos, rumor est: itaque aliquantum retrocessisse, quae complura iam loca in Megapolitanis occupassent, copias Prussicas.

RES LITTERARIAE.

Non obstiterunt adhuc grauissimi Martis tumultus, quo minus pristinum decus tueretur celeberrima Göttingensium Academia, eaque studiorum monimenta identidem ederet, quae perfici alias, nisi in tranquillo otio, non solëant. Quod partim humanitati tribuendum est summorum exercitus Gallici ducum, qui a Musis illis, quantum possent, belli miserias auerterent; partim mentis animique robori, quo ad persequenda munerum officia incumbunt clarissimi Academiae doctores. Vtriusque laudis documenta habemus, praeter aliorum libros doctos et elegantes, Ayreri, viri illustris atque consultiss. scripta. Bossigelii sumtibus nuper prodiit, *Hermannus, officione an gente Billingus? Disquisitio Georgii Henrici Ayreri, D. Regii Consiliarii aulici, Jur. Antecessoris, et facultatis iuridicae senioris in Academia Georgia Augusta.* Plagul. 14. forma 8.

Dicatum est opusculum Georgio III. Magnae Brit. Regi, epistola eleganti, gloriosique imperii auspiciis perhonorifica.

In

In Praefatione tum ſcribendi occaſio enarratur, tum ſupplementi loco adduntur ea, quae, abſoluta iam et typis deſcripta disquiſitione, illuſtri Auctori forte ſuppeditarent Parerga Göttingenſia. Symbolam comparabat Ayrerus ad Societatis litterariae Duisburgenſis, quae eum ſibi collegam cooptauerat, ſcripta Latina conferendam. Eo tum conſilio, *prolata* modo de Hermanno Billingo cogitata viri perilluſtris Lib. Bar. a Senckenberg, Profeſſoris quondam Götting. nunc in auguſtiſſimi Imperatoris et Imperii Senatu aulico Aſſeſſoris et Conſiliarii, paullo diligentius examinanda putabat. Sed cum praeter opinionem ſub manibus creuiſſet libellus eum in modum, vt plures plagulas contineret, quam eiusmodi collectiones ſodalitiae admitterent, editioni illum ſeparatae commiſit.

Principia tractationis in refellenda ſententia verſantur eorum, qui Hermanno natales humiliores tribuunt. Deinde natalium Bellingianorum ſplendor, auctore potiſſimum Meibomio, vindicatur. Cui in eo quoque adſenſum praebet Ayrerus, quod Billing idem eſſe nomen putat, quod *Willich* et Saxonicum *Wilcke*. Cum aliter in explicando et genere et nomine Billungi verſatus eſſet Gundlingius, qui Nebelingum cenſeret vocandum, gente Francum: opinionem hanc, Harenbergio iam et Scheidio notatam, accuratius confutat. Nominis quidem Billingiani variae lectiones ſunt, *Billinc*, *Billingk*, *Bilinc*, *Bil-*

 lunc.

lunc, *Billick*, *Billighi*. Similis in ipſa denominationis ratione varietas occurrit. Originationum maxime probabilis videtur quae a more veterum Germanorum petitur, infantibus eiusmodi nomina imponendi, quae ipſis vel vitae regulas praeberent, vel boni aliquid fauſtiue ominarentur. Vt Wittechindus (*Witte Kind*) puerum ſapientem indicabat: ita varias Latinas terminationes adeptus Billico, Billichus cet. puerum aequitatis ſemper amantem, *Billig je*, nunquam non aequum, ſ. *Billig hie*, hic reſidet aequitas, ſignificabat. Ortum a Billingo nomen Billingorum aliis etiam Familiis vſitatum. Inde etiam nomina locorum quorundam in Comitatu Billingi nata.

Sequitur nominis Billingani etymologia Senckenbergiana. Nouum enim hic campum aperuit Vir perill. cum Hermanno id nominis tributum eſſe coniectat, non tam a gente, ex qua ortus; quam potius a munere, quo functus ſit. Fuiſſe Hermannum ab Ottone M. inter Camerarios receptum, eique curam regiorum principum educandorum demandatam: deinceps commiſſam etiam terrae Saxonicae procurationem. Additum inde praenomini cognomen Billingi idem denotaſſe, quod Balliuum, Germanorum Bellis, vnde vocabulum Balley, commenda, remanſerit. Hinc nomini Billing in vocem Balling mutato, ſignificatum praefecti tanto lubentius tribuit, quanto propius illud ad ſignificationem Gallici vocabuli *Baillif* accedit.

Sub-

Subdubitat Senckenbergius, an ipſe pater Hermanni Billingus fuerit appellatus. Quod ſi probetur, eum tamen in aliqua tantum parte Saxoniae praefectum ſ. Balliuum regium eſſe potuiſſe. Non negat illuſtris Ayrerus, ſatis ſpecioſa eſſe illius nouae opinionis momenta: litteras etiam inſeruit a perilluſtri Senckenbergio ad ſe datas, in quibus illa etiam vlterius declarantur. Concedit quoque, multa nomina, munus vel officium denotantia haeſiſſe familiis, ex quibus illud olim gerentes orti fuiſſent: id ſe ſpeciatim de illa Comitum et Nobilium de *Vitzthum* gente, ex munere *Vicedominorum* exorta, alibi docuiſſe; abundeque idem teſtari pincernas, dapiferos, mareſchallos, camerarios. At enim vero illud negat Ayrerus, Billingi ſ. Ballingi nomen inter officia aulae vel regni miniſteria deprehendi. Locum porro Hermanno inter camerarios relinquit eo facilius, quo probabilius hoc fit ex ipſa principum iuuentutis eidem ab Ottone M. demandata educatione: in quo tamen Meibomii ſententiam, de principum iuuentutis educatione Clericis tantum committi ſolita, remouet, allatis exemplis contrariis. Sed Balliui ſignificatum recentiorem eſſe docet, quam vt referri huc poſſit: Comitum vero, et Comeciae vocabula tum vſitatiora fuiſſe, plenamque in pago iurisdictionem ſignificaſſe.

Neque improbabilem putat Ayrerus eorum ſententiam, qui Hermannum noſtrum, ante-

quam

quam Dux Saxoniae et Luneburgi fieret, Iudicem Caesareum et vicarium fuisse, atque Comitis palatii munere functum in Saxonia inferiore, contendunt. Itaque nouis illam argumentis corroborat, gradusque dignitatum, ad quos sensim euectus Hermannus, enarrat. Rationes etiam excutit, ob quas Heydenreichius Billingum comitem, qui istis temporibus vixit, pro Hermanni patre agnoscere noluit. Hermannum denique largitur a loco Stubbekeshorn, vnde ortus esset, nomen sortiri potuisse, si iam illa aetate eiusmodi cognomina adscititia fuissent visitata. Mortuo tandem a. 973 *Hermanno*, nominis Billingani memoria ad posteros propagata fuit, quamuis hi ducum Saxoniae titulo longe splendidiore aucti se Billingidas non dixerint.

Gratissimum sane erit valdeque vtile historiae Germanicae studiosis hoc Ayreri opusculum, tam nitide conscriptum vt nihil ex aetatis illius, in qua versatur, barbarie traxisse videatur. Insertae sunt hic atque illic digressiones variae et obseruationes: in quibus cum pluscula sint, quae vix hic quaesierit lector; duplicem illustris Auctor indicem adiiciendum curauit.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, nummos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS VI.

DIE MARTIS, XIV. CAL. FEBRVAR. cIↃ IↃCCLXII.

GADIBVS. XV. DEC.

Litteris heri perlatis a Briſtolio Comite demandatum erat Mercatorum Anglicorum iudici*, vt qui eius gentis in hoc maris anfractu ** verſarentur, nautis ſignificaret, abeundum eſſe nulla mora interpoſita Quo audito, naues octo cum binis Anglorum velocibus (Favorite et Grammont vocabantur) hodie mane hinc diſceſſerunt, Gibraltariam petiturae. Noluit aula Hiſpanica, cum facile poſſet, naues retinere. Tametſi indubium eſt bellum cum Anglis gerendum: nondum ta-

men publicauit aula noſtra indicendi belli formulam***.

* Engliſche Conſul.

** Bay.

*** Kriegsmaniſeſt.

GENVA. XX. DEC.

Theſaurum, qui hic adſeruatur, Hiſpanicum inſigni propediem acceſſione auctum iri, dicunt. Quod cum fieri tum modo ſoleat, cum Hiſpanis *alendus eſt in Italia exercitus: haud parum* ea re commoueri animos intelligimus.

Algeria ineunte menſe Nouembri ſimul ſoluiſſe praedones maritimos* duo et viginti, acceptis inde litteris cognouimus.

* Corſaren.

LVTETIA PARISIORVM. IV. IAN.

In Tutelae * tractu facinora violenta patrant in agmen conglobati nefarii homines, qui ab importandis mercibus vetitis nomen habent * *. Femina duce vti dicuntur, Mandrini eius, qui ſimili quondam manipulo praeerat, ſorore.

* Tulle.

** Contrebandiers.

Qui publica redimunt *, a ſocietate ſua excluſos voluerunt, Regis conceſſu, ſocios duo, aere alieno preſſos: in quorum locum binos alios cooptarunt.

* Pächter.

Ciuis

Ciuis quidam Parisinus, Chamousset, boni publici studiosissimus, cui iam rei cursoriae per hanc vrbem commoditas debetur, nuper etiam carpentum meritorium * proposuit duorum sessorum capax **, vno equo agendum, et duodecim assibus *** in horas singulas conducendum: cum altero tanto constent carpenta bigis iuncta.

* Fiacre. Miethkutsche.

** Zweysitzig.

*** Sols.

LONDINO. VIII. IANVAR.

Anglis iam pridem obtulerant Corsi insulae suae portus nonnullos certis legibus tenendos: sed neglectui fuerat conditio illa aulae administris. Iam vero minus displicere consilium audimus, quin in eo esse, vt cum Corsis ea de re agatur, quo tuta in mari mediterraneo loca habeamus, vbi tum refici naues nostrae queant, tum nautis recens commeatus comparari. Negotium transigi eo magis e re nostra videtur, quo certius adfirmant ex Hispania nuntii insulam Balearium minorem * Hispanis traditam a Gallis esse.

* Minorca.

HAGA COMITVM. IX. IANVAR.

Dissolutam inter Anglos et Hispanos amicitiam haud leuis consequetur rationum consiliorumque per Europam commutatio *.

* Veränderung in dem Syftem von Europa.

A foederati Belgii ordinibus prorogata nuper fuit in annum tricesimum concessio illa, qua fruitur societas mercatorum Indiae occidentalis. *

* die Octroy.

Hebdomade proxime futura hic exspectatur serenissimus Princeps Strelitiensis Reginae Britannicae frater, in Angliam transiturus.

STVTGARDIA. XXVI. DEC.

Mercurii die praeterito sollemni traharum pompa post meridiem se delectabant aulicorum paria vnum et viginti. Ipse Dux serenissimus traha vehebatur inaurata, phaleris e punicei coloris serico villoso * confectis, acuque magnifice pictis **. Postea qui trahis descenderant variis cupediorum generibus reficiebantur. Hodie iucundum comoedia Gallica, nouaeque aliquot saltationes laruatae *** spectaculum praebebant.

* ponceau Sammet.
** reich gestickt.
*** Refraichissements.
**** Ballets.

PRAGA. II. IANVAR.

In itinere Vindobonensi cum per Bohemiam transiret, illustrissimus Daunius, Collini cum Laudono collocutus est. Inde suspicio ducitur, Laudonum non tam propere Vindobonam concessurum. Vindobonensium litterae nouissimae futu-

futurum ferunt, vt, si quidem persequendum sit bellum, militare in Saxonia imperium ad Xauerium deferatur, serenissimum Poloniae Principem regium; Daunius vero, summus adhuc castrorum praefectus, consilii bellici imperatorii et regii * praeses constituatur.

* Kayserl. Königl. Kriegesdepartement.

COLONIA AGRIPPINA. VIII. IANVAR.

Speculatorem * hic custodia tenent Galli, in tractu Bergensi deprehensum. Is, vestitu eremitam mentitus, partes egisse dicitur Gallorum commodis magnopere aduersas.

* Espion.

LIPSIA. X. IANVAR.

Die huius mensis octauo vrbem nostram intrabat regiae celsitudinis Princeps Henricus. Apeliano hospitio vtitur. Locum adhuc suum stationemque obtinet qui Principis imperio paret, exercitus.

Denuo imperata sunt vrbis huius ciuibus vicies centena millia imperialium *, ante Februarii finem soluenda.

* drey Millionen Rthlr.

Platenii agmen ad Henrici Principis exercitum concessisse eo potissimum consilio dicitur, vt tractum Salanum et Mansfeldensem ab incursionibus impetuque tum Gallorum, tum communis Germaniae exercitus tutaretur.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. XII. IAN.

Plura e Silesia in Pomeraniam agmina dimissatum ferunt Prussiae Regem, quae coniunctas ibi in hibernis copias * Prussicas augeant.

* den Cordon.

EX TRACTV MEGAPOLITANO. XIII. IAN.

Latius se per hunc ducatum rursus effundunt Prussi, copiis aucti. Quorum ante aliquot dies cohors ingressa Rostochium est. Gustrouium similiter tenent. Lubecam cum comitatu aulico discessit Dux serenissimus: qui Suerino etiam in alium locum transferendam curauit officinam monetalem.

ALTONA. XIX. IAN.

Qui ex Pomerania suecica modo venerunt, nuntii Suecos negant Cosacorum auxiliis confirmatos fuisse, vel ea omnino a Russis periisse. Megapolitanis Prussi pecunias, cibaria, nouaque militum supplementa imperant. Rostochium cum praetorio progressus est Eugenius, Würtenbergiae Princeps.

RES LITTERARIAE.

Academiae Lipsiensis nomine haud ita pridem *Ioannes Augustus Ernesti*. eiusdem h. t. Rector magnificus memoriam commendauit Henr. Schmidt, nuper demortui, Senatoris et mercatoris, de ciuitate optime promeriti. Plagulis

2. for-

2. formae maximae conſtat programma. Eo *Liturgiae* vocem perſequitur Vir ſumme ven. eiusque vis ac ſignificatio quam late pateat, erudite et eleganter, oſtendit. Complectitur illa vox munera, quibus res publica iuuatur, omnia, ſiue iis ipſe quis per ſe, ſiue aliorum hominum rerumque interuentu defungatur. Qua quidem ratione eodem referri quoque deceat mercaturam et negotiationem, ſi liberaliter illa, et a probis exerceatur.

Lipſiae d. VI. Ianuar. mortem obiit *Ioannes Fridericus May*, Philoſophiae morum, et Politices Profeſſor publicus, ſuis in Academiam orbemque litterarium meritus clarus.

Göttingae die menſis ſecundo faſces academicos Webero, Profeſſori philoſ. celeb. tradebat, qui menſes duodeuiginti eos geſſerat, Roedererus, Medicus regius. Nouum magiſtratum ſcripto programmate commendauerat illuſtris *Michaëlis*, Conſiliarius aulicus. Cognouimus illius teſtimonio, ita ſe geſſiſſe hoſtes omni tempore illo, quo vrbem tenuerint, vt Muſarum amore amabiles viderentur, in nulla re a ratione atque ordine diſceſſum eſſe, cum, iubente praeſidii praefecto, anno abhinc initus eſſet nume-

rus

rus ſtudioſorum Iuuenum, quingentos fuiſſe, ante menſem vero trecentos tantum.

Chemnitii die XXIV. Dec. actum oratorium celebrauit *Hagerus*, artium Magiſter, idemque Lycei Rector clariſſimus, cum ſollemnitatem carmine inter neruorum tibiarumque concentus decantando, indixiſſet. Splendidum reddebat conuentum *Albertus*, *Princeps ſereniſſimus*, qui Chemnitii commorans, cum illuſtri ducum bellicorum, tribunorum, aliorumque praefectorum comitatu audire iuuenes haud dedignabatur. Principem ante ſcholae atrium ordo ſacer et ſenatorius; in ſchola Rector venerabatur. Auditorium intrantem tubae tympanaque ſalutabant. Mox, cum Principi carmen tradidiſſet Rector, concentus muſicus audiebatur, actui praeludens. Prodibant deinceps iuuenes quinque, Lycei illius alumni, ſuasque oratiunculas fauentibus cunctis, recitabant. Finito, qui iuueniles exercitationes excipiebat, concentu, dextram Sereniſſimus Rectori et oratoribus porrigebat oſculandam, magnopere ſibi placuiſſe actum perhumaniter ſignificans.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos *librales* quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS VII.

DIE VENERIS, XI. CAL. FEBRVAR. CIↃ IↃCCLXII.



OLYSSIPPONE. XV. DEC.

Legionum * tum pedestrium tum equestrium centuriae ** quaternis denis militibus, iussu regio, augentur.

* Regiment r.

** Compagnien.

Diebus huius mensis octauo et duodecimo adpulsae naues ex Anglia duae Legato, qui hic versatur, Britannico litteras; earumque descripta exempla illustrissimo Comiti ab Oeyras attulerunt. Contineri illis grauissima argumenta dicuntur.

*CARONIO *. XVI. DEC.*

Heri, cum aduenisset sanctioris consilii cursor**, statim naues in portu peregrinas omnes detinendas curauit*** praesidii praefectus****: idemque nauium sex septemque Anglicarum magistros vna domo captiuos conclusit. Ferroliam missus est qui similia mandata perferret, cursor. Ad exeundum paratas hic videmus naues bellicas septem, vnamque velocem.

* Corunna.

** Cabinetscurier.

*** ein Embargo auf die Schiffe legen.

**** Commendant.

GADIBVS. XVIII. DEC.

Nouis vrbs nostra portusque munitionibus firmantur: in suggestis * collocantur tormenta: ad sinum ipsum, itemque ad castella, vnde verberari sinus potest **, suggesta tormentorum noua struuntur. In portus aditu binae naues bellicae nauigia obseruant adpulsura, in eaque diligentissime a visoribus inquiritur. Discesserunt hinc die XV. pleraeque naues Anglicanae: ex quarum binis, quae vento tenebantur, sublata fuerunt gubernacula, ablatum etiam quidquid litterarum scriptique inuentum esset. Indices praeterea confecti sunt mercium rerumque reliquarum, quae in horreis mercatorum siue Anglorum, siue Hibernorum deprehenderentur. Quae Cayennam petebat, nauis Massiliensium

one-

oneraria * * *, capta ab Anglis et Gibraltariam ſubducta **** fuit.

* Batterien.
** die Bucht commandiren.
*** Pinque.
**** aufgebracht.

MANTVA CARPETANORVM. XXII. DEC.

Qui nuper conſtituti ſunt a Rege, rerum nauticarum curatores *, ad portum quisque ſuum haud cunctanter diſcedunt.

* Commiſſarien des Schiffweſens.

Quinque naues Anglicas Regis iuſſu detinuit Præſes Alonenſis *, nautis centum et triginta in caſtellum abductis. Quo tempore ipſo, apud mercatorum eiusdem nationis iudicem, ſigno publico conſignata omnia fuerunt.

* Alicante.

Malacam * inualidorum militum centuriae complures aduenerunt, oras Granadae maritimas vna cum reliquis copiis tutaturae.

* Mallaga.

ROMA. XXVI. DEC.

Lembi Algerienſes * quatuor portum Corſicae Florentinum * * intrarunt. Horum Praefectus certiorem fecit Paolum ducem, non eo ſe conſilio veniſſe, vt Corſis noceret; ſed vt Algeriae principis *** iuſſu pacem cum illis con-

ſtitueret ea lege, vt Algerienſibus portus Florentini vſum permitterent.

* Xebeken.

** St. Fiorenzo.

*** Dey von Algier.

LVTETIA PARISIORVM. XI. IANVAR.

Aulam noſtram, rumor eſt, cum republica Genuenſi de conducendis aliquot millibus nautarum conſilia agere.

FRANCOFVRTO AD MOENVM. X. IAN.

Heri, ex Thuringia ab exercitu Saxonico profectus, in hanc vrbem venit Xauerius, regiae celſitudinis Princeps. Hodie Argentoratum diſceſſit, inde iter Pariſinum perſecuturus.

RES LITTERARIAE.

Typis iam exſcripta eſt, quam libello XLII anni praet. commemorauimus, *Iohannis Antoni de Wolter Oratio onomaſtica, in honorem Sereniſſimi Principis, Maximiliani Ioſephi, vtriusque Bauariae Ducis, S. R. I. Electoris vel. qua gloriam et emolumenta Principum ex conditis a ſe atque promotis Academiis Scientiarum oriri demonſtratur: habita in ſollemni Academiae Electoralis Bauaricae Paneg vri, Monachii* d. XII. *Octobr.* MDCCLXI. 4 plag. formae quartae.

Docet primum illuſtris Wolterus, Medicus Principis Elect. idemque ordinis in ſocietate ſci-

ent.

ent. philoſophici director, apud omnes, omnis memoriae gentes cultiores fuiſſe ſodalitates eruditorum hominum, amplificandae ſcientiae ac doctrinae cauſſa conſtitutas. Apud Gallos Druidae erant, deorum cultui praefecti, et iidem ſcientiae omnis praeſides: exemplo, vt Auctor exiſtimat, non ſemper imitando, quod periculoſum ſit, omnem ſcientiam penes eos reſidere, qui ſoli religioni praeſint. Sed illae eruditorum ſocietates vt magis efflorefcerent, Principum deinceps patrocinio et munificentia effectum eſt. Praeter alia eius rei exempla laudat illuſtris Auctor Coſmi Medicei, magni Hetruriae Ducis, in exſules Graecos prolixam voluntatem: hi enim, Coſmo auctore, ſocietatem quandam philoſophicam inibant, Platonis potiſſimum placitis deditam; ex qua originem duxiſſe recentiores ſcientiarum ſocietates videantur. Quae qua ratione deinceps apud cultiores Europae populos in Italia, Anglia, Gallia, Germania conſecutae ſint, copioſius decet Wolterus. Poſtea, condendis eiusmodi ſocietatibus quantam ſibi gloriam Principes, quas ciuibus vtilitates pepererint, commemorat. Ipſi nimirum talibus inſtitutis ſapientiae laudem conſecuti ſunt, omni reliqua laude maiorem: ciuium autem animos errore et praeiudicatis opinionibus liberatos a nullius momenti rebus ad rerum vtiliſſimarum ſtudia, cognoſcendamque naturam adduxerunt. Quae magis etiam manifeſta fiunt oppoſitis vitiis, ſupercilio ſcholaſtico, ſubtilitatibus ex triuio ſcholae peri-

 tis,

tis, praua docendi ratione, quibus quidem vitiis medeantur ſcientiarum ſocietates. Idem denique nominatim demonſtratur ex ſcientiis ſingulis, in quibus tractandis verſari ſociorum ordines ſoleant: quae ſane ita comparatae ſunt, vt fieri non poſſit, quin illis emendandis, colendis, Principis aeque ac ciuium laudi et vtilitati conſulatur. Atque eiusmodi fructus ab illuſtri illa Academia ſcientiarum eo vberiores exſpectare Bauaria poteſt, quo maiori ſtudio ad praeclara quaeuis incumbunt qui Societati nomen dederunt, viri doctiſſimi celeberrimique.

Les Poëſies d'Horace, traduites en françois, nouvelle edition. A Amſterdam, Iena et Leipzig. Chez Iean Chretien Fiſcher. MDCCLXII. Tomi 2. forma 12, quorum vterque plagulis 17 conſtat.

Inſcriptio eſt Horatii a celeberrimo Batteuſio Gallice conuerſi, atque poſt editiones aliquot Pariſinas nunc primum in Germania editi. Ienae enim exſcripta haec exempla eſſe A. M. Mayeri litteris, pagina extrema indicat. Perſimilis eſt haec editio Pariſinis, quarum prima a. 1750 prodiit, neque illis vel chartae nitore, vel litterarum elegantia cedit. Aucta eſt praefatione editoris, qua tum poëta Romanus, tum interpres eius Gallicus veris laudibus commendatur. Gratiſſimum ſine dubio fecit Horatii, hoc eſt,

poli-

politiſſimi poëtae, ſtudioſis Fiſcherus, Vir clariſſimus, nec vno nomine de bonis litteris bene meritus, qui hac ratione et parabiliorem reddidit auctorem Romanum, et iucundiorem his, qui iuuari interpretatione quadam eleganti volebant.

Horatium vernaculo ſermone omnium optime interpretati videnter Francogalli, et in illis Dacerius, Sanadonus, Batteuſius. Dacerii interpretationem ſuperant additi ipſius commentarii, copioſi ſane et eruditi. Vtiliſſima editio eſt ea quam a. 1733 Hamburgi decem voluminibus vulgauit Vandenhoeck: ſubiunctae enim ſunt Dacerianis, adnotationes Sanadoni potiores, Meruillii ſtudio iudicioque excerptae. Elegantior eſt, et ad vim ingeniumque Horatii propius accedit interpretatio Sanadoni: nam et ipſe poëta erat, et ſubtili elegantique iudicio pollebat. Priores editiones ſuperat, quae Pariſiis 1757, voluminibus octo prodit. Vtrumque vicit interpretum recentiſſimus Carol. Batteuſius, is qui de artium liberalium principiis et diſciplina ingenioſe et erudite expoſuit.

In verbis Horatii Batteuſius lectiones antiquas et vſitatas, vt decebat, retinuit, neque temere criticorum emendationes, quamuis ingenioſas, admiſit. Adnotationes etiam hic atque illic breues ſubiecit. Lectu in primis digna eſt propter argumentum praefatio quae de interpretandis

poëtis

poëtis egregia multa habet. Faciendum in primis est interpreti, vt spiritum poëtae, quoad fieri potest, illumque furorem amabilem reddat. Quod in Horatio facturus Batteusius tres sibi velliti leges scripserat omni studio seruandas: primam, vt notiones singulas exprimeret; alteram, vt ne loco eas suo et ordine moueret; tertiam, vt in orationem solutam, quantum posset, ex numerosa cuiusque carminis indole transferret. Vitam Poëtae breuissime descriptam excipit, de metris, quibus vtitur Horatius, disputatio perspicua. *Illud forte minus placere illis possit*, qui castrari auctores nolunt, quod resecta sunt carmina quaedam, carminumue partes, nulla eius rei significatione facta, qua monerentur lectores. Sed hoc in iis locis factum est, in quibus nolle se interpretari Horatium scripsit Quinctilianus. Et idem ante fecerat Sanadonus. Potest interpres, cui non desit ingenium, plerumque leui commutatione rem expedire. Sed legem suam, quam modo diximus, interpretandi migrare Batteusius noluit.

Libelli superiores p. 45 versu 20 legendum est *tricies*.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS VIII.
DIE MARTIS, VII. CAL. FEBRVAR. cIↃ IↃCCLXII.



OLYSSIPPONE. XXVIII. DEC.

Ex die huius mensis decimo tertio Anglorum naues mercatoriae comptures, bellicae quatuor Tagi ostia intrarunt.

MANTVA CARPETANORVM. XXIX. DEC.

In castellum S. Antonii coniectus est nonnemo gente Scotus. Is in Galliciam a Rege ad exploranda metalla missus, neglectis fodinis, castella nostra et propugnacula delineasse, formasque misisse Anglis dicitur.

MEDIOLANO. II. IAN.

Sauonae exſpectari accipique iuſſit Senatus Genuenſis claſſem Hiſpanicam, propediem iſtuc adpulſuram.

VINDOBONA. IX. IAN.

Die menſis ſexto in ſacrario aulico ordinis aurei velleris memoriam colebat * auguſtiſſimus Imperator. Cuius in comitatu erant Archiduces, ordinis equites torquati, et Legatus ** Pontificius.

* Toiſonfeſt.
** Nuncius.

Per dies aliquot leuiter aegrotans in cubiculo ſe continuerat Regina imperatrix, quae iam confirmata valetudine fruitur.

Satis belle valet Archiducis Ioſephi coniux ſereniſſima, ad pariendum vicina.

Paucis diebus abhinc ex aula Gallica huc venit Galliczinius Princeps, Ruſſiae legatus. Nudius tertius facta audientia in conſpectum Auguſtiſſimi adducebatur.

Ex Sileſia allati nuntii exercitum noſtrum aeque atque hoſtilem ſtatum ſuum manſionemque adhuc obtinere referunt. Vratislauiae commoratur Rex Pruſſiae.

HAGA COMITVM. XIX. IAN.

Ex Lusitanorum litteris cognoscimus, spem pacis cum Hispanis retinendae magis magisque infringi: augerique propterea copias quibus possint supplementis. Esse qui stipendia praefectorum mereri in exercitu Lusitano velint, extraneos complures.

Lutetia Parisiorum propediem ad exercitum in Germania Gallicum reuersurus putatur Broglius Dux, supremus castrorum praefectus: quod descripta iam et constituta sit expeditionis futurae ratio*.

* der Plan zu dem künftigen Feldzuge.

EX THVRINGIA. XIII. IAN.

Erfordiae montis Petrini aggeres quam diligentissime struuntur. Ingenti numero conuehi videmus vallos,* cratesque militares**.

* Pallisaden.

** Faschinen.

DVDERSTADIO. VII. IAN.

Singulis fere diebus exploratorii milites*, ab exercituum aduersariorum vtroque emissi, huc veniunt. Qui tamen itinera tam caute instituunt, vt nunquam sibi obuiam fiant. Gallici quidem nullam nobis molestiam exhibent, praeterquam quod ex auenae horreo interdum asportari nonnihil iubent: quod a Lucknerianis pariter factum est. Imperatae etiam fuerunt panis carniumque vecturae. Ex pagis Eisfeldae infe-

rioris pecora multa eogunt Lucknerìani, oſterodam abducenda.

* Patrouillen.

ALTONA. XXVI. IAN.

Auguſtiſſimam Ruſſorum Imperatricem Eliſabetam Petrownam vitam cum morte commutaſſe, vndique nuntii adfirmant: qui die Ianuarii ſexto Imperatorem ſalutatum fuiſſe addunt Imperatoriae celſitudinis Principem Petrum Feodorowiz, *Magnum adhuc Ruſſiae Ducem.*

RES LITTERARIAE.

Vix ortum erat inter Principes maritimos bellum illud, quod adhuc feruet, cum de captis nauibus conqueri inciperent gentes mediae et neutrius partis ſtudioſae. Quo deinde frequentius fiebant nauium raptus, eo grauiores audiebantur acrioresque querelae. Suam gens quaeque cauſſam, nec ſine acrimonia, agebat. In vtramque partem libelli cum rationibus idoneis, minus idoneis, proponebantur. Sed in rem cauſſamque ipſam nemo erat, qui altius inquireret, nemo, qui ad rectae rationis iurisque gentium normam excuteret, quo niteretur, quatenus pateret belligerantium ius illud inſpiciendi, detinendi, fiſco addicendi naues eorum, qui quietos ſe aduerſus ipſos otioſosque praeſtarent. Argumentum illud cum veluti tranſiens in Hiſtoria ſua iuris naturae tetegiſſet *Martinus Hübne-*

rus,

rum, nunc in Acad. Hafn. Philoſ. Iuris et Hiſt. P. P., ac poſtea etiam paullo enucleatius expoſuiſſet diſputatione Commentariis de re mercatoria Bruxellenſibus inſerta: auctores ipſi fuerunt viri docti et prudentes, qui candorem eius tractandique rationem magnopere comprobarent, vt illum iuris gentium locum ſingulari aliquo opere pertractaret. Atque illa origo eſt libri, qui lingua Gallica conſcriptus duobus voluminibus in 12 mai. Hagae Comitum prodiit hoc indice: *De la ſaiſie des batimens neutres, ou du droit qu'ont les Nations belligerantes d'arrêter les navires des peuples amis. Par M. Hubner, Icte, Aſſeſſeur au Conſiſtoire de Sa Majeſté Danoiſe à Copenhague, de la Societé Royale de Londres, et de l'Academie des Inſcriptions et Belles-lettres de Paris. A la Haye* MDCCLIX. Tomus prior tredecim plagulis conſtat; poſterior vna plag. amplior eſt: vterque in binas partes tribuitur.

Tomi I. *pars prior* de capiendis nauibus gentium mediarum vniuerſe tractat. Quod argumentum ipſum ingenioſe ſignificatur praeſcriptis Virgilii verſiculis,

Quod genus hoc hominum? quaeue hunc tam barbara morem
Permittit patria? Hoſpitio prohibemur arenae.

Caput I. belli naturam exponit, eiusque iura reſpectu principum populorumque mediorum. II. de neutrius partis ſtudio. III. de libertate

tum commerciorum generatim, tum maritimorum. IV. de eadem, belli tempore. V. originem tradit fundamentaque, quibus innititur ius belligerantium capiendi naues gentium mediarum. VI. eius rei fines ad iuris gentium vniuersalis praescripta ponit. VII. tempora caussasque examinat, quibus capi naues ex principiis codicis gentium generalis possint. VIII. quibus ex communi populorum iure capi non possint.

Pars altera inscribitur de iis, quae nauium capturas antecedunt, s. de iuribus belligerantium mediorumque populorum mutuis, habito ad horum nauigationem respectu. Addita sunt verba poëtae,

— — — *Litusque rogamus*
Innocuum, et cunctis vndamque auramque patentem.

Capite quidem I. exponitur de mercibus bellicis per iuris gentium vniuersi leges prohibendis. II. quaeritur, nauisne signo suo ac vexillo tutas praestet, quas vehat, merces? III. de inspiciendis mediarum gentium nauibus tractat.

Tomi II, *pars prior* de his agit, quae sequi nauium capturam solent, s. quae vniuerse nauium mediarum respectu iusta putantur. Legitur hic Virg. hemistichium,

Non illi imperium pelagi.

 Eius

Eius partis Caput I et II. de iudice ad hanc litem legitimo et idoneo quaerunt. III. litem ipsam eiusque diiudicandae rationem exponit. IV. de nauibus mediis, quatenus iure vel iniuria in praedam assisse iudicantur.

Pars altera de captis eiusmodi nauibus ad praescripta iuris gentium pacticii, s. pactionum inter principes populosue plures initarum, exponit. Verba habet Ciceronis de Offic. I, 7. *Fundamentum est autem Iustitiae fides; id est, dictorum conuentorumque constantia, et veritas - - - credamusque, quia fiat quod dictum est, appellatam Fidem.* Huius partis Caput I. est de captis nauibus mediis generatim, ex iure gentium pacticio II merces bellicas iure gentium pacticio prohibitas tradit. III. quaerit, vtrum medii populi vexillum merces tueatur iure gentium pacticio? IV. tractat de nauibus mediis inspiciendis vi pactionum. V. de iudice ad litem idoneo, ex iuris pacticii ratione. VI. collectas exhibet variorum principum pactiones de nauibus mediis, quatenus iure in praedam cessisse iudicentur.

Finito operi subiunctum est Friderici quinti, augustissimi Daniae Noruagiaeque Regis edictum d. 30 Iul. 1756 propositum, quo ciuium nauigatio commerciaque dirigantur tempore belli, quod inter Principes maritimos geritur.

Atque illa sunt capita potiora, de quibus expositum fuit a Viro celeb. et in illo iuris et rerum genere diu multumque versato. In praemissis hic atque illic capitibus prooemis varia adfert,

fert, quibus tum illustrantur, tum ornantur sequentia. Lectu in primis iucunda est, et ad commendandum studium apta praefatio, qua consilii sui ratione reddita docet, quam parum in hoc genere exspectationi satisfaciant tum academici doctores hodierni, tum vero etiam maiores illi, Seldenus, Grotius, Hobbesius, Cumberlandus. Informium librorum numero habet Auctor doctissimus illum, qui Consulatus maris inscriptus a. 1539 in 4. Valentiae sermone Hispanico prodierat, Italice post et Gallice conuersus. Vattelii Ius gentium, sero sibi visum, merito laudat. Nec laude priuandum censet illustriss. Equitis d'Abreu libellum Hispanice confectum, Gallice ante annos aliquot editum, tametsi de cursibus Hispanorum praedisque maritimis potius, quam de hoc, quod quaerimus, argumento agit.

Valde probari accipimus celeberr. Hübneri opus iis, qui iuris publici partem illam solide eleganterque tractatam desiderabant. Idem ei vt apud Principes maritimos horumque ministros contingat, optamus. Pulchra dedicatione inscriptum est summo rerum ingeniorumque existimatori, Bernstorffio, Viro illustrissimo excellentissimoque.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS IX.

DIE VENERIS, IV. CAL. FEBRVAR. cIↃ IↃCCLXII.



HAFNIA. XXIII. IAN.

Hodie, in aulae celebritate, ſignificatio facta eſt nuptiarum, quibus cum illuſtriſſimo Comite Chriſtiano Detl. a Reuentlou iungetur Virgo illuſtriſſima, Ludouici Comitis ab Holſtein, Viri excell. filia.

Inter noui anni auſpicia oblatus fuit Auguſtiſſimo Regi numus ab inſigni caelandi artifice Kernio. Eius altera facies ſacra Regis effigie ſplendet; altera diſtinchon habet, non illud quidem ſatis Romane, ſed vere tamen laudes regias complexum:

Prudens regnator, constans est pacis amator,
Ergo salus Regis sint pia vota gregis.

PORTV CALE. * *I. IAN.*

Curae nobis nonnihil iniecerant congregatae ab Hispanis in Gallicia copiae. Cura nunc solutos praestant naues Anglorum bellicae decem, quas in portu Olyssipponensi esse scimus. Sunt, qui Hispaniae consilia ad Hiberniam spectare dicant, illamque expeditionem adiutum iri a Principe aliquo, qui valida ibidem factione polleat.

* Porto.

GADIBVS. XXII. DEC.

Veram Crucem hinc missa est nauis tabellaria *, diruptae cum Anglis amicitiae nuntia. Insulas, Accipitrum ** pariter petit lembus vectorius Genuensis, diuersis illo mari cursibus agitandus ***, vt nauibus per Oceanum, redituris eundem nuntium ferat.

* Advisjagd.
** Azorischen Inseln.
*** Kreuzen.

MANTVA CARPETANORVM. I. IAN.

Quid consilii captura sit aula Lusitanica, nondum constat. Illud satis certum putamus, si Anglorum complexi partes fuerint Lusitani, statim fore, vt bellum a nobis indicatur, copiaeque nostrae numerosae in Lusitaniam progrediantur.

ROMA.

ROMA. VI. IAN.

Paucis abhinc diebus in vrbem venit illuſtriſſimus Comes a Brühl, primarii Poloniarum Regis adminiſtri filius. Eum amiciſſime habet aula pontificia, et quotidie magnifico adparatu excipiunt Nobiles. Viſis, quas vel ſplendor artis, vel antiquitatis memoria commendat, rebus, Neapolin hinc diſcedet. Itinere Italico breui tempore defungetur, ne in belli, quod in his terris exarſurum putatur, flammam incidat.

FLORENTIA. VI. IAN.

Eodem tempore et diſſolutam eſſe Hiſpanorum cum Anglis amicitiam, accipimus, et aduenisse iam in ſtatus praeſidii caſtella miſſos ab Hiſpanis negotiorum curatores*, et architectos militares**, qui loca munita operibus augeant, quibus defendi ab hoſtium impetu facilius queant. Adpropinquare itaque intelligimus remotum a finibus noſtris bellum. Quae cum ita ſint, dolent ciuium nonnulli miſſionem ab auguſtiſſimo Imperatore rogaſſe Marchionem di Botta-Adorno ſummum regionis huius praeſidem***.

* Commiſſarien.

** Ingenieurs.

*** Generalgouverneur.

LVTETIA PARISIORVM. XV. IAN.

Duas Anglorum naues vectorias*, quibus

milites ex Bella Insula in Angliam rursus transportabantur, a binis praedatoriis ** nostris captas et in Deppae *** portum subductas fuisse, comperimus.

* Transportschiffe.
** Kaper.
*** Zu Dieppe aufgebracht.

Qui ante dies aliquot cum comitatu suo aduenerat, Comes a Fuentes, Hispaniae in aula Londinensi legatus, die huius mensis vndecimo in Regis conspectum adductus a Choiseulio, priuatim fruebatur colloquio * Augustissimi.

* Particulieraudienz.

Voltario Rex bis mille librarum stipendio gratificatus est.

Regi gentique augustae nouum Lexici sui editionem obtulit Academia Gallica.

LONDINO. XV. IAN.

Vasa iam colligit Albemarlius Comes. Cui quidem quod datum est negotium, ad tutandam Lusitaniam pertinere, dicitur. Vt primum nactus tempestatem idoneam fuerit, ad oras Lusitanicas abibit.

Pocockius, classis praefectus* propediem in nauem bellicam, Namurci nomine insignem, quae *Portu Magno* ** armatur, conscendet.

Pli-

Plimuthum craſtina luce proficiſcetur Howius, claſſiculae ***, expeditioni cuidam deſtinatae, imperium geſturus. Militum quidem praefecti intra decem dies adeſſe in nauibus vectoriis iuſſi ſunt. Leuis armaturae equitum **** legiones tres nouae conſcribentur.

* Admiral.

** Portsmouth.

*** Eſcadre.

**** *Chevauxlegers.*

NANNETIBVS. II. IAN.

Baionna, Galliciae vrbe, huc delata nauis Belgica velox * indicem attulit nauium Hiſpanicarum, vnde intelligi illius populi vires maritimae poſſunt. Naues habet Hiſpania bellicas maiores ** quidem ſexaginta quatuor, tormenta 86-50 vecturas; leuioris ſtructurae naues *** quadraginta tres, tormentorum 30-16 capaces; naues tormentarias **** ſex; igniarias ***** quatuor.

* eine Schnaue.

** Schiffe von der Linie.

*** Fregatten.

**** Bombardier Gallioten.

***** Brander.

KILONIO. XXV. IAN.

Proximo Veneris die, menſis huius viceſimo, mane poſt octauam Petroburgo vndecim dierum itinere adueniens illuſtr. ab Opitz, Tribunus

militum, et Magni Ducis a cubiculis*, vrbem hanc ingressus est, praemisso duodecim cursorum publicorum tubis suis canentium strepitu**. Is litteris Holmero, viro excellentissimo, sanctioris consilii Praesidi, tradendis nuntium attulit, die XXV. Dec. st. vet. (qui ex nostra ratione quintus Ianuarii erat) hora a meridie tertia rebus humanis ereptam fuisse augustissimam Russorum Dominam Elisabetam Petrownam: quo facto, imperium *iure hereditario et auito* suscepisse Petrum III. Imperatoriae celsitudinis Principem, Holsatiae nostrae Dominum.

* Kammerjunker.

** unter Vorreitung 12 blasender Postillons.

Significato excutiendis tormentis laetissimo nuntio, congregabantur, vt sanctiori Senatui gratulandi officium praestarent, spectatissima vrbis collegia. Mox in templo aulico Deo T. O. M. singulari supplicatione et hymno Ambrosiano gratiae agebantur, inter repetita tormentorum tonitrua. Peracta re diuina, in celebrioribus vrbis vicis, tympanis tubisque sonantibus, voce praeconis, quem comitabatur cohors dimachorum praetoria *, sollemniter Russorum Imperator augustissimus salutabatur Petrus Tertius, plaudente hominum inuicem congratulantium multitudine. Et tum quidem festis luminibus collucebant aedes per vrbem potiores; et nunc quae ad proferendam celebrandamque publice laetitiam faciunt, in vrbe nostra et reliqua Holsatia

ſatia imperatoria, ſtudioſiſſime omnia comparantur.

* Detachement vom Leibdragoner Regiment.

Orinum* cum ante, eodem ſtrepitu ſollemni aduenisſet idem curſor, et ſereniſſimo Principi Praeſuli litteras Auguſtiſſimi manu ſcriptas, et ipſius celſiſſimae Coniugi Ordinis S. Catharinae inſignia tradidit, vtrumque certiſſimum amicitiae Imperatoriae pignus.

* Eutin.

RES LITTERARIAE.

Vindobonae haud ita pridem prodierunt *Annales veterum Hunnorum, Auarum et Hungarorum, ab anno ante N. C. CCX. ad annum Chriſti DCCCCXCVII deducti, et maximam partem ex Orientis occidentisque rerum ſcriptoribus congeſti, opera et ſtudio Georgii Pray, Societatis Ieſu ſacerdotis.* Pagg. 388 formae maximae. Addita eſt tabula geographica, qua vetuſtiſſimae Hunnorum in Aſia ſedes repraeſentantur. Diſtributum fuiſſe praeſtantiſſimum opus, in libello Commentariorum XXXVIII anni ſuperioris retuleramus, occaſione diſputationis in Thereſiano habitae.

Laborem hunc ſuſceptum a ſe fatetur Vir doctiſſimus auctore et adiutore P. Frölichio, celebri eiusdem ordinis ſodali. Erant vtique in Hungarorum hiſtoria antiqua multae res nondum ſatis excuſſae illuſtrataeque: quibus obſcurior et impeditior reddebatur, quam eſt hac aetate hi-

ſtoria

ſtoria aliarum Europae gentium. Ex Hungaris qui ad res patriae illuſtrandas acceſſerunt, recentiora plerumque tempora complexi ſunt ita, vt in maiorum ſuorum originem vel omnino non inquirerent, vel non ea ratione, qua aliquid expediretur. Rectiſſime in hoc genere, poſt Otrokoczium, verſati videntur, etſi documentis multis ſubſidiisque carebant, T. S. Beyerus et Dericius. Superiores omnes vicerat Diligentiſſimus vir *Deguignes*, opere nuper edito, *Hiſtoire des Huns* cet. Atque huius potiſſimum auxilio factum eſt, vt in libris his annalibus certiora tradere multa et dilucidiora poſſet Noſter.

Parte annalium prima Hunnorum res enarrat, quousque pertingunt monimenta Sinenſium, hoc eſt, ad annum ante natum Chriſtum 2207. Eas ad a. poſt N. C. 469 deducit, quo Hunnorum in Europa regnum deſiit. Inde a pag. 183 Auarum hiſtoriam ad medium ſaeculum nonum exponit. Hungarorum denique res geſtae libro tertio ſequuntur, ad ſ. Stephani initia regni perductae. Cuilibet libro praemiſſa conſpicitur, tanquam introductionis loco, diſputatio quaedam, cum tabellis geographicis, viticularum*, quibus ornari prima pagina ſolet, more locoque exſcriptis. Praeclara ſane tum diligentiae, tum doctrinae ſuae documenta dedit Prayus, Vir ſ. reu. narrationibus teſtimoniisque, quae ad rem facerent, colligendis, diiudicandis, in ordinem redigendis. Merito itaque rebus patriis propter vetuſtatem obſcuris nouum aliquod lumen intuliſſe cenſetur.

* Vignettes.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS X.

DIE MARTIS, IV. NON. FEBRVAR. cIↃ IↃCCLXII.



NEAPOLI. II. IAN.

Miſſi ſunt a Rege architecti militares *, qui in caſum illum euentumque diligentius inquirant, quem de praedio Aluiti Ducis beneficiario ** relatum accepimus. Imbribus proximi temporis frequentioribus factum eſt, vt mons quidam diſcederet. Huius pars in planitiem praecipitata ſpatium contexit mille et quingentorum paſſuum ***. Qui vicinus eſt, torrens deturbatis ex monte aceruis, alueum tantopere exceſſit, vt agros omnes adiacentes inundarit.

* Ingenieurs.

** Lehngut.

*** anderthalb Italiäniſche Meilen.

PETROBVRGO. IX. IAN.

Die huius mensis quinto, cum hora post meridiem tertia decessisset Imperatrix; nulla mora interposita, ad Magnum Ducem, qui nunc felicissime imperat, adibant Administri primarii, Senatores, Duces bellici. Qui postquam in sacro palatio vna cum centuria militum stipatorum * sacramento se addixissent * * Imperatori Augustissimo: conscenso hic equo post horam quartam ad legiones praetorias***, more militari constitutas se contulit, earumque ordines tanquam cum imperio Tribunus **** perequitans, in sua verba omnes per ius iurandum adegit ***** inter faustas plaudentium congratulationes. Hora quinta vespertina simili officio iam defuncta erat cum omnibus collegiis ciuitas vniuersa.

* Leibcompagnie.
** huldigen.
*** die aufgestellten Garderegimenter,
**** als commandirender Oberster.
***** sich huldigen lassen.

LVTETIA PARISIORVM. XX. IAN.

Ordinem sacrum Gallicanum conuocari Rex extra ordinem iussit in diem Maii primum. Conuocationem illam ad munus gratuitum * denuo conferendum spectare, putant.

* Dongratuit.

Militum terrestrium legiones * nonnullae, miri-

mirifica quadam et illi hominum generi minus vsitata animi magnitudine, stipendia sua Regi obtulerunt in rem militiamque naualem impendenda. Qua voluntatis significatione magnopere commotus Rex, placere quidem sibi valdeque gratum esse studium illud, respondit; sed tantum abesse, vt tribui sibi eiusmodi subsidia velit, vt animus sit, addere nonnihil stipendiis militum, qui patriae regisque caussa nullum capitis fortunarumque periculum defugiant.

* Feldregimenter.

RES LITTERARIAE.

Ingenia hominum sollertiamque praemiorum stimulis excitari acuique, ita publice vtile est, vt honestissimum pecuniarum fructum putemus, qui ad hoc munificentiae genus conferatur. Eius instituti, quod celebrare Principes praecipue et Academiarum collegia solent, morem imitantur aliquando priuati beatiores, et vtilitatis publicae studiosi. Bina nunc exempla laudare possumus Hafniensia.

Proposuit iam ante menses aliquot ciuium nonnemo de patria bene meriturus quinquaginta imperialium praemia quatuor, his tribuenda, qui in explicandis totidem quaestionibus rem optime gesserint. *Prima* est, Ad reparandam humani generis salutem cur seruatore opus erat

Deo? *Altera*, Linguis Germanicae et Gallicae quo modo praestat, quo cedit Danica? *Tertia*, Quem ad finem modumque definiri a parentibus felicitatem liberorum externam fas est, et per reipub. salutem licet? *Quarta*, Quaenam feliciores fuerunt regiones, illaene, vbi de rebus administrandis scribere et proferre sententiam cuilibet liberum fuit, an hae, vbi id minus licuit? Lingua Danica conscribendae sunt disputationes, atque hunc in modum vt typis postea minoribus euulgatae sex plagulas non excedant. Hafniam porro mittuntur, Mummio librario inscriptae, liberataeque portorii onere, ante festum Ioh. Bapt. diem anni 1762. Disputationem scripto symbolo aliquo notat Auctor: idemque symbolum cum nomine suo, locoque vbi commoratur, indicio in schedula scribit, quam sigillo alieno consignatam adiungit. Mense a die Iohannis tertio praemia addicentur libellis, qui maxime probati existimatoribus fuerint, viris acutis et integris. Atque his libellis quae adiunctae sunt schedulae, resignantur solae: reliquae non resignatae remittuntur auctoribus, vna cum disputatione missa, si quidem ita voluerint. Praemiis qui donabuntur, nomina sua legent in commentariis rerum nouarum Danicis, locumque indicatum, vbi debitum labori praemium capere cum binis libelli exemplaribus queant. Ceterum ipse largitor munificus ignorari nomen suum voluit, praeclari facti praestitaeque ciuibus vtilitatis conscientia contentus.

Alte-

Alterum in ſimili genere exemplum nuper admodum praebuit Vir illuſtris: qui cum de animi humani praeſtantia et immortalitate nullus ipſe dubitet, inuitatos tamen voluit viros eruditos ad ſcribendam diſputationem breuiorem, qua, duce tum ratione, tum ſacro codice, animo, cum ſeparatus a corpore fuerit, cogitandi agendique facultas adſeratur. Auctorum arbitrio relinquitur, Latinane, an Germanica, Danica, Gallicaue lingua vti velint: modo diſputationes ſuas ante ſecundum Februarii diem a. 1763 Hafniam miſerint, rei curſoriae tabellario * reddendas. Quarum quae praeſtare reliquis videbitur, eius praemium erit numisma aureum, decem aureos Danicos aequans.

* Adreſscomptoir.

De Minerua, vrbis praeſide. Proluſio, qua nouos vrbis primariae Conſules ex omnium voto creatos Lyceo ſuo gratulatus ad Actum oratorium et valedictorium A. D. XXX. Sept. hora poſt merid. III. in auditorio primo inſtituendum, Maecenates, Fautoresque creſcentis in ſpem patriae iuuentutis ſummos, optimos quo decet, honoris et obſeruantiae cultu inuitat Ludouicus Guilielmus Balhorn, Lycei maioris Hannouerani Director. Hannouerae, CIↃ IↃCCLXI. Plag. duae in 4.

Haud facile exſtitit quondam vrbs, quin numen aliquod, cuius ſub imperio et tutela conti-

neri illa crederetur, praecipua quadam caerimonia coleret; licet, quis tandem cuiuis deus tutelaris vrbi praesideret, in arcanis imperii haberi vellent, nominatimque illud numen adorari nonnunquam vetarent, veriti, ne ab hostibus, maiorem religionis cultum pollicitis, deus ille euocaretur, et in aduersas partes traheretur. Non tamen omnes, sine discrimine, deos, liquet, hanc sibi vrbium curam et tutelam vindicasse; ad Iouem certe et Mineruam primas fuisse, in tanto negotio, partes delatas: maximo autem populorum bene moratorum consensu Mineruae fuisse, tanquam *vrbanae*, supplicatum. Itaque vt eruditorum alii de Minerua *sapientiae* olim *praeside*, de eadem *victrice*, *musica*, *medicinae praeside*, commentati sunt: ita doctissimus Balhornius, ab ipsa vrbe, quam ornat, veluti admonitus, de Minerua vrbis praeside, eleganti prolusione hac exponere, instituit.

Primum rei argumentum ducit ex illo *poliados* cognomine, quo saepissime insignitam legimus in Graecae antiquitatis monimentis. Fuit autem polias Minerua ab Atheniensibus in primis culta: deinde etiam a Troezeniis, a Cretensibus. *Poliatidi* Mineruae exstructum fuit a Tegeatis templum. *Poliouchos* etiam saepissime vocatur. Apud Romanos Mineruae *vrbicae* cultor summus fuit Cicero, qui non solum in sollemni illa votorum formula (orat. pro domo sua cap. 57) *custodem vrbis Mineruam* veneraretur: sed

signum

ſignum etiam deae, domi ſuae religioſiſſime cultum, in Capitolio dedicaret, addito titulo, Mineruae cuſtodi vrbis.

Cognomen illud cultumque deae poſtquam teſtimoniis veterum illuſtrauerat Auctor, quid ſit, docet, cur adeo magnifice de Minerua eiusque praeſidio, vrbibus praeſtando ſenſerint numinum cultores. Expedita videtur et patens caerimoniae ratio, *in eo poſita, vt fortitudine in* primis et doctrina, quae, ſi ad vitae actionem pertinet, ſapientiae nomen meretur, hac caerimonia declararent, iis opus eſſe, qui in moderandis ciuitatibus tuendisque vrbibus ſatis cuperent feliciter verſari.

Atque has laudes ipſas in Hannouerae ſuae Conſules, tum ſeniores illos, Bnſsmannum et Grupenium, tum nuper creatos Heiligerum et Alemannum mertiſſimo conferri laetatur Vir rei vrbanae non minus, quam litterariae ſtudioſus. Hanc deinde laetitiam ſuam opponit inuidorum vocibus, qui eum ſparſerant ſcholae pertaeſum apud exteros vel lautiores vel mitiores vitae conditiones circumſpexiſſe. Quos refelli quoque dicit actu hoc oratorio. Sequuntur nomina iuuenum oratorum, cum orationum carminumque argumentis.

Petr.

Petr. Paul. Desbans, Alton. Holsat. Specimen practicum de Hydrope peritonaei saccato, memorabili casu confirmato. Edidit D. Rud. Aug. Vogel, P P O. Gottingae, litteris Hagerianis 1761. Plag. 5 et dimid. in 4.

In praefatiuncula vicariae operae suae rationem reddit lecturis Editor celeberrimus. Cathedrae publicae destinata erat haec disputatio inauguralis, eamque ob caussam aliquot plagulae iam erant typis exscriptae, cum inopinato Candidatus acuta febre non solum comprehenderetur, sed eadem quoque iugularetur. Cuius cum monimentum superesse vellent amici hanc ipsam, quam propediem defensurus erat, disputationem: rogabant Vogelium, futurum eius moderatorem, vt suo et Candidati nomine emitti pateretur libellum, cuius ipse tum suasor tum adiutor fuisset. Qui ipsorum votis obtemperaturus, quidquid ad limandum opusculum faceret, contulit, spe fretus, fore, vt obscuro, de quo exponitur, morbo aliquid inde lucis adfulgeret.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, nummos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XI.

Die Veneris, non. febrvar. cIↃ IↃCCLXII.



HAFNIA, XXIX. IAN.

Die Ianuarii vicesimo sexto Christianus, regiae celsitudinis Princeps quantum in iuris scientiae partibus profecisset, sollemniter demonstrauit. Instituebatur examen praesentibus tum sanctioris consilii administris, tum aliis viris vel munerum splendore, vel eruditionis gloria conspicuis. Praeclare tuiturus iudicabatur amabilissimus Princeps ingenio et doctrina eam, quam sustiret, exspectationem imitandae paternae auitaeque virtutis.

Redierat hodie dies Christiani natalibus insignis;

signis: quo annum Princeps decimum quartum aetatis felici sidere ingressus est. Aula post sollemnem pompam * in publico coenabat * *. Coenam excipiebat celebritas saltatoria***.

* Gala.
** offene Tafel.
*** Ball.

Crastina lux pariter natalitiis splendebit Luisae, Principis regiae, duodecim annos natae.

Rei cursoriae curiam * dirigendam Rex tradidit illustrissimo Comiti Christiano ab Holstein, cubiculi regii praefecto.

* Generalpostamt.

Quae Sophiae Magdalenae nomine vocatur, nauis societatis mercatoriae Sinensis, lustratis hodie nautis, Dixenio duce, vt primum nacta fuerit tempestatem idoneam, litus Cantonense petet.

LVTETIA PARISIORVM. XXII. IAN.

In supremos Galliae praetores castrorumque praefectos * relatus fuit Broglius Dux illustriss. Quo nomine cum Versaliis die XVIII sacramentum apud Regem dixisset, bacillum ei, dignitatis insigne * * tradidit augustissimus. Verbi iuranti praeiuit *** Dux a Choiseul.

* Marschall von Frankreich.
** Marschallstab.
*** den Eid vorlesen.

Sun:

Sunt, qui hoc anno in Flandriam iter suſceptum iri a Rege, ſcribant.

VINDOBONA. XIII. IAN.

Die ſolis, qui menſis huius decimus erat, Bacchanalium hilaritates * coeperunt, ad cineralia * *, quae dicunt, ducendae.

* das Carnaval.

** Aſchermittwoche.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. XXX. IAN.

Ab auguſtiſſimo Ruſſorum Imperatore libertate donatus Hordtius, Comes, Berolini propediem exſpectabitur, Vratislauiam inde ad Pruſſiae Regem iturus.

RES LITTERARIAE.

Georgii Henrici Ayreri opuſculorum recentiorum biga. Gottingae, ſumtibus Victorini Boſſigelii, MDCCLXI. Plagulae octo in 4. Opuſculorum vtrumque veri nominis academicum eſt: pertinet enim ad impertiendam Candidatis nobilitatem academicam.

Prioris inſcriptio eſt, *Oratio de Caduceo ſi cui vnquam reip. certe Germanicae ſemper prae Haſta eligendo, in anniuerſariis ſacris Academiae Georgiae Auguſtae duorum creandorum Doctorum iuris cauſſa praeſente tum Gallici praeſidii praefecto celſiſſ. Principe Robecquio e Gente Montmorancia d. XXX Sept.* CIƆIƆCCLX

 habita.

habita. In medios strepitus bellicos motusque agminum armatorum vicinos cum incidisset hoc dicendi officium, conueniens tempori neque ab instituto alienum sibi argumentum delegit Iure-consultorum eloquentissimus. Exordium ducit a duobus, quae tribui reipublicae solent, temporibus: ac tametsi, salua togae dignitate, sago suum honorem, suaque ornamenta lubenter concedat; Germaniae tamen Caduceum Hasta vtiliorem videri pronuntiat. Vtriusque vim symboli, *sub Confirmationis principium*, exponit recitando Gellii loco, qui Fabium, imperatorem Rom. dedisse refert ad Carthaginienses epistolam, "vbi scriptum fuerit, populum Rom. "misisse ad eos hastam et caduceum, signa duo "belli aut pacis, ex quibus vtrum vellent, eli-"gerent; quod elegissent, id vnum, vt, esse "missum, existimarent; Carthaginienses respon-"disse, neutrum se se eligere, sed posse, qui "attulissent, vtrum mallent, relinquere, quod "reliquissent, id sibi pro electo futurum.,, Iam, postquam quae commoda ex pace, quae ex bello incommoda enascantur, eleganti descriptione, velut in compendio exhibuerat illustris Orator, caussasque attulerat omnium rerumpubl. communes, propter quas pacem eligere satius sit, quam bellum, vel humaniter, vt hodie quidem fieri solet, gerendum: ad caussas Germaniae proprias progreditur, confutatis ante philosophorum quorundam et politicorum ad excusandum bellum sententiis. Quas quidem caussas

ex

ex ipſa reipublicae noſtrae compage et forma prudenter collectas in oratione hac legi, quam contractas hic minutasque referre malumus. Ad togatam denique militiam conuerſus, Ayrerus, Decanus tum Ictorum ordinis, et promotor legitime conſtitutus, Candidatos duo, Erneſtum Lud. Mullerum, Francum, et Adolphum Frid. Trendelenburgium, Megap. I. V. Doctores creat, ſimul Themidis inſignibus, galero, libro vel aperto vel clauſo, annulis, oſculis quid ſignificetur, exponit. Peroratio vota illa ſollemnia complectitur.

Alterum opuſculum eſt, *De equitibus legum, Gallis Chevaliers des loix dictis, Proluſio quondam ſcripta ad ſollemniſſimam illam panegyrin, in qua praeſente indulgentiſſimeque annuente auguſtiſſimi Regis D. Georgii II. Rectoris magnificentiſſimi numine ſacratiſſimo Calendis Aug.* CIↃIↃCCXLVIII. *Candidati VIII ritu legitimo inaugurabantur. Quartum nunc auctius et emendatius edita.*

Quam coniunctum ſollemnitati et huius ſcriptionis argumentum ſit, ex ipſo iam indice intelligitur. Sollemni ritu in ipſa regia praeſentia creandi erant, qui *Equites legum*, Gallis, *Chevaliers des loix*, noſtratibus, *Ritter der Rechte* olim dicti ſunt. Non hic reſuſcitandam putauit illuſtris Ayrerus controuerſiam ab his, qui iura nobilium et doctorum inter ſe contenderunt, magnis quondam animorum motibus agitatam:

nec decidere quaestionem voluit ab eorum nonnemine motam, annon saltem doctores a summo Principe creati simul cum honoribus doctorum nobilitatis priuilegia consequantur? Sed cur Doctores, iuris in primis, equitum titulis insigniantur, quo haec adpellatio iure nitatur, quidue illi caussam dederit, sibi proposuit disquirendum. Nam illud certum est, non solum Romanos, sed etiam Italos olim, Gallos, et Germanos inter equites armorum et legum distinxisse, sicuti etiam nomina *scholastica baccalaureorum* statui equestri non minus nouimus esse accommodata, quam militaria gradibus Academicis tribui videmus. In hac disquisitione ad ea respiciendum est, quae equites cum doctoribus iuris, et hi cum illis habent communia. Iam antiquissimi prudentiae ciuilis doctores omnem rem pub i am in duo tempora diuiserunt, pacis alterum, alterum belli, idque simul probe inculcarunt, parua esse foris arma, nisi sit consilium domi. Quod ipsum Imperator Iustinianus in suo legum corpore non vno loco confirmauit. Elegans est Ciceronis in oratione pro L. Muraena, cap. 9. inter militiam castrensem et quasi castrensem comparatio. Consona prorsus est collatio militium et aduocatorum, quam in Rescripto Impp. Leonis et Anthemii deprehendimus, in L. 14. C. de Aduocat. diu. iudicior. Complures sunt iuris ciuilis textus, quibus eadem subinde militibus togatis, quae sagatis, iura et priuilegia tribuuntur; plures etiam imperii

imperii leges, quae parem doctoribus dignitatem cum equitibus adſcripſerunt. His copioſius probatis elegantem comparationem ſubiungit illuſtris Auctor. "In eo, inquit, inter ſe con-"ueniunt equites et doctores, quod hi non ma-"gis, quam illi, naſcantur, ſed fiant. Vtrim-"que probatae ſpecimina virtutis adeſſe debent, "antequam ad ſuum quisque honoris gradum "peruenire poſſit. Non creatur eques, niſi ab "equite rite creato; nec doctor, niſi a doctore "legitime promoto. Videmus ab iis praeſertim "equitibus, qui in certum volunt ordinem eque-"ſtrem recipi, aeque ius iurandum de rite ex-"plendis probi ſtrenuique militis officiis et ob-"ſeruandis ordinis ſui ſtatutis, exigi ac prae-"ſtari, atque a doctoribus, omnia, quae offi-"cium dignitasque doctoralis poſtulat, ſincere "optimaque fide ſe peracturos eſſe, iurato pro-"mittentibus; et ſicut illi paſſim ſimul aliis or-"dinibus renuntiant, fidemque ſuam ei vnice, in "quem cooptantur, adſtringunt; ita doctores "noſtri etiam, ſe in nulla alia Academia gradum "doctoralem vel denuo petituros, vel acceptu-"ros eſſe, iurare ſolent. Ritus inaugurationis "ſollemnis vtrimque aede ſacra iisdem fere cae-"rimoniis, parique pompa, diuerſis licet ſymbo-"lis ac formulis, ſuae cuique militiae conueni-"entibus, peragitur. — Quod autem apud il-"los gladius baltheusque militaris, cui accingi "ſolent, et aurea, quibus exornantur, calcaria, "vel torques, qui collo circumponitur; apud

"hos

"hos pileus, annulus et liber clausus apertus-"que significant. Vterque denique et eques et "doctor osculo pacis et concordiae excipi solet, "totumque actum honorificum vtrobique con-"uiuia claudunt plus minusue splendida. Suis "igitur quisque decoribus, insignibus, iuribus, "priuilegiis, dignitatibus, praerogatiuis atque "immunitatibus, peculiari diplomate confirma-"tis, muniti ornatique et eques et doctor inde "discedunt. Denique quemadmodum exempla "perplura exstant Comitum, Principum, Du-"cum ac Regum, qui equites se creari passi sunt: "ita nec desunt tantorum natalium Heroes, qui "ad honorum Academicorum, iurium in pri-"mis, fastigia adspirarint ac saepissime doctorum "cum equitum dignitate coniunxerint.„

Contigisse non semel illam gloriam Georgiae Augustae vt academicam nobilitatem ab ea peterent Equites: eaque ornari se voluisse illustrissimum Ducem de Newcastle, in adnotat. postrema, lubentes legimus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XII.

DIE MARTIS, V. ID. FEBRVAR. cIↄ Iↄcclxii.



HAFNIA. II. FEBR.

Heri ad aulam nostram de morte augustissimae Herae suae, et de imperio ad Petrum III. delato, sollemni more retulit illustriss. Liber Baro a Korff, Russiae legatus. Mortem Imperatricis cultu lugubri per hebdomadas quatuor prosequetur Aula, illudque luctus indicium proximo solis die edere incipiet.

Qui hic cum naui bellica hibernant, Russi die XXVII. Ian. Petro III. sacramento pietatis obstringebantur.

HOLMIAE. XXVI. IAN.

Diem sereniſſimi Principis regni heredis natalem reduxerat menſis huius viceſimus quartus. Qui cum diuino cultui, vt Solis dies, deberetur, in poſterum differebantur ſalutantium congratulantiumque Aulicorum officia. Qua quidem occaſione oblatus fuit a duce ordinum prouinciali * et reliquis oratoribus ** numus, quo ſuperioris anni, qui decimum quintum expleuerat *Principi*, memoriam ſeruari iuſſerant regni Suecici ordines. Eo die conuiuio Auguſtiſſimorum palam acto adhibebantur regni Senatores, aliique primae dignitatis viri, et ex quatuor ordinibus delecti complures.

* Landmarſchall.

** Sprecher der Stände.

PETROBVRGO. XII. IAN.

Schachowskio Principi, ſupremo adhuc in iudiciis procuratori,* munerum, quibus fungebatur, miſſionem dedit Imperator. In eius locum ſucceſſit ſummus vigiliarum praefectus ** Alexander Iwanowitſch Glebow, in rebus bellicis ſimul primus a commiſſis *** futurus. Illuſtriſſimus comes Iwan Larionowitſch Woronzow, Eques cubiculique praefectus, conſtitutus eſt Senator et ſummi ducis vicarius **** plenoque horum munerum ſtipendio auctus: idem ſimul

ſimul in Senatus Moſcouienſis curia ***** Adſeſſorem aget.

* Generalprocureur.

** Generalmaior.

*** Generalkriegscommiſſair.

**** Generallieutenant.

***** im Senatscomptoir in Moſcau.

MANTVA CARPETANORVM. XII. IAN.

Conſtitutis poenis vetuit aula, ne importentur in hoc regnum merces Anglicanae. Exilio multabuntur portitores *, ſi qui eiusmodi res inſcii admiſerint; grauiori etiam poena, ſi ſcientes peccauerint, adficientur.

* Zollbediente.

Gadibus * naues qua fieri poteſt diligentia inſtruuntur **. Earum duodecim iam adſunt omnibus rebus armatae. Mercatorias *** maiores fama eſt a Rege conductum iri, ſexaginta tormentis aptandas ****. Quo facto viginti ſnauium claſſicula ***** ibidem futura eſt.

* Cadix.

** werden equippirt.

*** Kauffarteyſchiffe.

**** für 6 Canonen durchbohren.

***** eine Eſcadre.

Praetorianorum cohortes * quatuor iter faciunt Caeſar-Auguſtam **. Quas propediem conſequentur Wallones praetoriani, deſultorio-

rum equitum legiones *** quatuor, omnesqua Catalonienſes. Barcinone **** ſolae remanebunt legiones Flandrica et Neapolitana.

* Batail!ons Garden.
** Saragoſſa.
*** Regimenter Dragoner.
**** Barcellona.

De nauibus Anglorum bellicis nouem, quae ad Tagi ripam ancoras iecerant, quatuor rurſus vela ventis dediſſe, Olyſſippone perſcribitur.

VERSALIIS. XXIII. IAN.

Naualis militiae praefectis * ſtipendia Regis beneficio liberaliter aucta ſunt. Idem claſſiariis praetorianis * * contigit. Viro illuſtri le Car, Academiae ſcientiarum, quae Rothomagi *** floret, ab epiſtolis, collata fuit equeſtris dignitas.

* Seeofficier.
** Marinegarden.
*** Rouen.

LVTETIA PARISIORVM. XXV. IAN.

Propediem videbimus promulgationem regiam de ſocietatis Ieſu ſodalibus. Eius haec capita futura dicuntur.

Primum, ſocietatis illius patres foro addicentur iudicioque regni ſenatus atque praeſulum.

Secundum, Praeerit illis Vicarius generalis, qui mores eorum factaque praeſtet. Hunc

lice-

licebit aulae mouere loco, minus sibi probatum.

Tertium, Quotannis in societate Sorbonica disputabunt sodales.

Quartum, Prohibentur typis euulgare quidquam, quod non ante probauerint Vniuersitati litterariae et librorum censoribus.

Quintum, ordinis illius sodalibus extraneis versari in Galliae regno non licebit.

Sextum, neque per se ipsi, neque aliis interuenientibus vllo commercii iure misceantur.

Septimum, Ecclesiae Gallicanae sententiis decretisque subscribant.

RES LITTERARIAE.

Confessio, oder Bekenntniß des Glaubens etlicher Fürsten und Städte, überantwortet Kaiserlicher Majestät zu Augspurg Anno 1530. *Nach den ältesten und besten Exemplaren, mit durchgängigen Anmerkungen, historischen Erläuterungen und Erweisen aus der Schrift, nebst einer Vorrede von der Gleichgültigkeit in der Religion, als einer Hauptursache der immer mehr anwachsenden Freydenkerey, herausgegeben von D. Iohann Carl Koken, der Evangelischen Kirchen und Schulen in Hildesheim Superintendenten. Hildesheim, gedruckt in der Waysenhausbuchdruckerey.* 1762.

H. e. Confessio fidei Principum aliquot et ciuitatum, augustissimo Imperatori exhibita Augustae Vindelicorum a. 1530. Ad vetustissima

optimaque exempla cum adnotationibus perpetuis', illustrationibus historicis, ductisque ex ſ. codice probationibus cet. edita a Ioanne Carolo Koken, Doctore Theol. et eccleſ. euangel. ſcholarumque Hildeſ. antiſtite. 1 Alphab. 6 plagulae, in 8.

In praefatione, quae quatuor plagulas excedit, primum docet Vir ſumme ven. perſuaſionem de *religionum aequalitate cauſſam eſſe principem* licentiae illius, quam gliſcere in dies videamus, obtrectandi doctrinae diuinitus patefactae. Prauitatis illius poſtquam originem naturamque erudite tradidit, rationem que confutauit eorum, qui diuerſarum religionum conſtituere concordiam voluerunt: vtrique malo optimum remedium opponit conſtantiam in fide, quae adiuuetur in primis cognitione librorum ſymbolicorum. Deinde edendae confeſſionis Auguſtanae inſtitutum exponit. Ex quo ſanctiori muneri praefuit vir de eodem inſigniter promeritus, primam ſibi curam in eo ponendam putauit, vt praeter codicem ſacrum et catechiſmum Lutheri, formulam etiam Auguſtanae confeſſionis in manus traderet coetus ſibi commiſſi. Itaque diſtributis, quae erant, exemplis, ipſius denuo edendae conſilium cepit, ſed ita edendae, vt quaecunque ad eam rectius intelligendam, et accuratius tenendam facerent, ſimul praeſtarentur. Eius conſilii auctorem laudat Kokenius illuſtrem quondam Theologum

E. S.

E. S. Cyprianum, in Auguſtanae confeſſionis hiſtoria a. 1730 edita. Atque ad illius rationem conformare opuſculum hoc inſtituit.

Primo hic loco comparet A. C. *breuis hiſtoria*, quae rem omnem dilucido ordine, quinque capitibus, per quaeſtiones et reſponſiones exponit. Qua narratione praeparatus lector et excitatus rectius ad cognoſcendum fidei ſymbolum accedit.

Sequitur A. C. *formula ipſa*. Huius quidem contextus ex peruetuſto et optimo exemplo deſcriptus eſt, quod in formulae concordiae libro Dresdae a. MDLXXX vulgato, legebatur. In quo tamen Editor orthographiam, rudiorem illam, ad noſtrae morem aetatis paullulum immutauit. Subiecit etiam, praeter lectiones aliarum editionum varias, adnotationes non vnius generis, vtiles omnes lectuque digniſſimas. Sed nihil hanc editionem magis commendare vtilitati iuuenum debet, quam ſubiuncta vnicuique capiti propoſita, cum additis et explicatis ſimul dictis ex ſ. codice probantibus.

Formulam ita explicatam ſequitur *illuſtratio hiſtorica*, h. e. index, lexicorum ordine compoſitus, quo enarrantur Principes, doctores eccleſiae, haeretici, libri cet. quorum in ipſa confeſſione facta mentio fuerat.

Apprime nobis vtile visum est hoc venerandi Kokenii institutum, dignumque, quo vti iubeantur quicunque docendae iuuentuti operam nauant praeceptores, tum priuati, tum publici. Multo facilius ex hoc libro multoque iucundius caelestis doctrinae initia hauserit iuuentus, quam ex diffusis quorundam, qui catechismi nomine abutuntur, rudimentis.

Die XXVIII Ianuarii conuentum sollemnem celebrauit Academia scientiarum litterarumque elegantiorum Berolinensis, Regis augustissimi natalicia simul recolens. Praelegebat qui Academiae ab epistolis est, Formeius, Vir celeberr. conuersas e Graeco sermone Maximi Tyrii disputationes. Eum excipiebat illustriss. Comes a Redern, supremus aulae praefectus, qui commentationes dioptricas proponebat ad Neutoni diciplinam conscriptas. Posthunc iterum Formeius audiebatur, Humberti, vigiliarum, dum viueret, tribuni, elogium recitans. Franchevillius denique, aulae consiliarius, finem imposuit consessui dissertatione, qua contra vulgarem historicorum sententiam Chlodoueum I. docebat e legitimo connubio susceptum; eiusque matrem, Basinam vel Bissinam, non vxorem fuisse, sed filiam Besini vel Bissingi, Thuringiae regis.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XIII.

DIE VENERIS, PRID. ID. FEBRVAR. cIↃ IↃCCLXII.



NEAPOLI. XII. IAN.

Malumus nos quidem integri manere, nulliusque immiſceri partibus: interim caſtella noſtra militibus, cibariis*, et adparatu bellico** inſtruimus. Eadem ratione in Sicilia rebus noſtris prouidemus. Auguſtam*** munimentis firmamus et praeſidiis. Barcinone nobis aduexerunt nuper tres naues Hiſpanae maiores inſtrumenta bellica impedimentaque**** bene multa, promtuariis noſtris inferenda.

* Vivres.
** Munitions.
*** Agoſta.
**** Attirails de guerre.

ROMA. XIX. IAN.

Die XVI. transeundi per ditionem pontificiam * potestatem dedit Pontifex copiis Neapolitanis, statum praesidii, quem vocant, et medii cuiusdam Principis regiones ab hostili impetu defensuris.

* Durchmarsch durch den Kirchenstaat.

MEDIOLANO. XIII. IAN.

In Ticino flumine insula est, quam sibi Pedemontani aeque ac Mediolanenses vindicare coeperunt. De ea nuper ab vtriusque partis accolis non sine sanguine certatum fuit. Qui missi a Consilio nostro in rem praesentem fuerant, Geometrae, intra nostros fines sitam insulam renunciarunt. Nihilo tamen secius a Praefecto Nouariae in insulam traiecti milites, nostros inde agricolas eiecerunt. Vindobonam itaque misit Praeses noster, Mutinae Dux, certum hominem * cum litteris, quae de vi illa deque Geometrarum indiciis ad aulam referrent.

* einen Expressen.

AVGVSTA TAVRINORVM. XVI. IAN.

Multus hic sermo est de foedere quodam vel inito, vel ineundo. Georgium Pittium, fama fert, ab aula nostra exspectari, Angliae cum auctoritate administrum.*

* Bevollmächtiger Minister.

In Delphinatu quindecim millium agmen Gal-
lorum

lorum ſub imperio Dumenilii, Marchionis, coactum iri; Auſtriacum etiam agmen in Longobardia * exſpectari, audimus.

* Lombardey.

Qui a legionibus ſuis ſignisque, ſumto commeatu *, diſceſſerant militum praefecti, redire primo quoque tempore iuſſi ſunt.

* mit Urlaub.

VINDOBONA. XXIII. IAN.

Petroburgo nudius tertius aduenit curſor, de auguſtiſſimae Imperatricis deceſſu nuntium perferens. Cuius litterae reliquae fidem faciunt, fore, vt quaecunque rata habuiſſet Imperatrix, eadem quoque comprobet Succeſſor auguſtiſſimus, rem que communem conſtanter tueatur.

Curia hic conſtituitur chartae ſigno publico ſignandae *: idque negotium datum eſt Joſepho a Saffram.

* Papier-Stempelamt.

Vitam nuper cum morte commutauit illuſtr. Liberbaro a Knorr, in auguſtiſſimi Imperatoris et Imperii Senatu aulico conſiliarius *.

* Kaiſerl. Reichshofrath.

PETROBVRGO. XIX. IAN.

Ad funus imperatorium ſollemni et exquiſitiſſima pompa ducendum omnia nunc compa-

N 2 rantur.

rantur. De cultu quidem lugubri promulgatio * typis iam exſcripta eſt. Vbique grauiſſimi luctus ſignificatio adparet.

* Trauerordnung.

Die V. Ian. grauiſſima valetudine per menſes multos vexatus naturae conceſſit Petrus Schuwalow, rei tormentariae in expeditione praefectus *. Cuius memoriam nominis, propter inſigne meritum,celebrabit cohors tormentaria**.

* Feldzeugmeiſter.

** Artilleriecorps.

LVTETIA PARISIORVM. XXIX. IAN.

De caede, qua in Verſalienſi palatio occiſus ferebatur ſatelles regius, ſcribere nunc exploratius poſſumus. Nulla manu inimica vulneratus fuit ille planus: ſed vulnus, idque mediocre, ſibi ipſe inflixit, eo conſilio, vt praemii nonnihil auferret. Cum ſuis ſe verbis et confeſſione iugulaſſet, in caſtellum Pariſinum * coniectus eſt.

* Baſtille.

ROTERODAMO. VI. FEBR.

Euulgatam hic legimus formulam, qua M. Britanniae bellum publice indixit Rex catholicus. Subſcripta eſt in palatio Buen Retiro, d. XVI. Ianuar. 1762.

EX LITTERIS WESTPHALICIS. XXX. IAN.

Epiſtolis ex Belgio arcanis ſi fides habenda eſt, Britan-

Britannicarum partium erit gens quaedam adhuc media: iamque adeo copias tum Bauaricas, tum Palatinas conduxit, ſtipendia ſua merituras.

RES LITTERARIAE.

Inueſtigationes antiqui iuris Romani. Auctore *Perello. Aretii* 1761. 8.

Non deeſſe Italiae Iureconſultos, qui cum accurata iuris et inſtitutorum, quibus vſi quondam Romani ſunt, cognitione linguae etiam veteris ſcientiam coniungant, inter recentiora exempla hoc etiam Perelli opuſculum luculenter probat. Vtiliſſimas illud ad cognoſcendum ius antiquum diſputationes complectitur, Romano et eleganti orationis genere conſcriptas. Haec autem capita habet. 1. de actione ex lege XII. Tabularum de ligno iuncto, et emendatione fragmenti eiusdem legis. 2. de perpetua mulierum tutela, de perpetua ſacrorum conſeruatione, et exemtionibus, quae fiebant ſacrorum interimendorum cauſſa. 3. de legibus iudiciariis, et de cenſoriis notis. 4. de ampliatione, comperendinatione, et diſcordantibus iudicum ſententiis. 5. de veteri inſtituto populi Romani in ampliſſimis viris ad ſacerdotia deligendis, et de Cenſorum in ſenatu legendi poteſtate.

Grammaire françoiſe, ou la maniere dont les per-

sonnes polies et les bons Auteurs ont coutume de parler ou d'ecrire. Ouvrage clair et precis, dans lequel les principes sont confirmes par des exemples choisis, instructifs et agreables: par l'Abbé de Wailly. A Paris, chez Barbou. 1761.

Fieri plerumque ſolet, vt qui vernaculae ſuae praecepta tradere inſtituunt, non ſatis ordine ac ratione procedant. Francogallorum in primis hoc vitium eſſe ſolet: qui haud raro ad ſcribendam *Grammaticam accedere ſolent litteris parum* ac leuiter imbuti. Abeſt ab illo vitio Wallius, cuius hic libellum laudamus bene ordinatum, ſubtilem, nitidum. Neque minus euitauit ſiccitatis vitium, ſollemne illud Grammaticis, et iuuenili ſtudio, cui id genus libri comparantur, maxime noxium. Solet enim aetas illa, phantaſiae plerumque viuidae nimis indulgens, refugere praeceptorum ieiunitatem, praeſertim ſi, quae illuſtrandi cauſſa ſubiiciuntur, exempla non ſimul iucunditate aliqua et ſuauitate alliciant. Praecepta noſter et leges loquendi, quantum fieri potuit, ſeruata perſpicuitate, contraxit: exempla ſelegit ea, quae delectationis aliquid, et vel ad ornandum ingenium, vel ad conformandum animum vim haberent. Horum alia ſententiam aliquam praeclaram offerunt modo ſoluta oratione, modo ligata: alia acutum aliquod epigramma, vel ingenioſe ſciteque dictum praebent. Sed ſunt alia etiam, quae Grammaticam hanc a vulgarium magiſtrorum

libellis

libellis segregent, quae quidem ad artem proprie pertinent: in casibus praecipue et articulis, quos dicunt. Eos quidem omnes reiectos vult; horum unum tantummodo admittit, auctores secutus Oliuetum, Girardum et Duclosium. Quae collectiua et partitiua vocat Grammaticorum consuetudo v. c. *la plûpart un nombre*, *une foule* cet. ea a non partitiuis v. g. *l'armée*, *la republique*, cet. vtiliter distinguit: illa numerum pluralem; haec singularem postulant. Alia etiam subtilitatis genera ad linguam Gallicam transtulit.

Conspectus originum typographicarum a Meermanno proxime in lucem edendarum, in vsum amicorum typis descriptus. 1761. Non satisfecerunt qui adhuc de artis typographicae origine commentati sunt, illustri Meermanno, Ciuitatis Roterodamensis Consiliario, de litterarum studiis praeclare durum promerito. Itaque conspectum hic et velut epitomen eruditis existimatoribus exponit operis maioris, propediem secuturi. Recedit ille ab opinione communi et plerorumque adhuc calculis comprobata. Laurentio Costero tribuendam inuentae artis gloriam existimat. Et sunt sane quae eius rei argumenta profert ita comparata, vt non facile confutari posse videantur.

Tigur.

Tiguri duplex munus elegantiorum litterarum cultoribus parat officina Orellii et Gesneri.

Eorum alterum ab ipsius *Gesneri* ingenio profectum est. Exscribuntur denuo dulcissimi poëtae opuscula typis Latinis, charta nitida in forma octaua maiori. Praeter noua viticularum iconumque ornamenta, ab auctore ipso delineata et caelata, addentur ante *vulgatis scripta recens confecta*. Atque haec volumen quartum implebunt. In his erunt de inuenta nauigatione carmen: Tragoedia vnius actus, Erasti nomine inscripta: Fabula pastoritia, quam Euandrum nominauit.

Alterum *Shakespearii opera* exhibebit ex Anglico sermone in Germanicum conuersa. Poëtam hunc quanti faciant Angli, et qui inter nostros ad eorum se rationem componunt, nemini fere ignotum erit. Archetypi quidem vim ac nomen merito obtinet. Interpretatur eum Wielandus, suo et ipse ingenio scriptisque nobilissimus. Operum volumen primum prelo iam subiectum est.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XIV.

DIE MARTIS, XIV. CAL. MART. cIↃ IↃCCLXII.



HAFNIA. VIII. FEBR.

Heri, facta audientia, primum ad aulam aditum habuit qui nuper aduenerat, Regis Sueciae cum auctoritate legatus.

Significata hodie fuerunt ſponſalia Viri excell. Caroli a Iuel, Regis a conſiliis ſanctioribus et in Fionia praefecti, atque generoſiſſimae Virginis, Amaliae a Raben, quae a miniſterio adhuc fuit* regiae Principis natu minimae.

* Hofdame.

In cuſtodiam traditus eſt, aliquot ante diebus

redux, praefectus naualis, qui, cum praesidio additus fuisset nauibus mercatoriis, earum perquiri vnam capique in mari mediterraneo passus erat. De eius nunc facto cognoscunt iudices.

TRIPOLI BARBARIAE. XXII. NOV.

Vexilla Hetruriae naualia cum parum curari a Satrapa * Turco intellexisset mercatorum Tuscorum iudex**: magnam ei pecuniae vim obtulit, veniam que Tripolitanis promisit intrandi portus Tusciae omnes. Accepit conditiones Satrapa, statimque Liburnum et Vindobonam missus est certus homo, qui eas augustissimi Imperatoris nutu comprobandas *** curaret.

* Bassa.

** Consul.

*** ratificiren.

GENVA. XVII. IAN.

Quae cum rebellibus consilia agitant Angli, ea displicere sibi magnopere, declarauit Genuensium Dux, rerum Anglicarum procuratori*. Itaque hic cursorem ablegauit Londinum, eius rei caussaeque nuntium.

* Englische Agent.

Allatae ex Hispania litterae consilia inter Regem catholicum et pagos Heluetiorum * agitari perhibent de duodecies mille Heluetiis in stipendia Hispanica transcribendis.

* Schweizercantons.

MEDIO-

MEDIOLANO. XX. IAN.

Quod inſtitutum a Luſitaniae et Sardiniae aulis erat, ineundae pactionis negotium, illud tantum non transactum dicitur. Laurianus Comes Auguſta Taurinorum Olyſſipponem proficiſcetur, futurus apud Regem fideliſſimum cum auctoritate adminiſter.

VERSALIIS. XXVII. IAN.

Valetudine ſatis commoda gaudet qui grauiter adfectus et mortuus adeo ferebatur, Bauariae pater purpuratus * idemque Leodienſis praeſul **, Regemque ſingulis hebdomadibus bis inuiſit.

* der Cardinal von Bayern.

** Biſchof von Lüttich.

Ex die menſis XXV hic verſatur, adſumto Luſatiae comitis nomine, Xauerius, Poloniae et Saxoniae Princeps regius.

LVTETIA PARISIORVM. I. FEBR.

Quae Telone Martio * inſtruitur claſſicula **, naues quidem bellicas maiores quinque, totidem ſtructurae leuioris ***, et liburnas **** tres habebit. Quae cum exierit, Gibraltariam haud dubie petet: caſtri illius latus maritimum clauſura, quo tempore terreſtre latus premet agmen Hiſpanicum.

* Toulon.

** Eſcadre.

*** Fregatten.

**** Xebequen.

Qui Regis in publicis rebus adminifter erat, Marchio a Puyfieux, eo fe munere abdicauit. Quo rurfus ornatum voluit Auguftiffimus Marchionem ab Offune, fuum ad aulam Hifpanicam legatum, confiliique perfectorem ibidem feliciffimum.

LONDINO. XXIX. IAN.

Briftolii claßiculam praedatoriam * armat mercatorum focietas, in mare pacificum ** exituram. Quae fi flectere promontorium Hornianum *** potuerit, nullo deinceps negotio, vexandis Chiliae, Peruuiae et Mexicae oris, maximos quaeftus praedasque fecerit. Similem ab aula parari expeditionem fcimus. Cui praefuturus dicitur Cookius, captis ante hac, in finu Mexicano, S. Martini, et S. Bartholomaei infulis nobiliffimus.

* eine Efcadre Caper.

** Südfee.

*** um das Cap Horn kommen.

RES LITTERARIAE.

Neues gemeinnützriges Magazin für die Freunde der nützlichen und fchönen Wiffenfchaften und Künfte. Amant alterna Camoena. VIRGIL. Auf das Jahr 1760. *Erfter Band.* it. *Zweyter Band. Hamburg, zu finden auf dem Comtoir der Königl. Dänifchen und Schleswigholfteinifchen fahrenden Poft, wie auch auf allen übrigen Poftämtern, und in allen groffen Buchläden Deutfchlands.* H. e.

H. e. Promtuarium nouum, et communiter vtile his, qui ſcientias artesque vtiles et pulchras amant.

Praeſtantiſſimae collectionis ſingulis menſibus particula editur, menſis nomine inſcripta, ſenis plerumque vel octonis plagulis conſtans. Cuiusmodi particulae ſex volumen conficiunt.

Promtuarii nomine tametſi ex aliquo tempore non vnius generis collectiones apud Anglos, Francogallos, Germanos inſignitas nouimus: earum tamen nullam vel varietate rerum, vel vtilitate, cum hac noſtra comparandam putamus. Reperient hic quo delectentur, quod in vſum conuertant omnis generis ordinisque lectores: eruditi, mercatores, ruricolae, artifices, et quicunque demum cognitione aliqua ingenua vitaeque humanae vtili ducuntur. Multa hic ſunt ex Philoſophia, morali in primis et naturali, depromta: nonnulla ex diſciplina Mathematicorum. Alia ad politicen, ad ciuitatem prudenter moderandam, ad cultum vitae rectiorem elegantioremue pertinent: alia ad hiſtoriam, ſiue ciuilem, ſiue litterariam. Recenſentur nonnunquam libri noui, referuntur facta memoratu digniora. Soluta oratione conſcriptis adduntur ligatae ſpecimina ſelecta quaedam, odae, epigrammata: vel alia generis poëtici, fabellae orientales, allegoricae; dialogi ex campis Elyſiis cet.

Volumini subiunctum videmus capitum s. argumentorum cuiusque mensis indicem. Verum, age, vt gustum aliquem capiant lectores, eorum hic primum ponamus. Mense Ianuario haec leguntur.

1. Infinite maximi et minimi, s. vniuersi, contemplatio moralis.
2. Colloquium duorum amicorum per ambulationem vernam.
3. Cogitationes politicae de Commerciis.
4. de controuersiis religionis caussa agitatis, Epistola ad amicum.
5. Vita Franc. Bac. Verulamii, supremi quondam Angliae Cancellarii.
6. Ode Pindarica in natum orbis seruatorem.
7. Veri Philosophi character.
8. Consequendae laudis, nominisque per orbem litterarium illustrandi media.
9. de repugnantibus hominum notionibus.
10. Cogitationes per aestiuae noctis silentia, in castris Squoretianis, cum triduo ante commissa esset nobilissima ad Collinum pugna.
11. Dionis et Gelonis in campis Elysiis colloquium.
12. Frugum vbertas singulari ratione augenda.
13. de ranarum in hortis olitoriis vtilitate.
14. de vitulis aqua feni mixta lacte alendis: quo quidem modo vnius vaccae lacte educari simul quatuor vel quinque vituli possunt.

15. Com-

15. Conſilia diuinae prouidentiae adſerta vindicataque. Narratio orientalis.
16. Noua litteraria, et de libris quibusdam iudicia.
17. ad Eraſtum verſiculi.
18. Epitaphium.
19. Epigramma in Cratinum.

Ex hoc vnius menſis indice intelligi rerum iucunda varietas poteſt. Sed in ſequentibus ea maior etiam et vberior adparet. Nonnunquam recenſio ſubiicitur fabularum Hamburgi in theatro Kochiano actarum. Neque ornamenta iconum deſunt, quibus inſtrui et commendari libri nitidiores ſolent. Tomo primo praefixa conſpicitur effigies Ewaldi Chriſtiani a Kleiſt, cuius elogium exhibet particula ſexta. Tomus ſecundus terrae globum habet colorum varietate ita diſtinctum, vt adpareret, quibus in locis magis minusue commode obſeruari poſſet futurus tum Veneris per ſolem tranſitus. Additae ſunt figurae binae aere inciſae, quae phaenomenon illud ad Aſtronomorum rationes explicant, cum luculenta demonſtratione, quam promtuario noſtro inſerendam miſerat Petroburgo Aſtronomus celeberrimus.

Ceterum continuatur elegantiſſima collectio, titulumque ſuum tum vtilitate argumentorum, tum varietate, pulchre tuetur.

Vita del Capitano Francesco Laparelli da Cortona. Liburni apud Fantechium 1761. 1. vol. in 4. Cortonae, Hetruriae vrbe propter Academiam antiquariam nobili, natus erat a. 1521 Laparellus. Arti mechanicae et militari a puero deditus, eas in vtraque progreſſiones fecerat, quibus amicitiam mereretur Cosmi I. Magni Hetruriae Ducis. A Pio IV. Pontifice Centum Cellis * praefectus et muros vrbis et portum egregiis operibus muniuit. Anno 1560 Romam arceſſitus munimentis firmauit arcem a S. Angelo dictam: nec minus *S. Petri baſilicam ad Michaëlis Ang. Buonaroti* deſcriptionem exaedificauit. Inde cum Melitam conceſſiſſet a. 1565, Valetam munitionibus ita ſepſit, vt fere inexpugnabilis videretur. Poſtea in Cretam * * abiit, Venetorum, quibus cum Turcis pugnandum erat, ſtipendia meriturus, ibique a. 1570 fato conceſſit. Obſeruationes praeclaras continet haec militis Itali vita, vnde non parum lucis inferri illius aetatis hiſtoriae poſſit.

* Civita-Vecchia.

** Candia.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XV.

DIE VENERIS, XI. CAL. MART. cIↃ IↃCCLXII.

CONSTANTINOPOLI. XXIX. DEC.

In templum coenobii, quod Galatae habent ordinis Dominici ſodales, cum armata manu irruperat eius loci Palatinus.* Itaque de vi conqueſtus Legatus Gallicus, cum de facto illo vt ſibi ſatisfieret, poſtulaſſet, Palatinum delicti veniam petere a Legato iuſſit purpuratorum aulae Turcicae princeps**. Morem geſſit Palatinus, eo ſimul perfugio vſus, vt diceret, imprudentem ſe exceſſiſſe modum in commiſſo ſibi negotio. Itaque ſperamus, fore, vt qui in cuſtodiam dati ſunt, Armenii, propediem quoque emittantur.

* Woywode.

** Groſsvizier.

MESSINA SICILIAE. XXI. DEC.

Die VIII. Dec. e portu Melitensium soluit velox Gallica, Morisii ductu nauem quam Turcorum Imperatori restituendam curat Rex christianissimus (corona Ottomanica vocatur) Constantinopolin comitatura Quod cum audisset velocis Anglicae in portu nostro praefectus, statim vela fecit consequendam m nauium caussa. Quas vtrum adsecutus sit, nondum scimus.

LVTETIA PARISIORVM. I. FEBR.

Briuate Portu die XXIV. Ian. profectam esse classem, complures inde nuntii referunt: quorum recentiores etiam illud addunt, per triduum continuum vsam esse secundo, quo exiisset, vento. Quae quas nominatim oras petat, tametsi nondum satis compertum habemus: Martinicam tamen ipsi propositam esse, communis fert opinio. Frustra itaque fuit, qui prope Vxantium* insidiis eam adpetebat cum octo bellicis maioribus vnaque veloci, Spryus, Anglorum praefectus naualis: qui nunc Plimuthum abiisse putatur. Primo quoque tempore Telone Martio** exitura est ornata ibidem classicula.

* Ovesant.

* * Toulon.

Qui Burdegalae negotiantur Iudaei Lusitani Regi nuper vltro obtulerunt viginti quatuor millia librarum Gallic. in rem naualem impendenda.

In

In portum Gaditanum ex India occidentali prospero cursu delatae sunt quatuor naues Hispanae, mercium, quae inde aduehuntur, indices*.

* Registerschiffe.

Victoriam, celsissimam Galliae virginem *, coniugem Regi catholico despondit fama satis constans. Quam mense Maio per montes Pyrenaeos Mantuam Carpetanorum concessuram, volunt.

* *Madame de France.*

LONDINO, II. FEBR.

Mensis praeteriti die XXIX. superiori Senatus curiae varias litteras exhibuit Comes ab Egremont, quae ad diremtam cum Hispanis amicitiam spectarent. Quarum cum lectus fuisset index: litterae ipsae futurae deliberationi reseruabantur.

Die XXX. Caronio* aduenit nauis tabellaria**: quam quidem, hoc rerum statu, vltimam ab Hispaniae oris futuram putamus. Postridie eius diei reducem vidimus Bristolium Comitem, nostrum ante hac in aula Hispanica Legatum.

* Corunna.

** Paketbot.

REGIO MONTE. IV. FEBR.

Celsissimum Holsatiae Principem Georgium Ludouicum summum tum copiarum in Germania ducem*, tum Holsatiae suae Praesidem * *

esse voluit augustissimus Russorum Imperator. Ipsius quoque filios sereniss. Tribunos dixit legionum in Holsatia imperatoriarum.

* Generalissimus.

** Generalgouverneur.

Die XXIII Ianuar. Petroburgum hinc discessit, ab Imperatore amicissime inuitatus, Princeps celsissimus cum splendido et numeroso comitatu. Eum propediem vna cum binis filiis sequetur Coniux serenissima.

MONACHIO. XXVI. IAN.

Heri hinc discedebant in Saxoniam suam reuersuri regiae celsitudinis Princeps Saxoniae heres, ipsiusque coniux et sorores serenissimae. Sororem suam Principesque regias magnifice donauit Bauariae Elector gemmis aliisque rebus pretiosis, quas in mensula quaeque sua inter mundi muliebris adparatus* dispositas deprehendit. Similiter amplissimis praemiis remunerata est Saxonis coniux aulae Bauaricae tum purpuratos, tum ministros reliquos. Numeratae pecuniae haud leuis summa tributa fuit culinariis, stabulariis, pedisequis.

* Nachttisch.

ALTONA. XIX. FEBR.

Slesuicensium litterae sponsalia nuntiant Serenissimi ducis Sonderburgici, Virginisque ex domo Ploenensi serenissimae, natu minoris.

Copias

Copias Anglicanas, rumor eſt, reuocatum iri ex foederato exercitu: et earum in locum ſucceſſura aliunde triginta militum millia.

Magdeburgi qui captiui detinentur Ruſſi, paullo nunc liberalius, quam antea, haberi dicuntur.

Quae inde aeque ac Berolino adferuntur, litterae ſpem bonam oſtendunt pacis breui conſtituendae.

RES LITTERARIAE.

Specimen Obſeruationum miſcellanearum in Suidam. Halae Magdeb. 1761. Plag. 48. in 4.

Diſputatio eſt lectu cognituque digniſſima, quam auctore et praeſide *Ioanne Ludov. Schulzio*, Philoſophiae Prof. et Seminarii regii Inſpectore, in cathedra diſputantium habuit Io. Herc. Haid, Vlmenſis.

De Suida tametſi inſigniter promeritus erat ſummus linguae Graecae exiſtimator Ludolphus Kuſterus, qui, poſt diatribam de Suida, Lexicon ipſum Cantabrigiae a. 1705 tribus voluminibus in fol. edidit: multa tamen aliis reliquerat emendanda, addenda, expungenda. In his feliciter poſt Kuſterum verſati ſunt viri eruditiſſimi, Lam-

bertus Bosius, Io. Alberti, Alex. Politus, et Io. Aug. Ernesti Quorum diligentiam imitaturus Schulzius ea hic specimina protulit, qae summam in eo et eximiam tum auctorum Graecorum, tum Suidae notitiam testentur. Magnam in primis iudicandi dexteritatem prodit praemissa huic disputationi *Prolusio critica*, qua de pretio huius Glossarii collectis caussis ac rationibus existimat. Cuius cum errores notat, eos non soli Suidae, sed his quoque tribuendos dicit, qui sua hic atque illic addiderint. In illis reprehendit 1.) Glossarum ordinem non satis aptum, et ad litterarum rationem dispositum: quem cum emendare debuissent editores varii, qualem inuenissent, reliquerint; 2.) falsas significationes bene multas vocabulis Graecis tributas; 3.) laudata, quae nihil ad rem facerent, auctorum loca, vel abrupta nimis, et vitiata; 4.) explicationes vocum et formularum repugnantes; 5.) allatas a suida narrationes rerum factorumque minus accuratas, et confusas nonnumquam res diuersissimas; 6.) Eadem saepius repetita, multaque sine adiuncta explicatione tradita cet.

Sed cum multa etiam praeclara et laude digna esse in hoc Suidae Glossario fateatur doctissimus Schulzius, iis tamen enarrandis supersedendum sibi putauit, cum nemini ignotam crederet celebrati operis vtilitatem. Potius obseruationes in illud suas ad litteras quinque priores protulit, in quibus cum hoc potissimum ageret, vt fontes,

tes, vnde hauserat Suidas, detegeret, diligenter eum, nec sine prospero successu, cum Eustathio, cum Homeri Aristophanisque scholiastis, cum Hesychio denique, Polluce et Harpocratione contendit et comparauit. Praeterea quae a Kustero et aliis annotata erant, examinauit haud raro, suasque tum animaduersiones tum coniecturas adiunxit. Atque illa diligentia factum est, vt loca non pauca illustrata hic et declarata reperiant, qui accuratiorem linguae Graecae cognitionem quaerunt. Iidem nobiscum optabunt, vt institutum hoc vtilissimum persequi velit Auctor celeberrimus, et in Graecis aeque ac disciplina critica optime versatus.

Quae apud Lipsiensis Collegii philobiblici nomine floret, societas gratulata est Tellero, sodali suo, Doctoris theologi honorem, interprete M. Christophoro Friderico Loesnero. Qua occasione obtulit hic *Obseruationes quasdam ad veteres interpretes Graecos libri prouerbiorum Salomonis*, plagulis 2. in 4. editas. Conscripserat ante annos aliquot Io. Frid. Fischerus, Scholae Thom. Conrector clarissimus, Specimen clauis versionum Graec. V. T. Atque eius hic exemplum laudabili studio sequitur Loesnerus. Cum verbis codicis hebraei contendit veteres illas versiones, illustrandi gratia, indeque Lexicon Stephanianum

voca-

vocabulis nonnullis ac significationibus auget; quin ipsius noui foederis locis quibusdam lucis nonnihil inferre studet. Haud raro ad explicanda interpretum suorum verba, tum glossaria, tum Hesychium in consilium adhibet. Est quoque, vbi Montfauconii in eos animaduersiones emendet. Vtilis haec interpretandi ratio est, et ad explanandum codicem sacrum inprimis apta; sed hanc cautionem habet, ne exclusis subsidiis reliquis adhibeatur, sola, vel maior ei, quam decet, decidendi auctoritas tribuatur.

Proximo Martis die qui XVI erat Februarii, Christianeo acad. Paedagogioque Altonano, oratione *De spe vana recentiorum ciuitatis sacrae hostium*, publice valedixit Gymnasium Hamburgense ornaturus Vir summe ven. et celeberrimus, *Godofredus Schütze*, S. Theologiae et Philosophiae Doctor, Academ. Scient. Hafnienf. Berolinenf. et Parisienf. sodalis cet.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXIII.
DIE VENERIS, XIV. CAL. APRIL. cIↄ Iↄcclxii.

PETROBVRGO. XIX. FEBR.

Die menſis quinto, defunctae Imperatricis corpus de ferali lecto *, ritu ſollemni, ſarcophago illatum, per dies decem in conclaui funebri, ſub tegmine penſili ** expoſitum conſpiciebatur: eique diurnis vicibus adſtabat vtriusque ſexus nobilitas aulica. Die XVI tandem exſequiae magnifico adparatu pompaque maxime ſollemni celebrabantur.

* Paradebette.

** Baldachin.

Mane hora ſeptima, ſigno tribus in caſtello tormentis dato, legiones cohortesque militum

vna cum deſignatoribus * congregabantur. Hora nona, audito ſimili ſigno, indiciisque a magiſtris caerimoniarum factis, ex ſtatione ſua cohortes ſingulae in pompam ſollemnem concedebant. Hora vndecima, ad tertium ſignum, attollebatur cum ornamentis imperatoriis ſarcophagus, inter continua tormentorum ex caſtello et praetorio nauali * * tonitrua.

* Marſchälle.
** Admiralität.

Imponebatur nimirum ab imperatorio cubiculo praefectis ſarcophagus trahae funebri, ſumtuoſo tegmine contectae, iunctaeque octo equis Neapolitanis, cum atri coloris ex ſerico villoſo ſtragulis*. Traham, praecedentibus binis deſignatoribus, qui a conſiliis ſanctioribus erant, ſequebatur Imperator auguſtiſſimus, via inde a palatio ad templum St. Petri et Paulli primarium, aſſibus pannoque nigro conſtrata. Conductus in Templum ſacrophagus collocabatur in monimento exſequiali * *, ſignis tabulisque exquiſitiſſime ornato.

* Sammetne Decken.
** Catafalco.

Hic, cum ab ordine ſacro, qui frequentiſſimus aderat, peractus precandi canendique ritus eſſet, orationem funebrem recitabat eminentiſſimus Nouogardiae * Praeſul. Qua finita poſtquam facta erat conſecratio poſtrema, defunctae Imperatrici

ratrici vltimum vale, osculanda manu, dicebant Augustissimus et reliqui exsequiarum comites illustriores. Atque tum, inter salutationem ternam sclopetis tormentisque omnibus factam, operiebatur sarcophagus, ipsique caerimoniae, hora post meridiem tertia finis imponebatur.

* Novogrod.

ROTHOMAGO. XVI. FEBR.*

Heri ex supremae curiae sententia die XII. lata, ad palatii scalas publice concremabantur libri triginta, qui constitutiones placitaque Patrum ordinis Iesu sodalium complexi iudicarentur. Simul iussi sunt boni Patres ex domiciliis demigrare ante calendas Iulias, aliaque petere, vbi praefecto magistratui pareant. Quae bona cuiuscunque generis possederunt, administranda locabuntur.

* Rouen.

LVTETIA PARISIORVM. IX. MART.

De Martinica Insula nihil certi exploratique habemus. Quae adhuc quidem relata accepimus rumore inconstanti, ea vero ita comparata sunt, vt fidem mereri nullam videantur. Interea timorem ponere nondum licet: tametsi classiculam nostram, quae Portu Brivate* exierat, cum Hispanica feliciter coniunctam recto cursu Martinicam petiisse, audimus.

* Brest.

De pacificatione quid tum Petroburgo tum ex tractu Viadrino emanarit, haud quaquam ignoramus. Sed quid ſtatuendum videatur, neſcimus iuxta cum ignariſſimis.

Educandae inſtituendaeque iuuentutis ratio quam ſtudioſiſſime habetur a ſupremo Senatu noſtro. Collegiorum, quibus ſodales ordinis Ieſu praefuerunt, loco aliae paſſim ſcholae inſtituuntur. *Ipſi ſodales ex vrbis huius collegiis ſcholis*que ante Calendas Aprilis, ex ſententia Senatus, diſcedent. Lauduni*, Rupellae** aliisque locis pariter de ſtatione decedere coguntur. Vitae praeſidia illis vbique ſatis liberaliter praeberi videas: ſed quae poſſeſſiones erant, publice veneunt.

* Laon.

** Rochelle.

LONDINO. V. MART.

Quae ex Germania et Septemtrionum tractu allatae fuerunt die II. litterae, vt conſilia in palatio S. Iacobi frequentius conferrentur, effecerunt. De pace Germanica ſermones increbeſcunt. Quam ſunt qui ſatis feliciter iam procedere adfirment, Imperatore Ruſſorum negotium ſaluberrimum auctoritate ſua et prudentia iuuante.

Bellum Hiſpanicum latius diuiſum diſperſumque iri putamus. Quam diligentiſſime id agit con-

consilium nostrum, vt bellum illud, quanta maxima vi potest, per quatuor mundi partes geratur.

Numerosa illa classis, quam expeditioni comparauimus, mensis die III. ancoras sustulit, eodemque ad S. Helenae insulam peruenit.

AMSTELODAMO, XIII. MART.

Martinicam accepimus die VII Ian. ab Anglis tentatam fuisse tribus locis; sed eosdem ita repulsos, vt hominum mille et quingentos desiderarent; nauium tres, in vadum illisas.

RES LITTERARIAE.

Art de faire le Papier, par Mr. de la Lande. Hoc indice Lutetiae Paris. Ars conficiendae chartae prodiit, 1 Alph. 16 plag. in fol. additis quatuordecim tabulis aeneis.

Exeunte saeculo superiori cum scribendae Historiae artium vniuersalis consilium cepisset Academia regia scientiarum, delectus fuit ex sodalibus vir eruditus *Desbillettes*, qui chartae conficiendae rationem enarraret. Proponebantur a. 1698 sculptae eo consilio tabulae aeneae octo, scriptum que suum Auctor a. 1706 in conuentu Academiae recitabat. Secutae sunt progressu temporis reliquarum artium mechanicarum et opificiorum enarrationes: quae nunc omnes in publicum prodire incipiunt. Ad illud de charta

quod attinet, ſeruatae ſunt, paſſim tamen emendatae, quas diximus, tabulae aeneae, nouaeque ſex additae: ſed in enarrationis, quam commemorauimus, locum noua ſucceſſit, auctore Landio, eaque longe perfectior.

Primum hic de chartae veteris generibus variis, et de introducto poſtea hodiernae vſu breuibus exponitur, ſed nihil adiicitur his, quae de eodem argumento iam pridem dixerant Montfalconius et Caylus, comes. Deinde conficiendae, qua nunc vtimur, chartae ratio copioſe ſatisque accurate traditur. Officinas per Galliam chartarias hic aperit Landius, quae nuper in eo genere inuenta ſint, quae edicta opificibus propoſita, officinas etiam cylindraceas Belgis vſitatas, oculis ſubiicit: omnia denique quae ad intelligendam rationem mechanicam pertinent, diligentiſſime perſequitur. In qua quidem re auxilium ipſi adiumentumque tulerunt viri celeberrimi Duhamel et Le Cat. Neque futurum putat, vt diligentiam hanc ſuam, quae ignota exteris compendia prodat, improbent liberalioris ingenii artifices Galli. Vbi chartae Gallicae varia genera recenſuit, cum illis Belgicam comparat. De Anglorum reliquarumque gentium officinis chartariis, nihil habuit, quod referret: de Sinenſium tamen ratione libro extremo nonnihil addit.

Ceterum illud de artibus et opificiis opus, cuius libello hoc particula exponitur, Berolini prodibit

dibit Germanice conuersum, et accessionibus auctum.

In reditu felici optimorum Saxoniae Principum, Friderici Christiani, et Mariae Antoniae, redeuntem felicitatem pie gratulatur patriae Christianus Augustus Clodius.

Carmen Romanum est valdeque elegans, litteris Breitkopfii forma quarta mai. exscriptum, et Oeseri caelo viticulis binis affabre scalptis ornatum. Adflatu Numinis amabilique furore commotus Poëta in caelum defertur; ibi Deum conspicit, simul redeuntem videt Angelum perditorem, qui de confecto quod mandatum esset, inferendae orbi calamitatis bellicae negotio ad Deum refert. Cum conticuisset Angelus, oratione Deus maiestatis plena, resedisse iras, respondet, seque et otium patriae tot votis expetitum, et in augusto Principum pari salutis spem pignusque certissimum, redditurum. Haec veluti adumbratio poëmatis est praestanti artificio elaborati ac perpoliti. Eminet in primis quae Angelo et Deo tribuitur oratio. Angelus quidem ita:

Sensere, quid vis nostra, quid impetus
Posset, quid ensis, fulmen et impigrum,
Crebrisque spectatum ruinis,
In cupidos hominum furores.

Nam

Nam signa signis, fulmina fulmini
Dextrasque dextris, et capiti caput,
Et tela commiscere telis,
Vulneribus didicere vulnus.

Respondens Deus sic infit:

Stat libra, nulli pondere pronior,
Nec scire vestrum est omnia: sed meum
Ornare victricem cateruam, et
Flectere humum sine clade victos

Quam haec grauiter! sed quam leniter illa, et placide quae sequuntur:

Nunc vna nostrae cura potentiae
Dilecta tellus, quam miser incola
Orbatus AVGVSTO Parente
Collacrimat cecidisse bello.

Neque minus vel virtutis vel suauitatis habet conclusio carminis:

Quo me canentem, quo rapit impetus?
Diuina, Ciues, plaudite munera!
Praecursor optati Parentis,
Deliciae rediere nostrae.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, nummos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXIV.
DIE MARTIS, X. CAL. APRIL. CIƆ IƆCCLXII.



EX S. EVSTACHII INSVLA. XXI. IAN.

Qui ex Martinica nuntii venerunt, haec potiſſimum referunt. Exſcenſiones ab hoſtibus variis locis factas eſſe, ad S. Annae, prope Salinas, in ſinu Arleſio, et haud procul a nautarum diuerſorio; tribus locis depulſos fuiſſe, cum fere bis mille hominum iacturam feciſſent, Gallis paucos ſupra viginti ſuorum deſiderantibus; praeter nauem bellicam, quae ſeptuaginta quatuor tormenta veheret, in S. Annae ſcopulos illiſam, periiſſe velocem, Gallorum globulis ſuppreſſam*, eiusdem quoque ſtructurae aliam eo redactam, vt nulli vſui futura ſit.

* in Grund geſchoſſen.

Qui Castellum regium aliudque illi vicinum tentaturi exscenderant, praefixis pugione sclopis* in naues reiecti fuerunt. Similis ad oras maritimas fortuna fuit, inde a nautarum diuersorio ad locum, quo nauium per breuia ductores ** habitant. Suggestis tormentorum***, praestructis operibus munimentis****, vallis denique fossisque litus, qua prominet, difficillimum hostibus aditum praestat.

* mit dem Bayonnet auf der Flinte.
** Looisen.
*** Batterien.
**** Redouten.

Insignem sibi gloriam rebus prudenter fortiterque gerendis comparat illustris De la Touche, dux militum: neque laudem nullam merentur, qui eius ductu militiam exercent Indi Gallorum sanguine nati*.

* die Criolen.

MANTVA CARPETANORVM. XXV. FEBR.

Aulae Lusitanae incerta adhuc consilia videntur. Interea in portubus nostris feruent adparatus nauales et bellici. Regi supellex castrensis* instruitur, quam sibi pariter comparandam curant proceres Regem comitaturi. Tormentorum vim magnam Rodericopolin** conuehi, eodemque non minus, quam in Andalusiam et Galliciam copias frequentes congregari videmus.

* Feldequipage.
** Ciudad Rodrigo.

Gibral-

Gibraltariam Angli, terram verſus, munitionibus firmant. Inde a vertice montis boreali ad occidentis latus foſſam perduxerunt ſatis profundam.

Saunderſii claſſicula cum ad S. Vincentii promontorium per dies aliquot vagos vltro citroque curſus flexiſſet*, Gibraltariam abiit. Praeſidio ſimul erat naui, cibariis adparatuque bellico onuſtae. In freto ipſo nauem Barcinonenſem vina vehentem, vi capiebat.

* gekreuzet.

LIBVRNO. XXV. FEBR.

Cum lembo Maſſilienſi vectorio*, qui Conſtantinopolin petebat, portum noſtrum intrauit Pàllas, nauis Anglica velox. Harum quatuor, a mercatorum iſtius gentis iudice omnis generis commeatu oneratas, ſimul vt ventum habuerint ſecundum, Gibraltariam abibunt.

* Tartane.

VERSALIIS. XIII. MART.

Perendie luſtrabitur legio praetorianorum* cum exercitu ad Rhenum inferiorem noſtro coniungenda.

* das Garderegiment.

Tabellas nuper, ſexageſimam, ſexageſimam primam et ſecundam, quae Veſontionem, Dolam et nobile illud S. Huberti coenobium repraeſentant, Auguſtiſſimo obtulerunt Academiae

ſcientiarum collegae, qui Galliam tabulis geographicis deſcribendam curant, Caſſini, de Thury, Camus et Montigny.

PRAGA. VI. MART.

In Poloniae confinio haud ita pridem excubitores Ruſſi vehicula decem ceperunt, auena, hordeo, foenoque onuſta, et viginti alia, quibus ſiligo et farina conuehebatur. Ceterum in Sileſia Ruſſi ſatis quiete agunt. Quos qui diſceſſuros ſparſerat rumor, inde natus erat, quod duces nonnulli primaeque dignitatis praefecti Petroburgum abirent, ſacramentum pietatis apud nouum Imperatorem dicturi.

EX AGRO MERSEBVRGENSI. XII. MART.

Subito hodie mane et improuiſo a copiis imperatoriis oppugnatum et expugnatum fuit Merſeburgum. Capti ſunt iure belli praefecti Pruſſorum militares nonnulli, milites vero centum et quinquaginta: captum quoque belli horreum. In perſequendis qui elapſi ſunt, venatoribus Pruſſis et equitibus expeditis cum maxime verſantur Imperatorii.

BRVNSVICO. XX. MART.

Praeterito die Martis veſpere, conditorio ſereniſſimae gentis inferebatur corpus defunctae Ducis viduae. Succenſis lampadibus illuſtrata conſpiciebantur Symbola, funebria inſignia domus Brunſuicenſis, nomen defunctae primis litteris

litteris artificiose ductum, his additis inscriptionibus: I. Radiat Heroum progenie in terris; virtutum decore coruscat in caelo. II. Heu! pietas et fides, quando inuenient parem? III. Pietatem et iustitiam coluit, quarum Sui heredes. IV. Recessit ab oculis; in animis manet. V. Vita populorum plausus; mors planctus communis. VI. Quam cara omnibus, index omnium dolor.

RES LITTERARIAE.

Io. Alberti Fabricii, SS. Theol. D. et Prof. Publ. Bibliographia antiquaria, s. Introductio in notitiam scriptorum, qui Antiquitates Hebraicas, Graecas, Romanas et Christianas, scriptis illustrarunt. Editio tertia, ex mscpto b. Auctoris insigniter locupletata, et recentissimorum scriptorum recensione aucta, studio et opera Paulli Schaffshausen, P. P. Hamburgi, apud Io. Car. Bohn, 1760. Alph. 6. plag. 6. quaternis.

Eruditorum nemo temere fuerit, quin opus illud, diffusissimae lectionis et indefessae diligentiae Fabricianae fructum, norit. Primo editum fuit a. 1713 Alph. 3. plag. 19: iterum, auctius 1716. Alph. 4. plag. 1. Ex eo tempore longe plurima congesserat b. Auctor, quae ad opus denuo augendum facerent, addere quoque constituerat (quod ex commentario de vita et scriptis Fabricii Reimariano cognouimus) Adpendices de Academiis orbis Christiani; de Societatibus litterariis per Italiam, Angliam, Galli-

am, Germaniam, Sueciam, Daniam, Hiſpaniam; de Ordinibus equeſtribus cruciatis, religioſis et ſaecularibus, torquatorum equitum, et auratorum, atque militarium.

Seruata erat tertia libri, tum illis copiis tum aliis locupletandi, editio curae b. Schaffshauſii, huiusque viri praeſtantiſſimi poſtremum opus fuit. In quo ornando quibus adiutoribus qua *ratione verſatus ſit*, *praemiſſa* ab eo *praefatio* docet. Ipſum illud exemplar, cui acceſſiones alleuerat Fabricius, adhibendum conceſſit celeberrimus Fabricii gener, Herm. Sam. Reimarus. Illae igitur adnotationes vt ſuo quaelibet loco inſererentur, omnem Noſter operam nauauit. Ex iis vero libris, qui recentiſſimis temporibus poſt obitum Fabricii editi fuerunt, ea excerpſit, quae antiquis moribus ritibusque illuſtrandis inſeruirent.

Atque in hoc genere magna ei ſubſidia bibliothecarum tulerunt collegae humaniſſimi, publicae quidem Io. Chriſt. Wolfius, priuatae ac ſuae Reimarus. Dedit quoque ſui in Auctorem et rem litterariam amoris ſignum vir clariſſ. Io. Ioach. Schwabius, quod eos libros, quorum Hamburgi copia non erat, in Lipſienſium bibliotheca euolueret, et quae vſi eſſent excerpta ſuppeditaret. Atque huic volumini nouum aliquando additurus erat b. Schaffshuſius, ſupplementorum nomine, in quo, praeter obſeruationes

nes futuras, et reliquos theſauri Vgoliniani tomos, cum haec bibliographiae editio pararetur nondum ſibi viſos, recenſeret, et regium opus illud, quod picturas in Herculano repertas, Regis tum vtriusque Siciliae, iam Hiſpaniae, iuſſu in aere inciſas, doctiſſimorumque virorum commentariis illuſtratas exhibet, cuius modo in bibliothecam Iaeniſchianam, apud Hamburgenſes celeberrimam, exemplum transierat.

Non ingratum, putamus, fuerit lectoribus noſtris, qui Bibliographiam hanc tertium editam poſſident, ſupplementa quaedam noua hic reperire, et quae nominatim capita Schaffshufii ſtudio acceſſerint, cognoſcere. Licuerit nobis ex Nouis actis Erudit. Lipſiae a. 1760 publicatis, quae eius generis a viro eruditiſſimo obſeruata legimus hic referre. "Quis non mirabitur pag. "650. de *Septemuiris Epulonibus*, non *Epulonum*, ne-"que *Liv.* 33, 42, aut *Cic. de Orat.* III, 19, neque "*Gutherium de Muner. Pontif.* p. 222 laudari? Ibid. "de *aedituis* neque *Salmaſ. ad Solin.* p. 1087. ne-"que *Turneb. Adverſ.* 14, 12. inueniri: de *furto* "*per lancem et licium* pag. 782. *Averanium* et *Wie-*"*lingium*: de *edicto aedilitio* pag. 740. *Roevenſtrunck*: "de vſuris pag. 807. *Petrum Hallo* et *Iac. Gaitte*, "omitti? Ad c. 11. §. 27 de poenitentia eccleſi-"aſtica, et c. 15 §. 15 de excommunicatione ec-"cleſiaſtica, exſpectabamus *Io. d'Avezani* libros "*de cenſuris eccleſiaſticis*, de *depoſitione et degradatione* "*Clericorum*, *de interdicto*, *de excommunicatione*. Igno-

"tum

"tum quoque fuit Noſtro nomen *Petri Halle*, "cuius libros *de cenſuris eccleſiaſticis*, de *beneficiis* "*ec cleſiaſticis*, *de regularibus*, ſuo loco indicare debe- "bat. — Quis de *cenotaphiis* pag. 1037. non ma- "lit *Doruillium* ad lib. III. *Chariton.* quam aliquem "in montanis noſtris, legere? — ceterum, di- "ligenti comparatione prioris editionis cum hac "noua inſtituta, facile intelleximus, non ſolum "multas acceſſiſſe res, de quibus antea nihil in- "ueniebatur, ſed noua etiam aliquot capita ad- "dita fuiſſe. Sic *cap.* 2 antea Sect. 11. abſolu- "tum, nunc Sect. 17. complectitur: in cap. 15. "acceſſit noua Sect. 15. *de excommunicatione*: *capi-* "*ti* 21. noua praefixa eſt Sect. *de re litteraria* He- "braeorum generatim: in *Cap.* 16 additum eſt "pariter nouum quid, *de commerciis ac nauigatione* "*veterum*. Denique de bibliothecis et diptychis, "de ſocietatibus litterariis, de ſcachia ludo, de "gymnaſticis exercitiis, ludis circenſibus, bal- "neis, ſupellectili veterum, vita priuata Ro- "manorum, combuſtione cadauerum, vrnis, "lucernis, inuentis veterum et recentiorum, "typographia, diis Romanorum, catalogo San- "ctorum in eccleſia Romana, aliis, multa di- "cuntur monenturque, quae in priore editione "fruſtra quaerebantur.„

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini; proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXV.

DIE VENERIS, VII. CAL. APRIL. CIↃ IↃCCLXII.

HAFNIA. XIX. MART.

Proposito edicto Rex augustissimus delicti gratiam obtulit his, qui in copiis Danicis Germanicisque militiam deseruerunt; hac tamen lege, vt intra anni spatium se reduces sistant. Quod qui neglexerint, grauissima, quam ius militare illi crimini constituit, poena adficientur deprehensi.

Cohortem Rex colligi iussit nulli legioni adscribendam*: cui qui nomen dare voluerint ex legionariis, qui, emeritis stipendiis, vi pactionis dimittendi erant**, opimae his conditiones proponuntur alio edicto regio.

* ein Freycorps.

** die ihre Capitulationszeit ausgedient.

LVTETIA PARISIORVM. XV. MART.

Supellectilem sibi castrensem quam diligentissime comparant, qui copiis ad rhenum inferiorem praefuturi sunt: ad legionem enim quisque suam medio mense Maio abierit, necesse est. Primo quoque tempore ad commissum sibi exercitum discedet Dux ab Etrees, summus castrorum praefectus. Breui pariter hinc proficisci cogitat Sobisius Princeps. Feruet in hac vrbe conscribendi militis studium, multiqui sunt, qui se scribi patiantur.

AMSTELODAMO. XVI. MART.

Demandatum est ex naualis militiae senatu delectis*, vt vela, funes nauticos, et quaecunque ad instruendas naues bellicas triginta, totidemque veloces, necessaria sint, coëmant.

* Deputirte der Admiralität.

Neque minus de augendis copiis terrestribus consilia agitantur. Dudum rem illam diligentissime vrgebant Geldriae et Transysalanae* ordines.

* Ober-Yssel.

PRAGA. IX. MART.

Qui, impetrata venia, a signis aberant, militum in copiis imperatoriis regiis praefecti, iam omnes fere redierunt.

In Silesia Prussi ea agitant, ex quibus haud obscura significatio fiat, maturè ex hibernaculis pro-

gressuros.

greſſuros. Prope Swidnitium quidem iam pugnis velitaribus acriter decertatum fuit, non ſine detrimento legionis deſultoriorum * Darmſtadienſis.

* Dragonerregiment.

FRANCOFVRTO AD VIADRVM. XVII. MART.

Heri Magdeburgo veniens vrbem noſtram intrabat ſereniſſimus Pruſſiae Princeps. Gratiſſimum hoſpitem ſalutabant Academia, Senatus vrbis, ordo ſacer, et mercatorum ſocietas. *Adeuntes cum humaniſſime Princeps excepiſſet*, ſimili comitate reſpondit officio ſtudioſorum Iuuenum, qui carmen obtulerant ad numeros muſicos decantandum. Finito concentu, vocatum ad ſe Polackium, Profeſſorem acad. et hoc tempore Rectorem magnificum, coenae adhibuit, et cum eo de rebus litterariis et academicis collocutus, Academiam ſibi commendatiſſimam fore recepit. Hodie mane hinc diſceſſit Princeps Vratislauiam ad Regem iturus.

EX WESTPHALIAE TRACTV. XVI. MART.

Heri caſtra mouere iubebatur Spörkenii agmen, in agro Pyrmontano adhuc commoratum.

HANNOVERA. XIX. MART.

Qui in Belgii confinio nuper mouere ſe coeperant, hoſtes, in ſtatiua rurſus conceſſerunt.

Copiae in agro Hildeſienſi noſtrae omnia comparant, quae ad proficiſcendum pertinent.

Haud difficilem nostri conquisitionem militum habent: eosque accuratissima disciplina continent.

ALTONA. XXVI. MART.

Aulis communi aduersus Prussiae Regem foedere coniunctis significauit Russorum Imperator, quaecunque hoc bello Russorum armis expugnata essent, omnia se restituturum, spe fretum, fore vt reliqui Principes foederati similiter pacem reconciliandam *commodis reliquis anteferant*, bello fortasse conquirendis.

RES LITTERARIAE.

Berolini, qui abhinc annos aliquot singulis hebdomadibus edi coepti sunt, Commentarii in vsum educandae et instituendae iuuentutis, *Wochenblatt zum Besten der Kinder* singulari studio, nec sine plausu lectorum continuantur. Absoluta haud ita pridem fuit partis secundae sectio prima: eaque libellos 47-70 complectitur, Alph. 1. plag. 2. in 8. impensis Birnstilii exscriptos. In superioribus parentum officia potissimum exponebantur: in his de praeceptoribus agitur. Horum officia et virtutes vniuerse ad tria capita reuocantur: quam distributionem tripartitam ab. ipsa naturae ratione arcessi facile intelliget, qui quorsum spectet praeceptorum opera, cogitauerit. Requirimus a bono praeceptore virtutes dotesque alias ingenii, alias animi, alias

quae

quae externae commendationis haberi solent. Quas quidem partes diligentissime persequuntur libri huius auctores, additisque passim obseruationibus praeclaris explanant.

Ad ingenii virtutes quod attinet, eas docent non in rerum multarum cognitione scholastica ponendas esse, sed in quadam naturae vi artibus scientiisque ad vitae vsum perculta. Quae quanto discrimine in formanda iuuentute distent, dilucide ostendunt. Nec minus qua ratione imitandum in hoc genere sit exemplum veterum, et quo modo cognosci intelligique praeceptoris ingenium queat. Eruditionem et doctrinam praeceptoris commendari praecipue volunt recto pulchri sensu ac iudicio, et humanioris litteraturae elegantia. Ad hoc argumentum delati, scholarum, quas reales vocant, emendandarum rationem proponunt, ac praeceptori quae inesse debeat linguarum cognitio, accurate definiunt. Denique vim humanitatis, et genium saeculi vt calleat, requirunt. In animi virtutibus primo loco ponendum iudicant pietatis et religionis studium. Postremo de moribus praeceptoris exponitur, quos commendari etiam optant dotibus quibusdam v. g. corporis temperatura bene ordinata, suauitate quadam et decore vultus, docendae regendaeque iuuentutis scientia.

His ita traditis, examinantur *paullo diligentius* Büschingii viri summe rev. consilia duo,

 quo-

quorum altero instituendum suaserat studiosorum iuuenum seminarium in docendi muneris vsum; altero, scholis vrbanis praeficiendos, non praeceptores perpetuos, sed candidatos. Deinde officii sui in recte obeundis suscepti muneris partibus admonentur tum doctores, tum studiosi iuuenes, qui ad eiusmodi se vitae rationem praeparant. Commemorantur pariter officia, quae praeceptoribus siue publicis siue priuatis debent, qui eos constituunt. Postremo praeceptiones adduntur nonnullae, *quae ad externam educationis* rationem faciunt, eamque paullo seuerius potius, quae lenius institui iubent. Inserta hic atque illic libellis videmus iucunda quaedam, quibus leuari legendi labor queat, carmina, fabellae, narrationes cet.

Encomium florentissimae reipublicae Hamburgensis, sub auspicium noui muneris, e suggestu Gymnasii Hamburgensis a. d. XI. Martii A. R. S. CIↃ IↃCCLXII *publice dictum a Godofredo Schütze, S. Theolog. et Philosoph. Doctore ac Professore publ. Academ. scient. Hafniens. Berolinens. et Parisin. Sodal.* Hamburgi, apud Ioannem Carolum Bohn, 3 plag. formae quartae mai.

Quod recitandum indiximus nuper libello XX carmen latinum heroicum, id typis nunc descriptum laudare possumus elegantissimum, suoque et argumento et auctore dignum.

Stat

Stas igitur, stabisque diu splendore nouato,
Excubiis Procerum stabis defensa tuorum,
Hamburgum, vrbs dilecta Deo, dilecta Camenis,
Vrbs dilecta mihi.

Ita exorsus Vir summe ven. cum bellicae calamitati, quae reliquam Germaniae partem premit, laetum Hammoniae otium opposuisset, praemissa inuocatione eleganti, ad laudes felicitatis pleniores aditum sibi patefacit his versibus:

Est ita. Sidereas securis passibus aulas
Fortiter adscendo, sunt hic penetralia Diuum.
Roma superba fero sit proxima cura Gradiuo,
Cecropiamque suam sibi Pallas vendicet vrbem;
Defendat Iuno celsae Carthaginis arces,
Extollatque Venus sublimia moenia Troiae.
Nil iuuat aut Troiam, aut claras extollere Athenas,
Roma vale, propior mihi nunc est caussa canendi.
Nos quoque numina amant, quin tutelaria nobis
Numina sunt praesto, —
Finge tibi ad nostras si quis descenderet oras,
Longinquis egressus agris terrisque remotis
Hospes, et Hamburgi volet hospita tecta subire:
Finge tibi veniat, venit huc saepe Indus et Afer,
Vltima saepe nouum transmittit Thule colonum,
Adspiciet laetus, laetus mirabitur vrbem.
Hic putet esse Deos ipsos, sedesque beatas
Felici fixisse solo, sua templa domosque.

Iam fulcra illa celebraturus quibus nixa stet salus publica, religionis ac pietatis studium, Iustitiam, litterarum artiumque cultum: olympo descendentes canit deas Hammoniae amicissimas, Eusebiem,

biem, Themidem, Palladem, suaque ciuitati praesidia confirmantes. In Palladis oratione, qua, Poëtae respondens, viros Hamburgensium eruditissimos ad imitandum proponit, hic in primis elegans locus est:

Disce, nec externo, vates, monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor, cognata ministret
Laus animos. Aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur, tu disce tuos, quos ordine longo
Nominis aeterni fama per saecla nepotum
Musa canit ciues, et quorum nomina seris
Inscribit fastis, et laudes terminat astris.
An testem poscis? Richeyus sufficit vnus,
Quem non fama silet praesens, ventura silebit
Nulla, nec obscura condet sub nube vetustas;
O! quam dulce mihi nomen, quam dulce Camenis!
Ille tibi monstrat vestigia certa premenda,
Hunc sequere.

Illi reipublicae incolumitati inuidens Tisiphone cum comitatu comparet, dissidia et bella minatur; sed

Ipsius caeli Pax filia scandit ab alto,
Hamburgumque suum lustrat, mentesque serenat.

Reliqua continenti praestantissimi carminis lectione suauius, quam ex disiunctis particulis sentientur.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXVI.

Die Martis, III. cal. april. cIↄ Iↄccclxii.



PETROBVRGO. II. MART.



Sollemni festiuitate, exquisitaque pompa celebratus fuit dies XXI Februar. augustissimi Imperatoris natalitiis insignis, nobisque longe exoptatissimus. Peracta in templo re diuina, cum salutantium congratulantiumque officio vacasset Imperator, collocata in area palatii tormenta audiebantur. Sequebatur prandium sollemne*, omnique opulentia adparatum; quod ipsum vespere excipiebat cantus symphoniae celeberrimus**. Ante coenam in eadem palatii area succendebantur ignes *festi*, praeclaro artificio ita adornati, vt allegorica figurarum imaginumque significatione tum decessum

immortalis memoriae Imperatricis, tum Successoris augustissimi imperii felicis auspicia ostenderent.

* grosse Mittagstafel.

** grosses Concert.

Die XXV. apud illustrissimum Woronzouium coenabat Imperator, cum conuiuio illi primae nobilitatis viri feminaeque, vna cum Administris extraneis interessent. In conclaui maiori mensa erat centum conuiuis adparata: in adiacentibus binis, mensis duabus quadrageni adsidebant. Haec pariter vespera splendidior reddebatur festis ignibus: quam tamen luce superabat nox media, cum succensis in peristylio aulico interiori * lampadibus, illustratae conspicerentur imagines Italae theatrales.

* innere Hofgallerie.

ROMA. VI. MART.

Neapolin hinc discessit haud ita pridem Comes a Brühl, illustrissimus iuuenis. Hunc summus Pontifex duabus calculorum precatoriorum coronis * donauit, eo ritu consecratis, vt in ipso mortis luctamine adhiberentur.

* Paternoster.

LVTETIA PARISIORVM. XIX. MART.

Qui Vindobona nuper cursor venit, Czernischeuium nuntiauit propediem, ab exercitu Laudoni disiunctum, cum agmine suo per medios

Pruſſos in Poloniam iturum. Nuntio illi adiuncta legitur Reginae imperatricis ſententia huiusmodi: Quam parum praeſidii a Ruſſis ſibi relictum ſit, cum ex illo Czerniſcheuii diſceſſu ſatis lucenter intellexerit, omnes ſe neruos intenſuram, vt communiter cum reliquis foederatis, quoad conniti viribus poſſet, bellum quam acerrime perſequeretur.

Qua de re cum deliberatum in ſanctiori conſilio fuiſſet, conſilium pariter cepit Rex noſter belli maiori tum ſumtu, tum exercitu, gerendi: et de illo conſilio certiorem fecit Reginam. Copiae in Germania noſtrae ſubmittendis nouis augebuntur: in his, ex Flandricis militum duodecim millia illuc concedent.

LONDINO. XII. et XVI. MART.

Nudius tertius in aulam venit ablegatus Eboraco nouo* ab Amhtrſto, nuntius. Hic de nouae expeditionis ratione retulit, qua Georgiam primum itinere petet Dux ille militum, inde S. Auguſtini caſtellum, et poſt Louiſianam expugnaturus.

* Neu-York.

Nautae adhuc inuiti conquiruntur quam diligentiſſime.

* Matroſen preſſen.

Legionum, quae in Hibernia verſantur, complures Corcagiam* tendunt, in naues ibidem imponendae.

* Cork.

Eius vrbis ciues ſtatuam decreuerunt Eduardo Hawkio, Equiti: quae ad portus oſtium excelſa in baſi ponetur.

EX EADEM VRBE. XIX. MART.

Yarmutho et vicinis portubus primo quoque tempore amplius centum naues ſoluent, exercitui foederato commeatum aliaque Bremam transuecturae. Eas propediem ſequentur aliae ſupplementis militum onerandae.

RES LITTERARIAE.

Diſputatio medica de Motu humorum progreſſiuo veteribus non ignoto. Quam Praeſide Viro doctrina et experientia claro, *D. Geo. Chriſt. Materno de Cilano*, Aug. Regis Daniae, Noruagiae, reliqua, a conſiliis iuſtitiae, philoſophiae naturalis, medicinae, et antiquitatum Graecarum Romanarumque Prof. Bibliothecae praefecto, S. R. I. Acad. Nat. curioſ. collega, regiae ſcient. ſoc. Hafnienſi adſcripto, die XXVI Mart. a. MDCCLXII publice defendet Auctor *Frid. Wilh. Petrus Fabricius*, artis ſalutaris ſtudioſus. Altonae, prelo Burmeſteriano. 6 plag. formae quartae mai.

Primitiae ſunt eruditi Iuuenis et veſtigia Parentis, Doctoris medici apud Hafnienſes celeberrimi, felici ſtudio ſecuturi. Argumentum diſputationis eiusmodi eſt, quod diligenter pertractatum haud parum lucis inferre hiſtoriae medicae

dicae queat. Cum enim per ſesqui fere ſaeculum fama percebuerit, ſanguinis in orbem motum a. 1628 demum cognitum intellectumque fuiſſe: ſententia haec, niſi de mechaniſmo cordis accuratius tradito intelligatur, quam in veteres medicos iniurioſa ſit, teſtibus fide dignis, per antiqua ſaecula eundo, dilucide hic demonſtratur. In quo maximo ſibi adiumento fuiſſe praedicat auctor illam, quae apud nos inſtructiſſima eſt, bibliothecam Cilanianam.

Motum progreſſiuum, quem vocant, humorum generatim ignorari non potuiſſe, poſtquam docuit, in cauſſam inquirit, cur data opera de circulatione humorum nihil tradiderint veteres. Deinde, ad hos ipſos et eorum monimenta conuerſus, Hippocratem, principem illum artis, motus progreſſiui humorum notitia haud caruiſſe, ex variis eius locis, diligenter hic excuſſis, demonſtrat. Galenum vero oſtendit, adducendis pariter locis notabilioribus, clariori etiam eius rei cognitione inſtructum. Sed cum, praetermiſſo Galeno, cogniti a veteribus ſanguinis motus teſtem locupletem laudare multi ſoleant Nemeſium, ſaeculi quarti philoſophum eundemque epiſcopum Edeſſanum: huius quoque, de natura hominum ſcriptoris, ex libelli capite 24 extr. teſtimonium adfertur, commemorandum illud quidem, neque tamen tanti faciendum, quanti *fieri* nonnunquam ab Hiſtoriae medic. ſcriptoribus ſolet. A medicis Graecis ad Arabes progredi-

 tur.

tur. In his Abubeter Rhazes natione Perſa, ſaeculi noni medicus, et Eben Sina ſ. Auicenna, qui ſub finem ſaeculi decimi floruit, ſcripta reliquerunt ea, vnde illos motus humorum progreſſiui gnaros fuiſſe, haud dubie adpareat: Auerroes autem, ſaeculi duodecimi philoſophus, Ariſtotelem et Galenum ſecutus de circulatione ſanguinis apte diſſeruit eo loco, quo anatomiam cordis eiusque formam explicauit. Saeculis XIII, XIV et XV, cum rerum linguarum que diſciplinae ſumma barbarie oppreſſae iacerent, illam motus ſanguinis notitiam tantum non deperditam fuiſſe, nemo mirabitur. Reducta illa fuit vna cum anatomiae ſtudio, cum, inſtauratis poſt captam Conſtantinopolin litteris, Graecorum doctiſſimi, aliique ex Italis, Germanis, Belgis, Anglis, doctrinae medicae, interpretandis Graecorum Arabumque libris, praeclara ſubſidia ſaeculo XVI tuliſſent. Quibus ita disputatis, poſtquam dubia nonnullorum contra notitiam de ſanguinis circulatione veteribus tributam diſcuſſit, librorum Graecorum lectio quantopere acuerit anatomicorum induſtriam, exemplo Realdi Columbi, Profeſſoris Romani, Caſparis Peuceri, medici Wittenbergenſis et Andreae Caeſalpini, Itali, oſtendit: qui ſaeculo XVI de motu ſanguinis ita ſcripſerint, vt, quin eum nouerint, dubium videri nemini debeat. In Caeſalpinum paullo iniquior Auctori videtur diſſertatio quaedam Halenſis de nonnullis ad motum cordis et circulationem ſanguinis pertinentibus, quae §. V. p. 10.

eum commemoret tanquam de circulatione balbutientem. Paullum Sarpium refert noster, anno 1574 obseruationem de valuulis vasorum sanguiferorum in corde cum Hier. Fabr. ab Aquapendente, Professore anat. Patauino, communicasse, hunc vero minus sincere cum amico Sarpio egisse. Deinde hos refellit, qui illam obseruationem nouam Professori anatomiae potius, quam ordinis Minoritarum antistiti adscribendam putarunt. Denique Guilielmum Haueium, Anglum, *primum fuisse* commemorat, qui circulationis sanguinis mechanismum singulari libro promulgaret. Editus primum fuit libellus a. 1628. saepiusque deinde recusus. Promulgatos ab Harueio, non vero primum inuentos fuisse perpetuos sanguinis aestus, inscriptio etiam statuae Haruecio positae declarat, quam hic descriptam legimus. In conclusione denique, ignorare se fatetur, quid de Sinensibus statuendum sit, qui iam antiquitus sibi cognitum illum sanguinis in orbem motum iactent; cum tamen de corporis structura eiusque partibus admodum obscure disputent.

Dissertationi subiuncta legitur Praesidis, viri illustris ac generos. epistola, qua Fabricio suo eruditum specimen gratulatur, et praeter monita quaedam salubria, testem de motu sanguinis ex *saeculo* XIV. adfert, criticum Graecum: locumque ex Nemesio, illo, quam auctor attulerat, lectu digniorem.

Fran-

Francofurti ad Moenum in b. Fresenii locum succedet, sacri ordinisAntistes futurus, vir summe ven. *Ioannes Iacobus Plitt*, in Academia Rintelensi sanctioris disciplinae doctor et Professor publicus, idemque coetus Lutherani ibidem Pastor.

Göttinga ad nos missus fuit catalogus duplex: alter tabularum geographicarum; alter librorum mathematicorum, astronomicorum, geographic. et historic. Supellex litteraria fuerat, *I. M. Frantzii*, Consiliarii quondam regii et Professoris apud Göttingenses meritissimi. Eius consueto licitandi more diuendendae initium fiet d. XV Aprilis. Insignis in primis et pretiosa videtur collectio illa tabularum, quibus tum orbis terrarum vniuersi, tum regiones, loca, vrbes, maria singulatim describuntur. Nec minus commouere emtorum studia debet instrumentorum omnis generis adparatus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini; prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXVII.

DIE VENERIS, IV. NON. APRIL. cIↄ Iↄcclxii.

HAFNIA. XXVII. MART.

Regio iussu armari hoc anno accepimus naues bellicas maiores viginti quatuor; leuioris structurae duodecim. Earum summo imperio praefectus est illustris a Fontenay, praetor naualis*.

* Admiral.

NEAPOLI. II. MART.

Rem naualem, summo apud nos studio perficiendam ornandamque, dirigit Franciscus Ferbicella, Siculus, scientia ac fortitudine nautica insignis. Armantur triremes nostrae, et reliquae naues omnes: in naualibus etiam liburnica*

conſtruitur ſexta. Ingens quoque nautarum numerus conducitur. Praeter milites in Heluetiae pagis conſcribendos, multi apud nos in ſupplementum leguntur.

* Xebecke.

Ante hebdomadas aliquot Melita huc venit illuſtriſſimus a Fleuri, villarum ordinis equeſtris praefectus ſupremus*. Illi mandatae dicuntur ab aula Gallica grauiſſimi momenti res, cum noſtra communicandae.

* Groſs-Baillif.

LIBVRNO. III. MART.

Litteris ex Corſica nuper allatis, rem Genuenſium fortunamque magnopere ibidem inclinatam eſſe, intelligimus. Prope Baſtiam caſtellum Brunelle a rebellantibus obſidione cinctum tenetur.

AVGVSTA TAVRINORVM. XI. MART.

Verſaliis, communicatis cum aula Gallica conſiliis, ad nos peruenit Georgius Pitt, Magnae Britanniae extra ordinem legatus. Heri, audientia facta, ad Regem acceſſit.

VENETIIS. XIII. MART.

Qui ab Algerienſibus in naui Raguſana capti, Conſtantinopolin ad magnum Imperatorem ducti erant vectores, libertate omnes donatos fuiſſe, allatis inde litteris cognouimus. Raguſae quantopere faueat, quidque eius rei publicae vexillis

naua-

nau'alibus dandum putet aula Turcica, in hac caussa testatum reliquit, eo lucu'entius, quod Imperator ipse, litteris sua manu scriptis, restitui homines in libertatem iussit.

PETROBVRGO. V. MART.

Ordinis diuae Catharinae insignibus donauit augustissima Imperatrix Georgii, Holsatiae Principis, coniugem serenissimam, Holsatiae Beccensis principem adolescentulam, et illustrissimam Woronzouiam, primi rerum administri coniugem.

Noua prolixae suae in reductum de exsilio Lestockium, Comitem, voluntatis documenta exstare Imperator voluit: qui gladio eum aureo donauit, dominumque rursus esse iussit bonorum quondam suorum, quae in publicum addicta fuerant.

HOLMIA. XIX. MARTII.

Regiae celsitudinis Principi heredi decretum fuisse, audimus, communibus Ordinum suffragiis, vt, dicto prius sacramento, Senatui in posterum, ac Regis regnique consilio intersit. Delecti quoque sunt Principis ab aulae ministeriis futuri. Suppeditabuntur etiam Principi itineris per varias regni regiones faciendi sumtus. Eius qui vitae studiorumque adhuc moderatores fuerant, cum munere illo abierint, stipendiis iisdem de reliquo etiam tempore fruentur.

PALO BENEARNORVM. VIII. MART.*

Nauibus nostris malos sufficere innumeros possunt Pyrenaei montes, pinorum, quercuum, fagorum feracissimi. Itaque per biennium omni studio id actum est, vt in Darpia valle viae munirentur, et Gabarus**, Palensis fluuius, nauigabilis redderetur. Iamque futurum speramus, vt mense Maio ex siluis Pyrenaeis mali Baionam conuehi queant.

* Pau in Bearn.
** Gave.

ROTHOMAGO. XVI. MART.

Die XI. carnificis manu publice conscissus in area curiae concremabatur libellus famosus, hoc indice: *Idée veridique du R. P. Gabriel Malagrida, Jesuite Italien, executé à Lisbonne par Sentence d'Inquisition; imprimée à Liege chez Syzimme, Imprimeur Libraire, proche le Palais, à l'Ensigne de la Verité, en* 1762. *sans Approbation.* H. e. Notio veridica R. P. Gabrielis Malagridae, Itali, ex Soc. Iesu, Olyssippone ex quaesitorum fidei sententia vltimo supplicio adfecti; typis exscripta Leodii * apud Syzimmium, librarium, haud procul curia, sub signo veritatis, sine permissu superiorum.

* Lüttich.

HAGA COMITVM. XVII. MART.

Qui proximo die Martis Londino huc venerat, Galliczinius Princeps, hodie post meridiem iter Petropolitanum prosequetur. Quo itinere

Vin-

dobonam et Warſouiam petet, negotii in vtraque aula curandi gratia.

VINDOBONA. XVII. MART.

Quotidie hinc ad partes ſtationesque ſibi demandatas abeunt praefecti militares. Sed iter nondum comparant duces ſummi. Kaunitzium, illuſtriſſimi comitis filium, Regina imperatrix Tribuni legatum *, Dauniique adiutorem ſupremum ** eſſe voluit.

* Oberſtlieutenant.

** Generaladjutant.

DRESDA. XX. MART.

Tametſi ad res gerendas haud idoneum videtur anni tempus: impedire tamen non potuit, quo minus aliquid in Pruſſos ſuſciperet Torreckius, Auſtriacorum Tribunus. Is abhinc dies aliquot Schlaberndorfii legionem equeſtrem cum adortus eſſet, captiuos reduxit equites quidem nonaginta ſex; equos centum et ſexaginta.

ALTONA II. APRIL,

Copias Auſtriacas maximam partem in Sileſiam ituras, ex variis locis relatum legimus.

In Pruſſiae regno, permiſſu conſilii Ruſſorum ſupremi, bis mille octingentos homines in ſupplementum exercitus Regis Pruſſiae cogi, litterae Brandenburgenſium narrant.

RES LITTERARIAE.

Die XXXI Martii, qui Regum amabilissimi natalibus candidus nobis ac festus est, veneratbundae pietatis officio annuo fungebantur Musae Christianeae. In sollemni panegyri orationem *de boni ciuis in patriam studio christiano* recitabat vir ampliss. atque celeberr. *Io. Bernb. Basedow*, Philos. moral. Professor.

Laetitiae publicae addebat priuatae pietatis mentisque deuotae significationem generos. Iuuenis *Adolphus Fridericus a Witzend rf*, augustissimi Regis ab interioribus cubiculis, idemque ciuis Christianei florentissimus, qui *Populi felicitatem ab optimi Principis imperio ductam* exquisita dicendi elegantia praedicabat.

Vtramque orationem, vernaculam, typis propediem exscriptam lubentissime lecturi sunt quicunque bonorum ciuium et publicae felicitatis sensu tanguntur.

At tu natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorque redi.

De Natura, Exercitatio philosophica, quam in regio Christianeo academico a. d. XXIX Martii publicae eruditorum disquisitioni exponet, Moderatore *D. Godofredo Profe*, Philos. et Mathes. Prof.

Prof. P. Christ. acad. h. a. Directore, auctor defensurus *Ioannes Zoega*, Medicinae et Philosophiae studiosus. Altonae cIↄIↄcclxii. plag. 2. formae quartae mai,

In varias vocis *Naturae* significationes, tum vulgari, tum philosophorum vsu receptas, postquam diligentius inquisiuit Iuuenis ingeniosus: eam rectissime vim agendi interpretatur, horumque rationem probat, qui naturam rei ipsam eius substantiam esse, dicunt. Tum errores notat eorum, qui naturam vel deum omnino, vel vim diuinam esse dicerent. Vires, quae naturam rerum constituunt, tametsi imperfectae sint, et limitibus circumscriptae, non tamen satis accurate dici corruptas vel impuras, ostendit: neque malum illud a primis parentibus ad eorum posteros quasi hereditate translatum, ipsam hominis naturam constituere, vel ad eam ita referri, vt separari ab eadem non possit; sed inesse tantum homini, eiusque naturam prauo virium, quas a Deo sanctissimo acceptas habeat, vsu deformari et inquinari. Rerum, pro duplici earum genere, duplicem quoque naturam esse: alteram, quae vi motrici; alteram, quae vi cogitandi continetur: naturae proinde leges partim physicas s. mechanicas intelligi, partim logicas s. morales. Denique ordinem cursumque naturae et summam in naturae regno harmoniam commemorat, mundanae perfectionis principium, et adorandae diuinitatis documentum.

Vindo-

Vindobona ad nos perlata ſcidula fuit, qua Herm. Ioſ. Krüchten, librarius, *Catechismi Romani interpretationem germanicam*, prelo ſubiectam indicit. In catechismis, quibus eccleſia Rom. catholica vtitur, celebrari maxime ſolet Romanus ille, ex decreto Concilii Tridentini, et Pii V. Pontificis maximi iuſſu primum editus. Qui cum conſcriptus fuiſſet a Leonh. Marino, Aegid. Fuſcarario, et Franc. Forerio, eleganti Latinitate donatus fuit a politiſſimo eius aetatis ſcriptore Paullo Manutio, et a Sirleto, patre purpurato, recognitus. Librum non ſemel poſtea typis excuſum haud ita pridem, ſub ipſa muneris grauiſſimi auſpicia edendum denuo curauerat eminentiſſimus Romanae eccleſiae purpuratus Vindobonenſium Praeſul ſummus. Qui cum libellum in ſuo genere egregium etiam Germanorum lingua legi optaret, conuertendi negotium nuper viris quibusdam dedit vtriusque linguae doctiſſimis. Iamque prelo ſubiectae ſunt plagulae priores. Quatuor partibus totum opus conſtat, totidemque voluminibus formae octauae, ad vſum commodiſſimae, comparebit, charta litterisque nitidis. Praefatione illud ornabit ipſe Praeſul eminentiſſimus. Finito opere, eius epitomen in vſum iuuentutis pariter edet officina Krüchteniana. Ceterum Catechismi illius Romani hoc ipſo tempore interpretationem Germanicam alibi etiam adornari, ex hoc indice intelligimus.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXVIII.

DIE MARTIS, VIII. ID. APRIL. cIↃ IↃCCLXIII.

PETROBVRGO. XII. MART.

Disciplina ciuilis vt diligentius in posterum procuretur, eius praefectus summus * Moſcouiae ab Imperatore conſtitutus eſt perillustris Diwow, eques, ſed ita vt ciuilis diſciplinae moderatori ſupremo Petroburgenſi ſubſit. In reliquis vrbibus exauctorati fuerunt qui muneri illi adhuc vacauerant, eiusque cura demandata fuit collegiis, quae prouinciis regendis ** praeſunt. Haec vero ipſa, vt reliqua, nullo excepto, ex Senatus imperii auctoritate *** pendebunt.

* Generalpoliceymeiſter.

** Gouvernements-Provincialcanzeleyen.

*** Gerichtsbarkeit des dirigirenden Senats.

Per dies hoſce publicatae ab eodem Senatu litterae fuerunt, Auguſtiſſimi nominis ſubſcriptione munitae, de libertate ac iure equeſtri ordini conceſſo. Pariter promulgatum edictum illud, quo ſublata eſt ſecretioris tabularii curia*.

* geheime Canzeley.

EX VISTVLAE VICINIA. XIX. MART.

Menſe Maio, cum ſollemni ritu inaugurabitur Imperator *Ruſſorum auguſtiſſimus*, Petrus tertius, publice declaratum iri rem maximi momenti, fama vndique refert.

In Ruſſorum exercitu qui voluntarii extranei adſunt, Imperatorio iuſſu inde diſceſſuri omnes feruntur.

Petroburgo apud exercitum redux exſpectatur illuſtriſſ. Romanzow, ſub initium menſis Aprilis.

LONDINO. XXIII. MART.

Nudius tertius, noctu aduehebatur naui bellica ſummus excubiarum praefectus* Gates, a Monktono, duce bellico, et Rodneyo, praetore nauali, ex Martinica cum litteris miſſus. Laetiſſimum litterae nuntium attulerunt, in ditionem Anglorum redactam eſſe Martinicam: d. IV. Febr. de conditionibus deditionis** conueniſſe cum caſtello regio***, d. VII. pariter cum inſula Rameria. Heri, cum auditae in aula eſſent congratu-

gratulantium voces, mox etiam tormentorum in vrbis turri **** et S. Iacobi viuario ***** fragores audiebantur: vespere per vrbem edita vidimus laetitiae publicae signa.

* Major.
** Capitulation.
*** Fort-royal.
**** Towr.
***** St. James Park.

VINDOBONA. XX. MART.

Hesternum diem, quo fasti nomen retulerant Iosephi, Archiducis, sollemnis aulae pompa * celebrauit. Vestibus e serico villoso nigris, luctus caussa, induti conspiciebantur Administri tum nostri, tum extranei, primi ordinis nobiles, et proceres Vngari: quorum tamen splendidae erant tunicae interiores**. Magnifice ornatae incedebant matronae virginesque nobiles. In templo postquam cum splendido comitatu rei diuinae vacassent Augustissimi, publice prandebant. Vespere variorum in palatio ludorum concursus celebrabatur***.

* grosse Gala.
** reiche Westen.
*** war grosses Apartement.

Modo filiolam validam ac pulchellam enixa fertur hora septima vespertina, Iosephi Archiducis coniux serenissima.

LVTETIA PARISIORVM. XXVI. MART.

Incendio, quo nuper in vico S. Germani per

ipſum mercatum, conflagrarunt tabernae, mercatoribus damnum illatum eſt, vicies centenis millibus librarum * vix ſarciendum. Necabantur ante, quam flammis correptae eſſent, beluae varii generis peregrinae, conſpectui ibidem expoſitae, in his admirandae magnitudinis leo: ne forte flammarum ſpecie obiecta in furorem actae, de caueis ſe proriperent atrocius aliquod ſpectaculum editurae. Adhuc e cineribus eruuntur merces, vel integrae vel liquefactae. In coenobio S. Auguſtini adſeruantur, donec inuenti cognitique fuerint earum domini.

* 2 Millionen.

VRATISLAVIA. XXIV. MART.

Die huius menſis viceſimo, vrbem noſtram intrauit celſiſſimus Pruſſiae Princeps. Eum auguſtiſſimus patruus cum ſumma teſtificatione amoris ac neceſſitudinis excepit. Pridie eius die Petroburgo, vbi iure belli captus detinebatur, huc venit illuſtriſſ. Comes ab Hordt, tribunus militaris.

EX EADEM VRBE. XXVII. MART.

Nudius tertius Magdeburgo venerunt Comes a Finckenſtein, Regis Pruſſiae conclauis interioris amicus primus *, et Hertzbergius, conſiliarius ſanctior.

* erſter Cabinetsminiſter.

RES LITTERARIAE.

Artis poëticae Horatianae descriptio. Praemissa vltimis orationibus quorundam Christianei academici ciuium a. d. V. Aprilis — recitandis: quas ordine ferente indicit *Paullus Christianus Henrici*, Eloq. et Poes. P. P. Altonae, ex officina Christianei Burmesteriana. 3 plag. in 4. mai.

Quae vulgo de Arte poëtica inscribitur, Horatii ad Pisones epistola, non eius artis solum, sed omnis fere *disciplinae* cultioris praecepta huiusmodi continet, vt merito codex quidam rectae rationis, sincerique de pulchro iudicii norma habeatur. Sed vtilitatem libelli, rerumque praestantiam cum nemo in dubium vocaret: fuere, qui ordinem reprehenderent, qui eum transponendis quibusdam partibus qualicunque ratione emendandum putarent. Ab his reprehensoribus Horatium suum liberare hac prolusione studuit Auctor. Itaque vanum esse docet illud de ordine crimen, superuacua transponendi consilia: cum ordo adsit, qualis epistolae eidemque poëticae conueniat, quae non artis systema tradat; sed, notandis scriptorum vitiis, munus officiumque recte scribendi et iudicandi amicos doceat. Quod vt planum faceret, primum Epistolam in tres partes generales dispescit, apte satis conuenienterque collocatas: earum deinceps particulas minores pariter ostendit non temere, sed consilio et recte dispositas videri. In quibus de-

ſignandis Baxteri rationem retinuit, epiſtolam in viginti quinque praecepta tribuentis.

Pars prima (v. 1-111, praecepta nouem complexa) conſiliis monitisque poëmatum recte inſtituendorum communibus conſtat, et primum de inuentione, deinde de diſpoſitione, tum de elocutione praecipit, denique placendi commouendique vim adiungit, qua reliquae artis virtutes veluti perficiantur.

Pars ſecunda (v. 112-274, decem praeceptis conſtans) ad poëma dramaticum in primis, eiusque genus nobiliſſimum, tragicum, pertinet. Hic primum de his, quae dramaticum genus cum epico communia habet, deinde de eius formae propriis exponitur.

Pars tertia (v. 275-fin. praeceptis ſex diſtincta) communia denuo conſilia, et cuiusque carminis operisque auctori tenenda tradit: quae tamen in hoc differunt a primae partis praeceptionibus, quod hae ſuſcipiendi operis conformandique rationem praeſcribunt, illa vero ſcriptum poëma, docent, quomodo emendari ac perfici, ipſeque poëta qua ratione ali amplius, formarique ad maiorem iudicandi, ſcribendique facultatem debeat.

Quibus ita expoſitis ſubiunguntur nomina ſtudioſorum Iuuenum cum argumentis, vel dicendo vel diſputando pertractandis.

Proluſionis illius pag. IV. v. 13 typothetae errore *oratione* legitur, cum legendum ſit *ordine*.

Lauda-

Laudauimus libellis proxime superioribus dissertationes duas sollemnes in Christianeo publice nuper habitas. Vsu praeterea apud nos receptae sunt disputandi exercitationes, tum vernae tum auctumnales, quibus cursus praelectionum semestres, statuto tempore, finiantur. Proponit ex collegio Professorum, quem ordo vocat, disciplinae suae theses, selectioribus ingeniis disceptandas. Huiusmodi sunt, quae modo dimidia plagula formae quartae mai. prodierunt, *Proposita ex disciplinis humanioribus.* Praeside *Paullo Christiano Henrici*, Eloq. et Poës. PP. a. d. V. April. Hora IX-XI exercitatione verna ab argumentis *Benedicti Woldemari ab Ahlefeldt*, Holsati, *Augusti Antonii Thiesen* Slesuicensis, *Matthiae Nicolai Kaeusselin*, Kiloniensis, tuebitur *Martin. Iacobsen*, Altonanus.

Altenburgi Richteri impensis editae prostant, *Comedies Grecques d'Aristophane. Traduites en François, avec des Notes critiques, et un examen de chaque piece, selon les regles du Theatre, par Mad. Dacier.* 1 Alph. 4 plag. in 8. Complectitur libellus comoedias Aristophanis duas, *Plutum* et *Nubes*, ab Anna Fabri, quae Dacerio postea nupserat, Gallice quondam eleganter conuersas, et eruditis obseruationibus illustratas. Prodierant primum Lutetiae Paris. a. 1684. In vtraque eruditorum

lingua

lingua longe versatissimam fuisse Daceriam, inter omnes constat. Neque Graece tantum sciebat: sed fabulae scenicae indolem, rationemque theatralem accurate quoque callebat, subtili politoque iudicio praedita. Humanissimae voluptatis gustum capient, qui Nubium interpretationem notasque Dacerianas cum Aristophanis Nubibus Graecis contulerint, quas cum scholiis antiquis, ante hos decem annos, vtilissimo instituto, erudita *praefatione illustratas edidit Io.* Augustus Ernesti.

Wittenbergae litteris Gerdesii exscriptus fuit *Romanus litteratus rusticus*, auctore M. *Io. Christ. Messerschmid.* Romanos litterarum disciplina imbutos, saepissime legimus rusticatos fuisse, functosque negotiis vrbanis rus ex vrbe, tanquam ex vinculis, euolasse. Commorationem illam rusticanam eleganter hic, licet breuibus, explicat Messerschmidius, Romanumque litteratum in praedio suo docet bibliothecam secum habuisse, commentatum fuisse, legisse, vel vacasse legenti: dictando, recitando, disputando tempus vtiliter suauiterque transmisisse. Quae singula hic non sine iucunda eruditionis varietate persequitur clarissimus Auctor, tametsi bibliothecae suae vsu paene orbatus, cuius maximam partem ob iniuriam temporum in arcas sarcinasque collectam delitescere conqueritur.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXX.

DIE VENERIS, IDIB. APRIL. cIɔ Iɔcclxii.



HAFNIA. II. APRIL.

Praeterito Mercurii de ſollemni hic exquiſitaque feſtiuitate celebrata fuerunt auguſtiſſimi Regis natalitia. Splendide ſimul et ingenioſe apparatae erant menſae, tum regia, Principisque heredis, et Principum regiarum, tum aulae praefecti.

Ad legati bellici * dignitatem euectus fuit illuſtriſſimus Comes Fridericus a Danneſkiold-Laurwig: in ſupremos vigiliarum praefectos ** relati ſunt tribuni adhuc militares, a Benzon, ab Oſten, a Brockdorf, a Pleſſen, a Keith, a Rômeling, a Schulenburg, a Wilſter.

* Generallieutenant.

** Generalmajors.

 Or-

Ordinis in feliciſſimae vnionis memoriam inſignibus * ornatae ab auguſtiſſima Regina matre fuerunt matronae illuſtriſſimae, a Scheel, ab Ahlefeld, a Reitzenſtein, a Roſencrantz, a Moltke. Idem honor collatus fuit in virum illuſtriſſ. Hannibalem Wedel, Comitem a Wedelsburg.

* Der Orden de l' union parfaite.

Hodie conuentum ſollemni more obiit pictorum, ſculptorum et architectorum Academia. Cuius ſodalibus nonnullis numiſmata, tum aurea tum argentea diſtribuit Praeſes excellentiſſimus Comes a Moltke, Regis a conſiliis ſanctioribus, et ſupremus aulae praefectus.

EX EADEM VRBE. V. APRIL.

Die praeteriti menſis viceſimo nono, ingenii ſui, et in religionis litterarumque ſtudio progreſſus ſpecimina edidit regiae celſitudinis Princeps Fridericus: cum examini intereſſent conſilii ſanctioris adminiſtri, ſupremus aulae praefectus, virique primae nobilitatis alii.

MANTVA CARPETANORVM X. MART.

Ad ſtationes ſuas iam abierunt praefecti legionum ſupremi. * Copiis noſtris veluti campum Martium, in quo omnes conueniant, Legionis ** regnum praebet: caſtrorumque principia *** Salmanticae conſtituentur: ſtationes temporariae **** dextrorſum ad Zamoram; ſiniſtrorſum ad ciuitatem Roderici pertinebunt.

* Staabsofficiers.

** Leon.

*** Hauptquartier.

**** Cantonnirungen.

LVTE-

LVTETIA PARISIORVM. II. APRIL.

Martinicae partem maiorem Anglis cessisse accepimus. Castellum tamen S. Petri cum copiis suis adhuc tuetur Insulae Praeses de la Touche. Impedimenta illud Anglis opinione grauiora obiiciet, tum loci ingenio, tum arte humana munitissimum. Superandae sunt oppugnaturis fossae altissimae, traiiciendi torrentes rapidi, qui augeri etiam imbribus tempore aequinoctii solent. Praeterea cliuis pluribus cingitur illud castellum, qui tormentorum suggestis * omnes muniti sunt.

* Batterien.

EX TRACTV VIADRINO. XXXI. MART.

Regiomonte relatum legimus, inter Prussos Russosque de pactione mercatoria * agi, quae ita comparata sit, vt ingens inde ad vtramque nationem commodum videatur redundaturum.

* Handlungstractat.

RES LITTERARIAE.

Augustae Vindelicorum ex officina Academiae Caesareo Franciscceae prodiit sermone vernaculo, auctore *Samuele Wilhelmo Oetter*, Com. Pal. Caes. praeclari operis de Insignibus pars prima, qua imperii Romano-Germanici insignia illustrantur: cum praefatione Henrici Christiani L.B. a Senckenberg, in Augustiss. imperatoris et imperii senatu aulico consiliarii. A. 1761. plag. 18, formae quartae mai. praemissis, quae 12 fere

plagulas complent, dedicatione et praefationibus. Index vernaculus est: *Samuel Wilhelm Oetters*, Com. Palat. Caesar. *wöchentlichen Wappenbelustigung erstes Stück. Oder Erläuterung über das Wappen des Heil. Röm. Reichs. Mit einer Vorrede begleitet von S. T. Herrn Heinrich Christian, Freiherrn von Senckenberg, der Römisch-Kaiserl. Majestät würklichen Reichshofrath.*

Post indicem illum primo hic loco legitur augustissimi Imperatoris Francisci I. edictum Vindobonae d. 3 Iul. 1755 datum, quo *Academiae Caesareo Franciscea artium liberalium* nomine insignitur societas artificum et litteratorum Augustana, quae auctore *Ioanne Daniele Herz*, ciue Augustano, chalcographo et artifice celeberrimo, coierat, nouaeque Academiae sigillum peculiare, varia iura, inmunitates, honores decernuntur. Addita est icon signi adfabre sculpta, "scutum, videlicet in forma cordis caeruleum stellis aureis „vbique constratum, in cuius medio supra ce- „spitem viridem insistit Lyra Apollinis nouem „chordis, quam manus ex nubibus argenteis ver- „sus sinistram progrediens digitis pulsat; scuto „incumbit corona aurea, supra quam littera F „similiter aurea conspicitur; in circuitu scuti le- „gitur Lemma, *Artes et scientiae crescunt concordia „et studio*; totum scutum quiescit quasi in pecto- „Aquilae bicipitis furui coloris, dextro pede en- „sem et sceptrum, sinistro vero pomum Impe- „rii tenentis, alis scutum protegentis, et rostris „suis subsequentem scripturam, *signum Caesareo- „Franciscea artium liberalium Academiae*, sursum ex- „tendentis.

Dedi-

Dedicationi, qua Francifco I. has Academiae fuae tanquam primitias offert Oetterus, praemiffa confpicitur in aes incifa tabula auguftae gentis ora vultusque referens. Eius tabulae prima forma, a Martino de Meytens, pictore aulico, viuentium magnitudine expreffa feruatur in Iofephi Archiducis arce, Belvedere. Quam, cum poftea caelo fuo minoribus figuris imitatus effet Godofredus Haid, denuo hic paullo contractius, fed elegantiffime, caelatam exhibuit, *Ioan. Daniel Hertz, fac Rom. imp Nob. de Hertzberg*, S. C. M. Franc. I. Conf. A. A. L. L.

Sequitur praefatio auctoris, Samueli Wilhelmi Oetter, Comitis Pal. Caefar, et verbi diuini apud Lindenenfes miniftri, viri multis et egregiis fcriptis de Hiftoria dudum praeclare promeriti. In hac primum inftituti operis rationem enarrat: deinde emendationes nonnullas et additamenta profert, quibus in clariore luce ponantur ipfius operis argumenta. §. IV. perilluftris Senckenbergii operam ad detegendum Conftantinopoli Alexii Comnenii Imp. Graec. fepulcrum collatam laudat. Tum tabulas caelatas explicat, quibus opus hic atque illic ornatum eft. Denique in continuanda paullatimque perficienda hac infignium collectione qua ratione verfaturus fit, indicat. In aes incifa exhibebuntur infignia Imperatorum, Regum, Principum Comitum, Lib. Baronum, Nobilium, Ciuitatum, omnia quotquot reperiri poterunt. Singulis in pofterum hebdomadibus edentur binae plagulae

Partem hanc primam excipiet altera, de Franconiae ducum; tertia de Moguntini Archiepiſcopi inſignibus, cet. Prodibunt etiam ex illa Academiae Auguſtanae officina tum Ephemerides litterariae, tum ſcripta ſociorum, ſiue coniunctim ſiue ſeparatim edenda. Facultas praeterea dabitur edendorum monimentorum eiusmodi, quae propter additas figuras imaginesque rariora ſunt v. g. Vredii ſigilla comitum Flandriae, Mabillonii opera cet. Conſtituet quoque, aliarum exemplo ſocietatum, Academia Franciſcea praemia his, qui propoſitas quaeſtiones optime explicauerint. Ita v. g. numos aureos ſex auferet, qui cauſſam probauerit, cur Morauiae marchionatus inſigne habeat aquilam, eamque albo rufoque colore variam? In faſciculum collecti edentur miſſi ad Academiam de propoſitis argumentis libelli, ipſeque faſciculus ornabitur effigie eius, qui quaeſtioni ſatisfecerit.

Illam auctoris praefationem excipit praefatio perilluſtris Senckenbergii, quae de inſignium doctrina vniuerſa ita exponit, vt facile agnoſcamus virum rerum Germanicarum, moriſque ac iuris antiqui longe doctiſſimum. Scientiae illius in Hiſtoriae et Iuris ſtudio vtilitatem docet. Eius comparandae ſubſidia refert. De rege armorum (Roy d'armes, Wappenkönig) itemque de Heraldis ſ. Fecialibus, vtrorumque officio et auctoritate copioſe diſputat, ita vt additis in fine excerptis ex Nicolao Vptono, ex notis ad eundem, ex Claudio Faucheto, ex Spelmanni gloſſario, dictis fidem conciliet.

Opus

Opus Oetteri ipſum, quatuor ſectionibus diſtinctum paragraphis conſtat ſeptuaginta tribus. Principio moris antiqui fuiſſe docetur, coniungi componique in ſcuto figuras inſignium binas, ſic vt vnam referrent: idem factum in aquila Imperii bicipite, eam aquilas binas referre: aquila ita geminata ad geminum imperium, alterum Germaniae, alterum Italiae reſpici. Deinde cauſſa adfertur, quare nigri coloris ſit aquila; illa: quare pedes et roſtrum habeat rutili coloris: quare in area conſpiciatur aurea. Aquila imperii orientis aurea erat; occidentis contra nigro colore. Solebat enim niger in inſignibus color imperium referre occidentem verſus ſitum. In pedum roſtrique colore ſeruata eſt indoles aquilae nigrae naturalis. Area denique ſimilitudinem refert ſolis ſplendore igneo occidentis.

Atque illa, multaque alia erudite hic ſolideque traduntur, et ſubiectis etiam adnotationibus copioſe probantur. Praeterea varios hic errores legimus notatos virorum in hoc doctrinae genere multa ceteroquin cum laude verſatorum.

Praeter illud Oetteri opus, illuſtris Hertzbergii donum, miſſa ad nos Auguſta Vindelicorum fuit ſcidula, qua continuandi illius operis, et repraeſentando pretio melius emendi ratio oſtenditur, aliique libri religioſi indicuntur, ex officina Academiae Franciſceae comparandi: v. g.

Alt und neue Cron der heiligsten Wunden Jesu Christi durch den Wohlehrw. Pater Guilielmum de Woel von Uronesley anfangs in Lateinischer Sprache hei ausgegeben. cet.

Item *Tägliche Erbauung eines wahren Christen zu dem Vertrauen auf Gott und dessen Dienst in Betrachtung seiner Heiligen auf alle Tage des Jahrs in auserlesenen Kupfern.* cet.

Roboreti * naturae nuper concessit *Girolamo. Tartarotti*, Abbas eruditionis laude clarissimus. Oppugnator is acerrimus erat superstitionis illius, quae fascinationi et incantamentis vim tribuit. Aduersarios expertus est, praeter Maffeium, qui diui Dominici instituta, et qui Iesu nomen sodales profitentur. Interea hoc effecisse scriptis suis videtur, vt multis nunc locis paullo cautius iudicet quaesitorum fidei tribunal. **

* Roveredo.

** Inquisition

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXI.

DIE VENERIS, XVI. CAL. MAII. cIↄ Iↄcclxii.



EX IAMAICA. I. FEBR.

Capta nuper et huc ſubducta fuit Gallorum nauis tabellaria. * In qua repertae ſunt, vna cum edicto Hiſpanorum bellico, complures maximi momenti litterae. Exinde in Angliam hinc miſſus eſt Burkius praefectus nauis, ad Rodneyum vero certus homo in Inſulas infra ventum ſitas. ** In mari, quod Hiſpaniolam et Cubam interfluit, naues Hiſpanorum bellicas maiores ſeptendecim verſari accepimus. Qua de cauſſa detinenda *** putaui-

* Paquetboot.

** Leewards-Inſeln.

*** Mit einem Embargo belegen.

putauimus, quae in portu noſtro ſunt, omnis generis nauigia.

OLYSSIPONE. II. MART.

Et in vrbe hac, et in reliquis regni partibus, ipſiusque propugnaculis quieta ſunt omnia: neque adparatus bellici ſunt eiusmodi, quibus opus foret, ſi quis ab Hiſpanis metus eſſet. Ex quo Regem fideliſſimum medium prorſus ac nullius partis futurum intelligitur, quem modo huc, modo illuc inclinaſſe, commentariorum apud extraneos ſcriptores nonnulli tradiderant.

MEDIOLANO. XXII. MART.

Ex quo nuper Auguſtam Taurinorum venit Pittius, Anglorum in aula Sardiniae Adminiſter, multorum hic cupiditas intelligitur cognoſcendi, quid is rei attulerit, et quae conſilia agitet. Quantum adhuc quidem perſpeximus, nihil molitur, quod ad interrumpendum Italiae otium pertineat. A ſeruandae pacis ſtudio haud diſceſſurum putamus Sardiniae regem. Atque idem quoque Reginae imperatrici, et Gubernatori noſtro, Mutinae Duci, videri, vel hoc indicio eſt, quod vrbis adhuc praeſidiaria Königseggii cohors, in Germaniam per hoſce dies conceſſit, in Sileſiae exercitu militatura.

VINDOBONA. XXVII. MART.

Valetudine ſatis proſpera vna cum filiola vtitur celſiſſima puerpera, Ioſephi Archiducis coniux.

Die

Die XXIII. matronarum curae manibusque exemerunt Augustissimi Ferdinandum et Maximilianum, Archiducum natu minimos, et illustrissimo comiti a Goes regendos tradiderunt, in aula Suecica antehac legato.

Qui legationi Turcicae destinatur, Pencklerus, ad Imperii comitum dignitatem euectus nuper fuit. Constantinopolin sub exitum mensis proximi abibit, cum comitatu quingentorum fere hominum. In his duodecim operam suam nauabunt linguae Turcicae diligentius exercendae: quorum qui reliquos linguae eius facultate praestiterit, redeunte illustrissimo Penklero, Constantinopoli residens negotia nostra acturus est.* Legati princeps negotium versabitur in renouandis pacis sanctionibus: deinde natum heredem gratulabitur aulae Turcicae.

* als Resident.

VRATISLAVIA. XXX. MART.

In vtroque exercitu aduerso ea fiunt, quae propediem copias deductum iri in campum indicent. Austriaci quidem quae ad Suidnicium agmina habent, submittendis militibus augent.

EX EADEM VRBE. III. APRIL.

Proximo Mercurii die ad Regem augustissimum Prussiaeque principem cum accessissent cultus et obseruantiae caussa * Czernischevius, comes summique ducis legatus, et reliqui duces Russorum militares, prandio omnes regio adhibebantur. Nudius tertius hinc ad exercitum,

qui Viadrum iam transierat, rursus abiit comes illustrissimus. Exercitus quidem in agris Wartae vicinis stationes habebit temporarias.

* Cour machen.

Qui in hac vrbe captiui commorantur, praefecti militum Austriaci, hinc in alia ditionis Prussicae castella abducentur.

LVTETIA PARISIORVM. VI. APR.

Die praeteriti mensis postremo ad patrum ordinis Iesu collegium regio iussu adiit Comes a St. Florentin, patresque de claudendis ex senatus regni sententia scholis hortatus est. Atque illi statim dicto audientes fuerunt. Dilationem quidem a Rege libello supplici iterum petierant boni Patres: sed ipso Regis responso ad Senatum reiecti fuerant. Itaque die I. Aprilis in varia Vniuersitatis litteriae collegia mittebantur illorum adhuc alumni, in quibus Armenii non nulli et Sinenses erant, Christianae religionis elementis imbuti. Reliqui ex collegio discipuli ac tirones * in alias scholas inferiores discesserunt. Depositis ordinis sacri vestibus communes induerant, quo a plebeculae ludibriis tutiores prodirent.

* Aus dem Noviciate.

Telone Martio * accepimus, ibidem pariter ab vrbis Praeside iussos fuisse eiusdem ordinis sodales collegium suum ex Senatus sententia relinquere: atque in illud introductos publice

fuisse

fuiſſe oratorii patres, cum, inter tympanorum tubarumque concentus, ciues in armis omnes adſtarent.

* Toulon.

AMSTELODAMO. X. APR.

Martinicae caſtellum a S. Petro dictum in Anglorum poteſtatem d. XIII. Febr. veniſſe, allatis inde nuntiis, accepimus.

EX LITTERIS MEGAPOLITANIS. V. APR.

Proximo Iouis die Suerinum intrauit agmen ſclopetariorum * Pruſſicum. Billerbeckius, Tribunus, in villam Kirchſtück, quae vnum ab vrbe milliare diſtat, conceſſit: eo ad accipienda die VIII mandata euocauit magiſtratum ciuesque potiores quadraginta. Roſtochium pariter valido Pruſſi praeſidio tenent. Indictum nuperrime ciuibus tributum trecenta imperialium millia aequat.

* Fuſilierbataillon.

RES LITTERARIAE.

Lob-Rede auf den Allerdurchlauchtigſten Grosmächtigſten Fürſten und Herrn, Herrn Petern den Dritten, Kayſer und Selbſthalter aller Reuſſen, cet. Erben zu Norwegen, regierenden Herzog zu Schleswig, Holſtein, Stormarn und der Dithmarſchen, Grafen zu Oldenburg und Delmenhorſt, cet. bey Gelegenheit Dero Beſteigung des Rusſiſchen Kayſerthrones,

an Dero allerhöchsten Geburtstage im Namen der Holsteinischen Academie gehalten von *Johann Michael Schwaniz*, der philosophischen Facultät jetziger Zeit Dechanten, der Weltweisheit, wie auch der Beredsamkeit und Dichtkunst offentlichen ordentlichen Lehrer.

Ita inscriptum est, Kilonii litteris Bartschii Acad. Typogr. 9 plag. in folio editum, illustre illud pietatis atque laetitiae monimentum, quo inter publicas patriae *festiuitates suam in augustissimum* Principem obseruantiam die XXVI Febr. declarauit Academia Holsata.

Exordium orationis, in quam proprie conuenit panegyricae nomen, duxit praestantissimus Academiae orator Schwanizius a tempore ipso, quo et recolenda esset nati Principis memoria, et simul celebranda primum suscepti modo imperii auspicia. Deinde orationem ita instituit, vt felicitatem ciuium doceat non tam a regionis, quam incolant, natura et indole, vel ab imperii forma, quam ab imperantium consilio et virtute pendere. Hinc ad effingendam in Petro III. Imperatore augustissimo, summi perfectique Principis imaginem progressus, elucere in eodem probat excelsas domus Oldenburgicae virtutes, clementiam, litterarum amorem, sapientiam, illudque inprimis augendae felicitatis publicae studium, cui luculentis adhuc testimoniis demonstrato ampliorem posthac campum praebitura sit vasti imperii potestas. Peroratio, dulcis-

dulcisſimi adfectus plena, exſpectationem Europae, poſt tot belli calamitates, pacificatorem optantis, ſpem denique et vota Academiae, eleganti apoſtrophe, complectitur.

Eidem Viro doctisſimo atque ceberrimo Carmen quoque debetur ſuaue ac ſonorum, quod in illa ſollemnitate inter reliquos concentus muſicos decantatum fuit.

Publico officio priuatum addidit pietatis Academicae interpres dedicatione, qua Imperatori optimo maximo orationem hanc obtulit.

Lipſiae haud ita pridem, auctore *Ioanne Auguſto Erneſti*, viro ſumme ven. tribus formae maximae plagulis prodiit Programma, quo publico Academiae nomine memoria commendatur b. *Chriſtophori Wollii*, Doctoris Theologi, diſciplinae ſanctioris extra ordinem Profeſſoris, et ad diui Thomae Archidiaconi. Lectu illud digniſſimum eſt, tum propter vitam, quam enarrat, viri de variis eruditionis partibus egregie promeriti, tum propter inſignes obſeruationes, litterarumque ſtudioſis commendandas, quae poſſim ab Auctore doctiſſimo inſertae leguntur. Egeſtatem cum grauiſſimam aduerſariam experiretur Wollius iuuenis, tam amice paſſus eſt, vt noua inde ſtudiorum incitamenta ſumeret. Amplisſima

plissima vero erat viri eruditio, et per omnes fere disciplinarum campos diffusa. Quam cum laudasset celeb. Ernesti, haec addit: "Qui tot lin„guas, tot artes ac disciplinas, tam bene ac copi„ose tenuit, non satis docet, quantum capiat in„genium humanum, si modo aperire se doctri„nae vndique affluenti, eamque serio complecti, „exaggerare eius thesauros, et fideli custodia re„tinere velit? non pudorem incutit ignauiae, „quae tam libenter angustis se vnius disciplinae „finibus continet, atque etiam se ingenii huma„ni imbecillitate, et disciplinae cuiusque ampli„tudine velat, et, vt etiam impudentior sit, mo„destae cuiusdam sapientiae nomine ornat? Deinde ad perfectum Theologum, et venerabili hoc nomine dignum quid quantumque requiratur, Wollii exemplo demonstrat.

Berolini die IV Aprilis sanguine ictus obiit R. *Dauid Hirschel Fränkel*, anno aetatis quinquagesimo quinto, celebris Iudaeorum doctor coetusque praefectus, et cum aliis scriptis, tum erudito in Talmud Hierosolymitanum commentario clarus.

In libelli proxime superioris titulo alium diem posuit typographus. Legatur DIE MARTIS.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXII.

DIE MARTIS, XII. CAL. MAII. cIↃ IↃCCLXII.



CONSTANTINOPOLI. I. MART.

Praeterito Iouis die Scutarium hinc transuehebatur armata triremi infortunatus ille Haſſan-Aga, ſatrapa antehac horreis ad Danubium Turcicis praefectus. Ibi, cum exſcendiſſet, ſtrangulatus laqueo ſerico fuit. Quo necis genere adfici ſolent, qui in aulae offenſionem incurrerunt purpurati Turcici, et prouinciarum praeſides. Iuſto is diutius concluſum in horreis tenuerat frumentum, eaque re vt magna annonae caritate et fame adeo per dies octo vel decem ciuitas noſtra vexaretur, effecerat. Eum interuertiſſe putabant nonnulli partem donorum, quae Meccam quotannis ad

Mahumedis ſepulcrum mitti ab aula Turcica ſolent.

PETROBVRGO. XXIII. MART.

Die menſis huius XX. legionem praetoriam equeſtrem * futuro ipſius Tribuno tradidit Imperator auguſtisſimus, Georgio, Holſatiae Gottorp. Principi celſisſimo. Quod vt rite fieret, eo die mane legioni, inſigni ſollemnique ordine collocatae, ** praeerat ipſe Imperator. Qui, cum adueniſſet Princeps, arma ſtatim expedire per ſalutationem militarem *** iusſit, legique publice propoſiti ea de re edicti formulam. Quo facto, accepto imperio, Principis iuſſu ſalutabatur Auguſtisſimus inter tympanorum tubarumque concentus.

* Leibgarderegiment.

** in Parade geſtellt.

*** das Gewehr praeſentiren.

Inde in coetus catholici templum concesſit Imperator, ibique celebrandis in beatiſſ. Imperatricis, Eliſabetae Petrownae, memoriam exſequiis interfuit. Adparatu funebri magnifice exornatum erat templum, dulcique concentu muſico reſonabat. Peracta re diuina, apud templi eius Patres paulliſper commoratus Auguſtisſimus, oblatam aedificandi templi maioris deſcriptionem clementisſime comprobauit.

BARCINONE XVIII. MART.

Ad cohortes, quae congregantur, ſupplementis explendas nulla vi opus eſt, praeterquam

in

in desidiosis quibusdam et erronibus, non vni adhuc ciuitati molestis. Ad Lusitaniae fines qui conuenit, exercitus a praecauendo nomen trahet, atque aliorsum militatum ibit, vt primum a bello abhorrere Lusitanos constiterit.

MANTVA CARPETANORVM. XXIII. MART.

Die mensis decimo lustrabatur a Rege catapultariorum * turma, quadringentis militibus selectis constans. Quae desertoribus proposita fuerat, venia hanc vim habuit, vt eorum bene multi, cateruatim nonnunquam, reuerterint. Salmanticam, post plures duces alios, nudius tertius quoque abiit Marchio a Soria, summo copiis imperio praefuturus. Is tamen exercitus cui expeditioni destinetur, nondum nouimus explorate. In Vandalitia * * qui congregatur, verisimile est Gibraltariam obsidione cincturum.

* Carabiniers.
* * Andalusien.

HAGA COMITVM. XIV. APR.

In dies magis magisque incenditur cupiditas cognoscendi, quaenam cum foederati Belgii ordinibus nonnullis consilia agitarint Administri, Austriacus, Gallicus, Anglus atque Hispanus. Illud solum, nihilque praeterea, expiscari ab hominibus politicis licet, de grauissimi momenti rebus, quae ad communem Europae rationem pertinerent, deliberatum fuisse.

In Bengalae tractu nouae inter Anglos Bata-

uosque lites nuntiantur exortae: iamque ab Anglis capta audimus loca, quae a ſocietate mercatorum noſtrorum Indica tenerentur.

Litteris Anglicanis Oſtenda ad nos perlatis ſi haberi fides poteſt, in Magnae Britanniae ſtipendia transſcribuntur quadraginta Ruſſorum millia.

ROTERODAMO. XIII. APR.

Londinenſium litteris die huius menſis ſecundo datis accepimus, caſtellum Petrinum, totamque adeo Martinicam, in Anglorum veniſſe poteſtatem: omnes Gallorum milites praeſidiarios primo quoque tempore inde in Galliam transuectum iri.

VRATISLAVIA. VII. APRIL.

Nudius tertius a meridie reducem Petroburgo vidimus, qui iure belli captus ibidem detinebatur, Wernerum, ſummi ducis legatum.

Coſelia poſtquam allatus fuit de morte Lattorfii nuntius: vrbi illi caſtelloque praeeſſe Rex voluit Sasſium, Tribunum, Brigenſi adhuc praeſidio praefectum: eique ſimul legionem tradidit pedeſtrem, quae Lattorfii quondam fuerat.

LIPSIA. X. APR.

Quotidie huc conducta conſpicimus noua militum Pruſſorum ſupplementa. Quae cum ad militiam ſatis praeparata armisque exercita fuerunt,

fuerunt, ad stationes suas, addito comitatu, abducuntur. Platenii agmen propediem propius congregabitur.

Ex Lusatia inferiore discedere accepimus Prussos.

Laudoni copiae, die XXVI. praeteriti mensis ex hibernaculis maximam partem extractae, Strigouiam versus processerunt.

HANNOVERA. XII. APR.

Londinum euocatus ab augustissimo Rege perillustris Behrius, in senatu sanctiori consiliarius, iter illud per Belgium iam suscepit.

EX POMERANIAE CONFINIO. XIII. APR.

Propediem Russos ex Pomerania et Marchia Noua discessuros indicant imponendi passim Viadro pontes nautici.

In Saxoniam abeunt, Henrici Principis exercitum aucturae, quae in Marchia noua adhuc constiterant cohortes Prussicae.

Ribnitii die mensis VII. factas Prussorum cum Suecis in duos menses inducias fuisse, exploratae res veritatis est. Sed quam mox relicturi sint Prussi ducatum Megapolitanum, nondum habemus compertum. Ante dies aliquot Rostochium abduxerant ciues nonnullos Suerinensium primarios, soluendi tributi obsides.

BILEFELDA, XII. APR.

Hodie ab hibernis Monasteriensibus discessura, et Ruram versus duplici proficiscentium agmine* motura erat exercitus foederati pars maxima. Sed quo illud consilio fieret, nondum constabat.

* in zwey Corps.

VINARIA. VII. APR.

Hodie mane circiter horam nonam in praedio suo Osmannstädt, quod duo ab vrbe lapides distat, vitae cursum confecit vir illustrissimus Henricus S. R. I. Comes a Bünau, augustissimi Imperatoris a consiliis sanctioribus, Ordinum Seraphini, Ioannitici, et Vinariensis Eques. Natus erat d. 11 Iun. a. 1696.

ALTONA. XX. APR.

Incertus adhuc rumor est, missa esse ad exercitum foederatum a Friderico Eugenio, Würtenbergiae Principe, aliquot millia militum; Saxones ab exercitu Gallorum seiungi, in Silesiam iter habituros.

RES LITTERARIAE.

D. Christiani Wilhelmi Küstneri, Consist. et Facult. Iurid. Assessor, ac ciuit. Lips. Syndici, Chrestomathia iuris Enniana, seu Loci Ius Romanum illustrantes ex Ennio cum notis adiectis. Lipsiae apud Ioa. Wendler. 5 plag. in 8.

In praemissa opusculo praefatione consilii sui ratio-

rationem exponit auctor consultissimus, et in coniungendis cum iuris scientia litteris humanioribus multa cum laude versatus. Colligere instituit ex veteris Latii auctoribus quae cunque ad illustrandum ius Romanum faciunt, loca exstantiora, eademque adnotationibus suis obseruationibusque illustrare. Eius instituti initium sibi ab Ennio faciendum putauit, quod hic et antiquissimus fere est historicorum et poëtarum; et verbis antiquis obsoletisque vtitur, quae intellecta ad explicandas XII. tabulas, fontem illum iuris Romani, eo vim maiorem habent, quo propius ab illarum legum aetate abfuit Ennius. In ponendo operi titulo morem secutus est Küstnerus, b. Gesneri, praeceptoris quodam sui, non vnius Chrestomathiae auctoris. Quem titulum non impleuit modo ipso facto; sed superauit etiam, quod promissis maiora praestitit. Vbique enim, praeter solidam antiqui iuris scientiam, philologiae et critices, nec minus antiquitatum et historiarum ampla accurataque cognitio comparet. Multa hic reperient elegantioris iurisscientiae studiosi, quae ad ius solide intelligendum pertineant: itaque nobiscum optabunt, vt breui sequantur etiam, quarum praefatione extrema spes facta est, reliquae ex Lucilio aliisque auctoribus R. iuris Chrestomathiae. Ceterum inscripsit opusculum eruditissimus Küstnerus Parenti suo, senatus bellici sanctioris consiliario, eique acceptam ante annos quinquaginta doctoris dignitatem, ipsumque adeo iubilaeum academicum, gratulatus est.

Quae

Quae de puellarum virginumque adolescentium institutione, scribendis promptuariis, iam pridem insigniter promerita fuerat, femina ornatissima *Le Prince de Beaumont*, nuper etiam eiusdem argumenti fabulam romanensem edidit hoc indice, *Civan Roi de Bungo, Histoire Japonnoise*. Duabus illa partibus constat: propediemque Lipsiae in Lankischii taberna libraria prostabit germanice conuersa.

Ex eadem pariter proditura exspectatur interpretatio vernacula libri Gallici, *Les progrès du commerce*. Eo tum historia mercaturae et commerciorum inde a prima origine diligentissime traditur; tum vero eius rei ratio hodierna eleganter describitur.

A serenissimo Marggrauio Brandenburgico Culmbacensi euocatus Lipsia nuper fuit *Iohannes Rudolphus Kiesling*, Doctor Theologus, et linguarum orientis adhuc Professor ordinarius: futurus in Academia Erlangensi sanctioris disciplinae Professor ord. templique academici Pastor.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXIII.

DIE VENERIS, IX. CAL. MAII. cIↄIↄCCLXII.



NEAPOLI. XXIII. MART.

Allatae nuper Mantua Carpetanorum litterae Lusitanos negant neutrius partis futuros. In itinere iam sunt Hispani, regnum illud duobus vel tribus locis irrupturi. Insigniter auctae sunt, ex quo rebus praeest Carolus III, vires Hispanorum bellicae. Qui cum antea militum vix octoginta millia haberent, centum nunc et quadraginta millia numerant.

OLYSSIPPONI. XXII. MART.

Ex quo huc aduenit illustriss. Tirawley, continenter ab aula nostra Mantuam Carpetanorum missi sunt cursores tres. Hispanorum apud nos

legatus domesticos suos omnia ad abitum comparare iussit. Inde denuo significatio fit coniunctionis propediem dirimendae. Iamque adeo declarasse Hispania dicitur, nequaquam sibi probari conditiones, quibus neutrius partis studium Lusitani proposuissent.

LVTETIA PARISIORVM. XII. APR.

Omnium hic animos commouit illo amissae totius Martinicae nuntius: quae qua ratione factum sit vt ab Anglis tam cito expugnaretur, intelligi vix potest.

Haud minorem animaduersionem excitat ineunda Prussorum cum Russis pactio.

Ante dies aliquot Cassclas discessit Sobisius: breuique suam ad Rhenum inferiorem stationem petiturus est Comes ab Etrées, summus castrorum praefectus.

Die mensis I. de vitae huius theatro discessit, qui haud leues quondam partes egerat, Germanus Ludov. a Chauvelin, regiorum ordinum praefectus *, Sigillorum custos ** regisque in rebus extraneis a secretis ***. Magna is auctoritate pollebat, quo tempore rebus praeerat purpuratus pater a Fleuri: cui cum visus esset paullo arrogantior, deposito munere, secedere iubebatur.

* Commandeur des Ordres du Roi.

** Garde des fceaux.

*** Secretaire d'état au Departement des affaires étrangeres.

Ex

Ex nouisſimis Hiſpanorum litteris in dies magis magisque euoluitur rerum, quae inter aulas Hiſpanam Luſitanamque agebantur, exitus: ita quidem, vt breui aliquid exſpectari debeat.

DVBLINO. XXX. MART.

In tractu Waterfordienſi locisque vicinis eae nuper turbae factae ſunt ab improborum hominum globo, quae parum abeſſe a ſeditione viderentur. Effractis carceribus emittebantur captiui: pasſim diripiebantur domus: conſcindebatur propoſitum a Regis vicario * edictum. Sed miſſi iam ſint, qui globum illum disiiciant.

* Vice-König.

PETROBVRGO. XXV. MART.

Propter valetudinem minus commodam vt deponere munus ſibi liceret, petierat illuſtrisſimus comes Alexey Grigorjewitſch Raſumowsky, Eques, ac ſupremus caſtrorum praefectus. Annuit petitioni Auguſtisſimus, virumque de patria optime meritum cum ſumma teſtificatione ſuae in eum voluntatis honeſtisſime dimiſit.

EX POMERANIA VLTERIORI. IV. APR.

Die menſis huius tertio, Petroburgo Stolpam rediit Romanzouius Comes, idemque exercitus in Pomerania Rusſici praefectus ſummus, et propter inſignem humanitatem ac clementiam omnibus aeque carus et exoptatus. Stolpae is praetorium conſtituet. Eius iudicio commendati ſingularem apud Imperatorem gratiam inie-

 runt,

runt, quicunque in expeditione superiori eximiae cuiusdam virtutis documenta ediderant.

DRESDA. IX. APR.

Mature copias in expeditionem eductas fore, ex diligenti rerum adparatu intelligimus. Die XXIV. ex Lusatia superiore in Silesiam concessit Beckii agmen. In eius locum successerunt venatores, et desultoriorum equitum primarii, * qui prope Altenburgum constiterant.

* Staabsdragoner.

HAYNA. XIV. APR.

Ad Henrici Principis exercitum conuecta nuper Magdeburgo fuerunt tormenta grauiora bene multa. Eius quoque horrea omni commeatus genere complentur. Castra Austriaci tam hic quam Budissae habent numerosa. Praesidii Dresdensis Austriaci vices permutaturi Saxones dicuntur.

RES LITTERARIAE.

Gedanken über die vornehmsten Fehler heutiger Geschichtschreiber, welche dem wohlgebohrnen Herrn, Herrn Iohann Heuss, Sr. Königl. Majestät zu Dännemark, Norwegen, hochbestalltem Kanzeleirathe und Postcommissario in den Herzogthümern Schleswig und Holstein, bey Gelegenheit Dero den 17. März dieses 1761sten Iahrs erfreulich erlebten Geburtsfestes nebst schuldigstem Glückwunsche übergiebet *August Benedict Michaelis.* D. R. D.

Hamburgi duabus plagulis in quarto mai.

superiori

ſuperiori anno prodierat elegans illa commentatio, qua Hiſtoricorum noſtrae aetatis naeuos exſtantiores notauit Auguſtus Benedictus Michaelis, Iur. Vtr. Doctor, Vir in hiſtoriae et iuris ſcientia egregie verſatus, et non vno ſpecimine cognitus. Scriptionis huius initio, rationem exponit conſilii ſui, illudque a carpendi ſtudio, vel nimio veterum amore, quo impulſus videri forte nonnullis poſſet, vindicat. Eſſe etiam noſtro ſaeculo Hiſtoricos largitur, in quos vitiorum, quae hic notantur, nullum cadat, illuſtrisſimum Bünauium, Maſcouium, Scheidtium, Buderum, Böhmium, perilluſtrem Holbergium, Köhlerum, aliosque paucos, qui ne decus apud nos deperdat Hiſtoria, ſcriptis ſuis diligenter caueant: ſed verendum eſſe addit, ne transferri aliquando huc posſint illa Virgilii, paullulum immutata,

— — Extrema per illos
Hiſtoria excedens terris, veſtigia fecit.

De eius diſciplinae detrimentis conqueſtum teſtatur b. Baumgartenium. Hiſtoricorum vitio fieri docet, vt de nobilisſima diſciplina contemtius nonnunquam iudicent philoſophiae, dialectices in primis, magiſtri.

In hiſtoricorum recentioris memoriae vitiis vel primo loco ponendum iudicat Auctor conſultisſimus nimium illud ingenioſe venuſteque ſcribendi ſtudium. Haud exigua orationis hiſtoricae virtus eſt elegantia et venuſtas quaedam ſimplex, quae ſuauitate lectoris animum retineat: ſed veritati officiunt nimiae dicendi veneres et

ſtudio conquiſitae. Nonnullorum noſtrae aetatis cum ſcripta legas, dubites, veramne hiſtoriam conſcribere, an mutuari inde fabulae Romanenſis argumentum voluerint. In quo abuti etiam anecdotorum licentia ſolent. Nec in vitio leuiori ſunt, qui eorum, quae tradunt, teſtes auctoresque adferunt nullos. Quo fit, vt in rei veritatem inquirere lectores nequeant. Superſedere illo nominandorum teſtium ſtudio his ſolis licet, qui epitomen concinnant doctoris voce illuſtrandam. Illud quoque incommodum eſt, quod fieri haud raro videmus, vt cum habet aliquis quibus ſingulare aliquod factum in luce ponatur, non illa commentariis eruditorum inſerenda curet, ſed compendium ipſe integrum hiſtoriae condat. Sed hoc vitium longe grauiſſimum, quod qui ad conſcribendam hiſtoriam noſtra aetate accedunt, recentiora tantum complexi, ſuperiora plerumque, et quae maiorum memoria contigerunt, negligenda ſibi putant. Itaque medii aeui hiſtoriam, cuius ineunte hoc ſaeculo tantopere feruebat ſtudium, hodie fere incultam iacere dolemus: cum numeroſa ſit cohors malorum ſcriptorum, qui viuentium Principum res geſtas, vel gerendas potius, conſarcinent. Poſteris relinquendae erant illae partes, maiori olim fide, quam nunc fieri poteſt, exſequendae. Si qui ſunt noſtra aetate, qui de rebus medii aeui exponere inſtituant, eorum plerique, quaecunque ſuperſunt, vndique nullo adhibito iudicio corradunt, et hominum nullis vel exigius quondam meritis clarorum indices amplis-

amplissimos proferunt. Denique illud in hoc genere historico vitiosum est, et animaduersione dignum, quod scripti ab exteris, Anglis potissimum et Gallis, libri sine delectu, lucri caussa Germanice conuertuntur. Id quod magis etiam ridiculum est in rebus Germaniae, quarum monimenta subsidiaque longe veriora penes nos, quam penes exteros esse, nemo dubitauerit.

Coniunctum cum illa disputatione argumentum habet ea, quam nuper admodum edidit idem Vir doctissimus I. B. *Michaelis*, Commentatio. *Gedanken von einigen Vorzügen, welche die heutigen Geschichtschreiber, über die in den altern und mittlern Zeiten gelebte, erhalten.* Pariter haec inscripta est viro illustri Ioanni Heuss, de nostrae aetatis historia, cui suppeditari argumenta ephemeridibus vernaculis, Latinis, Gallicis, curat, praeclare promerenti. Simili elegantia, quamquam breuius, commoda illa indicantur, quibus superare veteres Historicos possint hodierni, sua si bona norint. Insignia incrementa ceperunt nostra aetate disciplinae litterarum tantum non omnes: vnde, propter commune scientiarum vinculum, fieri non potest, quin multa quoque ad Historiam bona redundent. In multa nunc luce collocatam habemus, quae obsita olim tenebris erat, scientiam naturalem. Itaque abesse a recentiorum historiis possunt illae rerum incredibilium narrationes, quarum plenae sunt veteres, Graecae et Romanae: abesse possunt illa, quibus mediae aetatis Historici scatent, commenta, cum lapides vel sanguinem pluisse nar-

rant,

rant, cum ſanctorum miracula referunt, vel illos publicae calamitatis nuntios, cometas, et id genus reliqua. Ab eloquentia et poëſi vtrum noua lux inferri hiſtoriae poſſit, erudite hic disquirit praeſtantisſimus Michaelis, et in illa quaeſtione caute verſandum eſſe docet. Etenim primo, quod ad poëſin attinet, dubium adhuc videri, antiquisne an recentioribus principatus debeatur. In quo auctoritate vtitur iudicis maxime idonei, b. Geſneri, quam in programmate de vita ipſius retulit Vir illuſtris Ioa. Dav. Michaelis, Noſtri frater germanus. Deinde videndum eſſe, ne abuſu eloquentiae ac poëſeos in mendacii ſuſpicionem adducatur hiſtoria. Porro, nec deeſſe noſtrae aetati Hiſtoricos, qui vtili dulce miſcuerint. Denique, ſi Hiſtoricos Graecos et Romanos elocutionis nitore non dum conſecuti videantur hodierni: horum illud incuriae adſcribendum eſſe.

Elegantia haec, quae in vtroque libello legimus, de Hiſtoricis monita, ſi diligentius tenerent, qui ad hanc litterarum partem accedunt, breui futurum eſſet, vt veterum in illo genere laudem ſuperaremus.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXIV.

DIE MARTIS, V. CAL. MAII. clɔ Iɔcclxii.



HAFNIA. XX. APR.

Die XVIII. in templo Fridensburgensi aulico, praesente aula, coetuque illustri, religionis confessionem publice edidit Wilhelmina Carolina, regiae celsitudinis princeps. Inaugurandi ritum eleganti grauique oratione administrabat Blochius, concionator aulicus.

Ad equestrem, qua Liberi barones gaudent, dignitatem euexit Rex augustissimus virum perillustrem Henricum Carolum a Schimmelmann, legatum in circulo Saxoniae inferioris extraordinarium: eique Hafnia discedenti ordinis etiam Danebrogici insignia contulit.

PETROBVRGO. XXX. MART.

Nobilium adoleſcentum cohorti * praefectus nuper ab Imperatore auguſtisſimo fuit Iwan Iwanowitſch Schuwalow, legatus bellicus. Intereſſe quoque dignatus eſt Auguſtisſimus luſtrationi litterariae, qua ſuorum in mathematicis aliisque diſciplinis ac linguis profectuum ſpecimina dare iubebantur nobiles illi. Eodem die, cum prandio adhibuiſſet eius cohortis praefectos primarios, ſaltantes quoque vidit iuuenes, digladiantes, et ad artis praeſcripta *ſalientes:* ** eorum etiam centuriam exercitationes militares obeuntem. Denique delecti ex illis centum et quinquaginta duo diligentiae ſuae praemium tulerunt, praefectorum militarium dignitatem.

* Cadetenkorps.

** voltigiren.

Die XXIII. propoſitum a ſupremo ſenatu fuit edictum imperatorium, quo, ad rectius conſtituendam rem militarem, curia quaedam militaris * inſtituitur. Eius ſe praeſidem dixit ipſe Auguſtisſimus, Adſeſſores vero Celſisſimum Holſatiae Principem Georgium, Sereniſſ. Trubetzkium, et Holſatiae Beccenſis Principem: Villeboiſium praeterea, rei tormentariae in expeditione praefectum ſummum; ** Glebouium, rerum bellicarum curatorem ſupremum; *** Meigunouium, legatum bellicum; denique Liberum baronem ab Vngarn, ſupremum militiae adiutorem.

* Kriegscommisſion.

** Generalfeldzeugmeiſter.

*** Generalkriegscommiſſaire.

VIN-

VINDOBONA. X. APR.

Frequentes in vrbem veniunt indeque rurſus diſcedunt curſores, cum mandatis bellicis. Per hoſce dies primus quoque ex Sileſia aduenit curſor caſtrenſis: * hic adductas iam ex Saxonia nuntiauit legiones imperatorias regias nouem, pluresque exſpectari; a Rege Prusſiae iuſſos eſſe Sileſiae incolas rebus ſuis, quae moueri poſſunt, cauere; imminere itaque accerrimae expeditionis periculum; a Laudono omnia apparari, vt quam primum deducere copias in campum posſit. Peractis paſchatos feriis hinc diſceſſurus eſt Daunius.

* Feldſtaffette.

LONDINO. XIII et XVI. APR.

Die IX cum Olysſippone aduenisſet curſor, poſtridie eodem rurſus mittebatur alius. Neutrius partis ſtudium tametſi ſeruare principio conſtituerat aula Luſitana: videntur tamen quae ab Hiſpanis facta ſunt, iam iamque exigere, vt auxilia ilii noſtra mittamus. Iamque nomina audimus copiis auxiliaribus praeficiendorum. Quibus ſi carere fortaſſe Luſitania potuerit, ex Algarbia illae Gibraltariam petent, et, cum praeſidiariis coniunctae, clasſiculam augebunt, inuadendis Hiſpaniae oris deſtinatam.

Deliberatum per dies aliquot fuit de pacis conditionibus, Georgio Pitt, noſtro ad aulam Taurinenſem legato, propoſitis, cum Lutetiam is Pariſiorum tranſiret. Mox tamen improbatae

prorsus reiectaeque fuerunt,illis,quasBussius ante tulerat, praeterquam in tribus Hispaniae capitibus, haud absimiles.

Artis hic Daedaleae periculum facturus est peregrinus nescio quis. Ingenti pretio allectus, ex turri S. Brides volatu petet viuarium,* altero inde lapide remotum. Idque se, nisi tempestas obstiterit, intra sex temporum puncta ** praestiturum, recepit. Alis ille binis caudaque, ad aequilibritatem affabre effictis, vtetur. Quae de re illa mirabili et inaudita factae iam sunt, sponsiones tricies mille libras numorum Sterlingicorum efficiunt.

* Hyde-Park.

RATISBONA. XV. APR.

Petroburgum hinc reuocatus ab Augustissimo fuit, qui pacificationi Augustanae interfuturus erat, Russiae legatus, illustriss. Comes a Keyserling. Ad aulam is Polonam extra ordinem legatus ibit. Itaque redire suos, et huc reuehi iussit quae Augustam Vindelicorum de supellectili transportata fuerant. Similiter conductas ibi aedes locatori iam renuntiauit Liberbaro a Plotho, Regis Prussiae ad Comitia legatus.

BEROLINO. XVII. APR.

Regem castra mouisse, proximi ex Silesia nuntii referent. Waldeburgi nuper Laudonus praetorium habuit, cum exercitu aliquantulum progressus:

greſſus: propterea que breui futurum videtur, vt aliquid rei grauioris agatur. Quae adhuc ſiue Rusſis, ſiue Suecis oppoſitae fuerant, copiae regiae, in Saxoniam fere omnes tendunt.

EX AGRO WESTPHALICO. XII. APR.

In praedio quodam tractus Monaſterienſis equeſtri reperta fuerunt ante dies aliquot fuſa ex metalio tormenta viginti ſex, ſclopeta duplicata * centum et viginti cum adparatu bellico ** ſatis copioſo.

* Doppelhaken.

** Ammunition.

FRANCOFVRTO AD MOENVM. XVIII. APR.

Die menſis huius decimo ſexto, meridie ipſo, inter tormentorum fragores, collocatis ordine militari praeſidiariis, vrbem noſtram intrabat Sobiſius Princeps, idemque caſtrorum praefectus ſummus. Hodie mane rurſus hinc diſcesſit: Marpurgi pernoctare cogitat, craſtina luce Caſſellas venturus.

BRVNSVICO. XXIII. APR.

Nudius tertius, praemiſſo curſorum publicorum tubis ſuis canentium ſtrepitu, aduolantem vidimus Taubenhemium, centurionem, Principisque heredis adiutorem caſtrenſem. Expugnatum die XIX caſtellum Arensbergenſe, nuntiabat, captumque, iure belli cum duce Mureto praeſidium.

RES LITTERARIAE.

Augendis perficiendisque ſcientiis tametſi haud parum proſunt academiae et vniuerſitates litterariae, ſi, qui in illis docent, non lucri cupiditate, ſed vero ſcientiarum ſtudio et amore ducantur: nihil tamen ibi, praeter ſcientiarum elementa, tradi ſtudioſis iuuenibus poteſt. Hi enim, exacto triennio vel quadriennio, cum ingenia perfici maxime incipiunt, diſcedere ſolent, ſuccedentibus aliis, quibuscum ſimilia denuo eademque ſtudia repetenda ſunt. Itaque ſi qui doctores publici quae inchoata in ſcientiarum partibus parumque adhuc abſoluta intellexerunt, perficere et ornare voluerint, extra docendi munus ordinarium, neceſſe eſt, hanc diſciplinis operam nauent, ſiue ſoli quae per ſe reperierint, prodant; ſiue, quod melius, coniunctim cum aliis, adhibitoque ſociorum ſtudio et iudicio, omnia diligentius ante examinent ac perpendant. Atque hoc tanquam fundamento nituntur ſocietates litterariae, academiae ſcientiarum, quae non iuuenum erudiendorum cauſſa, ſed vt ipſae ſcientiae perficerentur, tum in vrbibus quibusdam celebrioribus v. g. Londini, Berolini cet. tum in ipſis vniuerſitatibus, quas dicimus, v. g. Lipſiae, Gottingae cet. inſtitutae fuerunt.

Huic rationi, prouehendarumque ſcientiarum ſtudio ſuos quoque natales debet ſocietas erudita, quam haud ita pridem inſtituit Academia Duisburgenſis. Conſtat illa viris partim ex

eius

eius Academiae doctoribus, partim extraneis, eruditisſimis celeberrimisque: id quod ex prima ſcriptorum parte ſatis intelligitur, quae hoc indice inſcripta comparuit.

Der Duisburgiſchen Geſellſchaft Schriften, nebſt einigen gelehrten Neuigkeiten und Aufgaben. Erſter Theil. Duisburg und Cleve, verlegts Gottfried Chriſt. Benedict Hoffmann. 1761. 1 Alphab. formae quartae mai.

Praefatio propoſitum ſocietati conſilium exponit, ita ſane comparatum, vt fieri non poſſit, quin inſignis inde ad ſcientiarum incrementa vtilitas redundet. Complectitur illud, praeter diſciplinas altiores, bonas etiam litteras et humanitatis ſtudia. Quae nota iam in diſciplinis et conſtituta ſunt, haec diligentius illuſtrabuntur, quo via muniatur reperiendis nouis. Quae manca paſſim in ſcientiis defectaque viſa erunt, his vel ipſa opera ſocietas, vel monitis conſiliisque aderit ſupplendis, perficiendis. Ad reducendas quae deperditae vel diminutae ſunt, artes bonas et vtiles incumbet. In ſtatum conditionemque ſcientiarum, colendo epiſtolarum commercio, inquiret, quaeque ſcripta prodibunt, de his liberum et aequum iudicium feret. Qui cum ſocietate communicare cogitata ſua voluerit, huic liberum erit ſermone Latino, Gallico, Germanico vel Belgico vti. Commentariis, praeter ſociorum ſcripta, inſerentur miſſa ab aliis ſolide diſputata; vitae ſociorum, qui deceſſerint, ad maiorem, quam fieri, vulgo ſolet, vſum conficiendae; litium eruditarum hiſtoriae, diplomata maioris momenti antiqua; deſideria, monita,

monita, consilia; inuenta noua, cet. Societati adscriptis, eius rei testimonium mittitur Latinum, typis exscriptum, sigillo societatis, subscriptoque secretarii nomine munitum. Praefationem hanc et instituti narrationem societatis nomine concinnarunt D. P. Iacob. Ammendorf, S. Theol. Prof. publ. et D. O. L. ab Eichmann, Iuris P. P.

Collectio ipsa continet disputationes capitaque XVII. quorum quindecim in selectis historiae, iuris ac philologiae argumentis versantur, auctoribus viris illustribus ac doctiss. *Christ. Lud. Scheidtio*, *Io. Car. Henr. Dreyero*, *Wolr. Burchardi*, *Christ Henr. Breuningio*, *Georg. Litzelio*, *Ern. Lud. Dan. Huchio*, *Ottone Lud. ab Eichmann*, *Io. Gottl Wilh. Dunkel*. Caput XVI. exhibet noua litteraria: in his indices tum missorum ad societatem scriptorum, librorumque in quibus perficiendis cum maxime occupantur viri eruditi; tum habitarum nuperrime in academia Duisburgensi disputationum. Denique capite XVII. argumenta ex variis disciplinis, doctrina sanctiori, iuris et naturae scientia, historia, antiquitate Iudaica, proponuntur eruditis ad disputandum tractandumque.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXV.
DIE VENERIS, PRID. CAL. MAII. cIↄ IↄccLXII.



NEAPOLI. XXX MART.

Ante dies aliquot ingentem nobis terrorem incussit tempestas cum magno fragore tonitribusque. De caelo tacta fuerunt plura vrbis aedificia, et in templo del carmine Maggiore fulminis ictu perierunt sacri ordinis viri quatuor, vulnerati sunt duodeuiginti.

MANTVA CARPETANORVM. XXX. MART.

Accepto initae inter aulas Lusitanam et Londinensem pactionis nuntio, iter parauit dux exercitus Hispani, viginti quinque millibus capitum constantis. In Beiram irrumpere et hosti-

lia quaeuis facere iussus est, simul vt, Hispaniae legatum Olysippone Mantuam Carpetanorum discessisse, audierit. Etenim, si ab aula Lusitana responsum minus gratum tulerit Legatus, illud sibi bellum sollenniter indictum interpretabuntur Hispani, ipseque legatus inde, insalutato Rege, abibit.

PETROBVRGO. VI. APR.

Binos in hebdomadas singulas dies sibi definiuit Imperator augustissimus conferendis cum supremo Cancellario consiliis; diem Lunae et Iouis.

Menses abhinc aliquot castra inter vrbem hanc et Czarko Zelo posituras est tricies mille militum exercitus.

Superiori hebdomade missus a sereniss. Wolkonskio, Romanzouii apud exercitum in Pomerania vicario, cursor aduenit, induciarum ab exercitu Imperatorio Prussicoque pactarum nuntius. Eius pactionis capita hodie proposita publice fuerunt.

LVTETIA PARISIORV. XIX APR.

Ad exercitum, cui praefuturus est, nunc demum, quamquam valetudine minus commoda, discessit illustrissimus Comes ab Etreés.

Quae Petroburgo allatae sunt, litterae discessuram inde narrant maximam partem Gallorum,

qui

qui commorati ibidem in fide et clientela defunctae Imperatricis fuerant. Vindobonam pariter reuertetur Imperatoris Romani adminifter.

Mantua Carpetanorum certisſimis nuntiis allatum perhibetur die menſis huius ſexto, binis proficiſcentium ordinibus, in Luſitaniam irruptionem feciſſe, ibique conſediſſe * copias Hiſpanas.

* Poſto faſſen.

LONDINO. XX. APR.

Ex Corcagienſium litteris, nihil amplius periculi imminere a ſeditioſis cognouimus. Disperditos eſſe maximam partem, vel Corcagiae, * Dublini, Waterfordiae in carceres coniectos, qui motus illos concitauerant. Nullam culpae partem tribuendam coetui per Hiberniam ſacris Romanenſibus addicto.

* Cork.

Hodie primum poſt Paſchatos ferias ſollemnem conſeſſum celebrauit vtraque regni curia.

Anglorum in mari Indico copiae nauales nauibus maioribus quadraginta, multisque minoribus; terreſtres vero vicies mille militibus conſtare perhibentur.

VINDOBONA. XVII. APR.

Scripta hic exempla legimus nouae pactionis, quam iniiſſe cum Anglis Ruſſi dicuntur. Eius

fimillimae funt leges his, quae conftitutae quondam inter vtramque gentem de foluendis pecuniis, militibusque fuppeditandis fuerant. Qua de cauffa multi funt, qui dubiam putent eorum exemplorum fidem et auctoritatem.

Celsisfimo Holfatiae Principi Georgio Ludouico cum honorem haberi eum vellet Auguftisfimus Rufforum Imperator, quo adfici folent fanguine imperatorio nati, falutandi quoque officio apud illum primos defungi voluit Adminiftros legatosque extraneos. Horum itaque nonnulli ea de re ad aulas fe fuas relaturos refponderunt.

PRAGA. XVII. APR.

Iuffu Imperatoris auguftisfimi praefidii loco in hac vrbe remanent cohors Serueftana, binaeque eiusdem gentis centuriae, quae granata ignifera iaculantur. Ad quas explendos conuocati huc fuerunt, fi qui fua fponte mereri ftipendia voluerint, ciues Anhaltini.

DRESDA. XIV. APR.

Ab exercitu imperatorio regio tametfi complures e Saxonia in Silefiam legiones abeunt: haud tamen exigua militum manus in his regionibus; vna cum Germaniae exercitu remanet.

Die V. in Silefiam hinc deducebatur praetorium. Simul Altenburgum petebat Comes a Macquire, exercitu Germaniae communi praefuturus. Vtrumque exercitum imperio reget Comes a Serbelloni, fupremus caftrorum praefectus.

Paucus

Paucus ante diebus ab Henrico Principe in custodiam datos fuisse accepimus ex circuli Misniensis ordinibus viros viginti, hosque transuectione Magdeburgensi terreri.

HAGA COMITVM. XXIV. APR.

Non magni momenti sunt, quae in Hibernia concitatae feruntur turbae. Contentio omnis inde erat, quod praedia, sua, vt fructuosiora forent, sepibus cinxerant domini.

EX THVRINGIA. XXI. APR.

Dolendas Lipsiae vices narrant, qui inde ad nos veniunt. De imperatis ciuitati tributis quod nondum solutum sit, vi cogi militari:* malignis febribus absumi homines multos: annonam in dies ingrauescere.

* durch Execution herbey treiben.

RES LITTERARIAE.

Vita del Padre Girolamo Savonarola. H. e. Vita Hieronymi Sauonarolae. Luccae, impensis Giuntini, 1761. conscripsit vitam illam Pacificus Burlamacchi, vnus eorum, quos ex corruptis moribus ad meliorem vitam traduxerat Sauonarola. Sed emendauit eam auxitque Timotheus Boroni, ordinis diui Dominici sodalis. Natus erat Sauonarola in agro Ferrariensi, a, 1452; Qui cum ad litterarum studia quam diligentissime iuuenis incubuisset, anno aetatis vicesimo secundo diui Dominici instituta professus, dure admodum seuereque vitam egit. A 1483 quae

 sibi

ſibi diuinitus patefacta diceret, efferre in vulgus, et doctrinae ſanctioris ea tradere capita coepit, quae non ab omnibus aequo animo audirentur. Sed longe grauius ſibi malum contraxit partis ſtudio, quo turbis ſe immiſcuit, quibus res publica Florentina agitabatur: audacior enim erat, et per omnia extra dilationem poſitus. Pontificem ipſum cum non veritus eſſet attentare, exterminatus ex communitate ſacra fuit: poſt a concitata plebe Florentina per vrbis vicos tractus, viuusque combuſtus, vna cum duobus ſodalibus, Dominico de Peſcia et Silueſtro Maruffi. Id quod contigit a 1498. d. XXIII Maii. Haud pauca in illo de vita Sauonarolae commentario tradita leguntur non vulgaria. In primis animaduerſione digna ſunt, quae referuntur de noſtro, Laurentii Medicis confesſionem excipiente.

Ceterum vita Sauonarolae ex variis auctoribus collecta adhuc quidem optime expoſita reperiebatur apud Baylium. Vnde facere non poſſumus, quin deſcribamus illud a Flaminio conſcriptum epitaphium elegantisſimum.

Dum fera flamma tuos Hieronyme, paſcitur artus,
Religio fleuit dilaniata comas:
Fleuit, et o dixit, crudeles parcite flammae;
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

Sterria

Storia di varii Costumi sacri, e profani degli Antichi. H. e. Historia morum apud gentes antiquas tum sacrorum, tum profanorum. Auctore *Carmelio*, e soc. Iesu. Veneriis 1761. duobus vol. in 8. Additae Editioni secundae reperiuntur dissertationes tres, quarum prima in explicando Herodiani loco versatur; secunda consecrationem Imperatorum similem fuisse docet pompae funebri, qua celebrari exsequiae solent ducum Venetorum; tertia quare ab Homero Neptunus dictus sit deus, qui terram tremoribus concutiat, disquirit, simulque de motu Olysipponensi exponit. Passim in hoc libro litteris Latinis, Graecis, Hebraicis, Etruscis, doctrinae suae copiam ostentat Carmelius, aliis quoque scriptis cognitam,

Quae Lutetiae Parisiorum floret litterarum elegantiorum Academia, cum d. XIII Dec. anni praeteriti conuentum sollemnem celebraret, declarabat eius Secretarius perpetuus Le Beau adiudicatum esse Schmidio, Bernensi, praemium ab illustriss. Comite Caylus constitutum. Proposita erat quaestio, *Quibus nominibus insignitus ab antiquis Nilus, quoque ritu cultus fuisset? item Attributorum, quae in ipsius monumentis leguntur, quae caussa videretur?* Eadem de Canope, Aegyptiorum deo, proposita fuerant. Legebantur deinde varii generis libelli, elogium historicum demortuorum nuper sodalium, Praesidis a Bon, et Renellii, Abbatis, commentarius Garnerii de Philosophia Platonis, Ode pindarica a Chabanano conuersa,

uerſa, diſputatio iunioris le Beau de paraſitis deorum antiquorum, cum adiunctis obſeruationibus de paraſitis ſcenicis.

Quaeſtionum nouarum, quibus in annum futurum 1763. praemium academicum proponitur, haec argumenta ſunt, *Pontifex maximus quae iura exercebat in ſacerdotia vrbis et prouinciarum? Num quid ipſi auctoritatis, erat in ſacerdotes templaque vel deorum Rom. prouinciis illatorum, vel prouincialium?*

Londini binis formae quartae voluminibus ſplendide typis exſcribuntur *Thompſoni opera.* Auctoris illius, praeter celebratum illud de anni tempeſtatibus poëma, alia etiam ſunt non minus pulchra, illud v. g. quod arcem indolentiae inſcripſit, Tragoediaeque et odae complures. Vtrumque volumen ſubſcriptores duobus numis aureis Anglic. redimunt. Quae inde confecta fuerit ſumma, in monimentum maxime impenderur Thompſono in templo Weſtmonaſterii excitandum.

Commentatiorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluant.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXVI.

DIE MARTIS, IV. NON. MAII. cIↄ Iↄcclxii.

HAFNIA. XXVI. APR.

Die huius mensis XIX. nouo edicto sublatum voluit Rex optimus illud die V. Martii propositum, quo butyri, caseorum, carnium porcorumque exportatio vsque ad exeuntem mensem Iunium vetabatur. Itaque inde a mensis Maii initio illa cibariorum genera, quicunque voluerit, exportabit.

PETROBVRGO. IX. APR.

Facta d. XXV. mensis praet. audientia, ad Imperatorem augustissimum accedebant Administri legatique regii, Danicus, Suecicus et Britannicus: Imperatricem magnumque Ducem

pariter salutaturi, nisi obstitisset horum valetudo minus commoda. Iidem coenae quoque Imperatoris adhibebantur, cum symphoniae interfuissent, ipso Augustissimo fides plectro pulsante.

Ad rem naualem in dies magis magisque perficiendam studiosissime incumbet Imperator: eoque consilio conducturus dicitur nautas praefectosque Anglicos, marium, quae Russiam alluunt, vsu peritos.

Ante dies aliquot, cum oblata a Rege Prussiae ordinis aquilae nigrae insignia accepisset Imperator, sollemne in aula conuiuium celebrabatur. Ei intererant, inuitati ab Augustissimo, quicunque hic commorantur nobiles Prussi. Primum inter epulas poculum libabatur Regi Prussiae, supremo ordinis eius magistro; * sequebatur poculum Imperatoris: post simili ritu Equites reliqui omnes consalutabantur. Singula vero pocula significabat tormentorum in castello et praetorio nauali ** fragor.

* Grofsmeifter des Ordens.

** Admiralität.

Die IV. de exilio reducem vidimus illustrissimum senem, supremum quondam castrorum praefectum, Comitem a Münnich. Aduentanti obuiam processerant laetantes simul et de clementia Imperatoris inter se congratulantes qui cunque cum Heroë illo necessitudine coniuncti fuerunt.

HOL-

HOLMIA. XII. APR.

Dignum se demonstrat regiae celsitudinis Princeps heres illo regni ordinum iudicio, quo nondum annos septendecim nato permissum fuit tum regio, tum aliis regni consiliis interesse. Qui Sacramentum die V. Apr. dicturus, praesentibus regni ordinibus multisque aliis, orationem ad Regem habuit eam, quae admirationem omnibus ingenii et eloquentiae iniiceret. Conscripserat illam orator ipse serenissimus, nullius auxilio adiutus, memoriterque totam recitabat. Nihil iuuene regio praeclarius, nihil maius excogitari fingique ad spem parentum Augustissimorum et ciuium exspectationem potest.

WARSOVIA. XV. APR.

Nuper admodum ex Vcrania veniens Cosacorum manus vrbem hanc praeteriit trans Vistulam, Thorunium versus, exercitum Russorum petitura. Eo nostris molestior fuit transitus, quod equis suis, quos complures habebant, ex horreis incolarum pabula Cosaci conquirerent.

Petroburgo nuntiatur, cogitare Imperatorem de perficiendo consilio, quod propositum quondam defunctae Imperatrici fuerat, conferendi in publicum sacri per Russiam ordinis bona, eiusque ordinis hominibus praebendi, quod ad sustentandam vitam sufficiat: quod quidem in singulos annos hominesque frumenti modiis viginti, et imperalibus Russicis decem definitur.

MEDIOLANO. VI. APR.

Pacem nos ſperare iubent allatae Auguſta Taurinorum litterae, qua bella omnia componantur, Regique Sardiniae confirmetur dominium liberum traditarum ipſi regionum. Eaedem ſpem adferunt nonnullam, fore, vt cum Pedemontii principe matrimonio iungatur aliqua ſerenisſimarum Auſtriae Archiducum.

VINDOBONA. XVII. APR.

Futura hebdomade in conſpectu omnium ponentur quae Conſtantinopolin ſecum feret perilluſtris Penklerus, munera ſplendida aulae Turcicae tradenda. Eum Albae Graecae iam exſpectat itineris impenſarumque curator* Turcicus.

* Speſier-Commiſſaire.

Ex copiis, quibus in Saxonia praeeſt Henricus Princeps, complures in Sileſiam concedere accepimus, breuique eodem ſecuturum Principem ipſum, relicto, qui Prusſis praeſit, Seidlizio. Suidnitium verſus, quod tentaturi nonnihil videbantur hoſtes, ex Luſatia ſuperiori in Sileſiam ductum fuit Beckii agmen. Haud procul ea vrbe poſita habemus caſtrorum principia.*

* Das Hauptquartier.

LVTETIA PARISIORVM. XIX. APR.

Ex aula Romana reditum parat legatus noſter, eminentiſſ. Rochechouartus. Qui cum ad Pontificem de emendandis patrum ordinis Ieſu conſtitutio-

ſtitutionibus retuliſſet, reſpondiſſe fertur Pontifex, *Sint, vt ſunt in Gallia, aut non ſint.* Reſponſo illo minus grato commotus Rex, ſublato, quo patribus fauebat, edicto, cauſſam eorum ſenatorum regni curiis tradidit diſceptandam.

Serenisſimus Prouinciae Comes cum eam nuper aetatem attigiſſet, qua eximi de matronarum manibus ſolent filii regii: traditus fuit nouis morum ſtudiorumque moderatoribus, Duci a Vauguyon, et praeſuli Lemouicenſi. *

* von Limoges.

In caſtellum Pariſinum abductus fuit qui Canadae quondam praefuerat, Marchio a Vaudreuil. Ex aula diſcedere iuſſus fuit praeſul Auguſtodunenſis, * largitionum Regis ſacrarum praefectus. **

* von Autun.

** Almoſenier.

HAGA COMITUM. XXVII. APR.

Regi fideliſſimo declaraſſe Rex catholicus fertur, Tametſi iure ſuo poſtulare regnum Luſitaniae poſſet, iis maioribus ortus, qui iuſti eius domini fuiſſent: ſe tamen iure illo vti nolle, neque eius obtentu quidquam tentaturum, ſi arma ſecum coniungat Rex fideliſſimus ad excutiendum illud, quo Luſitania dudum prematur, iugum; ſin aequisſimam conditionem reiiciat, facere ſe non poſſe, quin iure ſuo vſus, regnum illud vi occupet. Ad ea reſpondiſſe Rex Luſitaniae dicitur,

cítur. Haud ſibi diſceprandum videri de iure, quo regnum obtineat genti ſuae per ducentos fere annos hereditarium, quodque liberum nullique obnoxium Europa omnis fateatur: miram tamen ſibi orationem viſam, qua vſus ſit Rex catholicus: quod ſi ab Anglis vi abduci ſe a neutrarum partium ſtudio ſenſiſſet, ſtatim ſe partes Hiſpanas amplexurum; ſin autem ab Hiſpanis vim eiusmodi adhiberi intellexiſſet, cum Anglis ſe arma coniuncturum. Ceterum ſe componendae inter Hiſpanos Britannosque litis arbitrium haud grauate, ſi quidem vellent, ſuſcepturum.

EX SILESIAE CONFINIO. XIV. APR.

Illam Pruſſorum cum Rusſis pactionem perfectam iam transactamque Vratislauienſes palam praedicabant. Illud quoque certum habebant ſub finem Aprilis Pruſſicae ditionis rurſus fore Regiomontum et Colbergam; ineunte autem Maio futurum, vt reditus publici inſpectantibus Prusſis adminiſtrarentur.

EX LIPSIAE VICINIA. XXIV. APR.

Lipſia Torgauiam diſcesſit magna praeſidii pars: eodemque ſecuturus dicitur Platenius, Dux militum. Omnibus locis Prusſi iter parant. Equos omnes, ne vectorum quidem exceptis, cogere, pontesque, quicunque ab vrbe ad Lindenauium vsque ſunt, diſſoluere fertur praeſidii Lipſienſis praefectus.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. XXVII.

Vratislauiae adhuc erat Rex Prusſiae, cum nouisſimus inde curſor publicus diſcederet, propediem

pediem tamen petiturus denuo putabatur vicum Strehlensem, vbi praetorium habuerat expeditione superiori. Eodem quae destinabantur copiae, partim iam aduenerant, partim in itinere erant.

RES LITTERARIAE.

Stutgardiae d. XIV. Apr. sollemnem conuentum primum celebrauit Academia artium elegantiorum, quam a sereniss. Duce Würtemb. anno superiori constitutam anni eiusd. libello XXVII. laudauimus. Conuentui interfuturus ipse Serenissimus, vna cum splendido comitatu hora quinta vespertina, cum in palatium nouum se contulisset, obseruantissime in vestibulo a curatore supremo, Rectore, Professoribus, sodalibusque academiae exceptus, in conclaue amplum deducebatur, quod sollemnitati aptatum, praeter tirones academicos, ingentem numerum auditorum capiebat. Ibi postquam vniuersum artis institutum non sine voluptate contemplatus esset Dux, et de artium fatis dixisset sodalium nonnemo, euocabantur ab academiae secretario hi, quibus academicorum iudicio decreta praemia fuerant. Mox praemia illa, a supremo curatore sibi porrecta, quam humanissime distribuebat Serenissimus. Numi erant in hanc rem ipsam cusi, quorum qui primae classis artificibus destinarentur, capsulis argenteis cum figuris prominentibus, iisque partim inauratis tradebantur. Eiusmodi praemium in prima classe auferebant pictores duo, totidemque sculptores,

res; in classe secunda pariter duo, picturae linearis artifices. Ex primo genere erant Iosua Scotti, et Iacobus Colomba, Itali; ex altero Thomas Schaithauff, Bauarus, et Ludov. Bossi, Italus; ex tertio Ioh. Conr. Schleehauf, et Ioh. Gotth Müller, Würtembergenses. Quo facto, lustratis iterum, quae proposita tironibus erant, exemplis formisque, visisque operibus, quae ad Academiam miserant socii duo honorarii, comprobauit Serenissimus studia tum professorum, tum tironum cum luculenta suae in omnes prolixae voluntatis testificatione.

Qui Lutetiae Parisiorum iussu regio *conuersionum caelestium in singulos annos descriptionem parat*, Landius, Academiae scientiarum socius, Regi nuper libellum obtulit, qui anno 1763 futuras iam exhibet. Inscribitur is *Connoissance des Mouvemens celestes*, et praeter solitos calculos, tabulas habet astronomicas nouas; nouam determinandi solis lunaeque defectiones rationem; veneris per solis orbem transitus nuperi historiam, multaque alia capita cognitu iucunda.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXIX.

DIE VENERIS, PRID. ID. MAII. cIɔ Iɔcclxii.



GENVA. X. APR.

De rebus Corſicis quae nuntiantur, neque certa ſunt, neque ſatis ſibi conſtant. Illud ſcimus, ingenti ſumtu et vix credibili, inde ab annis triginta nobis conſtitiſſe illius inſulae poſſesſionem. In quo genere quae adhuc damna facimus, horum vix decimam partem ſarciunt reditus pagorum, qui nobis ſuperſunt. Illa nos fortuna erigit, quod nec moleſtae nobis ſunt turbae, quibus Europae pars maxima vexatur, nec metuendae adeo de futuro tempore videntur. Hiſpania quidem pacem noſtram haud ſollicitabit, noſque eadem, qua Etruria fruitur, conditione eſſe ſinet. In

quo beneficium agnoſcimus Reginae imperatricis, aulae Hiſpanae ſalutem noſtram commendantis. Quas hic pecuniae ſummas per negotiatores contrahit Auguſtisſima, earum expedita ratio erit, ſimul atque fidem ſuam interpoſuerint Hungariae ordines. Ceterum illi pacto familiae, quo coniunctionem ſanxerunt gentis Borboniae principes, nomen quoque ſuum Regina dediſſe perhibetur.

GEDANO. I. MAII.

Petroburgo allatae litterae Imperatorem auguſtisſimum referunt in palatium recens extructum pridie paſchatos iñigraſſe: quae in area militari * domus tabernaeque ligneae fuiſſent, plebi omnes ad praedam propoſitas, paucisque momentis deportatas fuiſſe. Vias circa vrbem publicas cum inſediſſet ex aliquo tempore manus latrocinantium; misſi ſunt ex peditibus, et Hungaricis, qui eos conquirant.

* Paradeplatz.

PETROBVRGO. XIII. APR.

Quae prope vrbem ſtatiua fiunt, quinquagies mille homines captura dicuntur. Hi exercitiis Prusſicis ad praelia praeparabuntur. Quo conſilio Imperator a Rege Prusſiae nonnullos militum praefectos, in his Knoblochium, ſibi expetiiſſe fertur.

EX EADEM VRBE. XVIII. APR.

Heri ingens per vrbem grauisſimumque incendium ortum eſt. Quod, cum diſcederet curſor, nondum exſtinctum erat.

RIGA.

RIGA. XXIII. APR.

Libera in hunc annum declarata fuit frumenti e portubus Esthoniae et Lestoniae exportatio: leuiora etiam, quam ante, vectigalia tributaque soluentur. Itaque quaestuosa in posterum erit mercatura frumentaria.

ROMA. XVII. APR.

Praesulem Mantuanum dicturus erat Pontifex virum reuerendiss. de la Pueblam, cum in tabulario reperiret Mantuae gubernator, comes Firmianus, Pii IV. epistolam, qua ius datum est Ducibus Mantuanis commendandi ternos candidatos, vnde quem vellet, eligeret Pontifex. De qua re cum relatum ad Reginam Imperatricem fuisset, haec iure suo vsa est. Tardius quidem, dicto iam Puebla, reddebantur litterae regiae: sed, quod eundem cum binis aliis commendarent, futurum speramus, vt, quod factum est, ratum habeat aula Vindobonensis.

FLORENTIA. XVII. APR.

Nocte, quae diem XV. antecesfit, terram motu contremiscere, maiori metu, quam periculo sensimus. Die XV. vesperi increbuit motus, vt in vico S. Laurentii detrimenti nonnihil caperent domus quorundam, qui rure adhuc in tuguriis manent.

LVTETIA PARISIORVM. III. MAII.

In agro Versaliensi quotidie fere Rex venationum voluptate fruitur. Prope S. Cyri fa-

num haud ita pridem arduarum per falcones aucupio * intererat Princeps regni heres vna cum coniuge et sororibus serenissimis. Hoc quidem anno Compendium ** vix concessura videtur aula. Rex enim modo Fonte Bellaqueo, *** modo S. Huberti fano commorabitur: serenissimus vero Delphinus, vt primum in castris prope Dunquercam congregatae copiae fuerint, eo abibit, illis praefuturus.

* Reiherbeitze.
** Compiegne.
*** Fontainebleau.

Nudius tertius Mantua Carpetanorum Versalias venit cursor, praelii satis fortunati nuntius, quo cum Rodneyi classe, haud procul a S. Dominici insula, pugnasset coniuncta Gallorum Hispanorumque classis. Anglicarum nauium quatuor suppressae, nonnullae ita dirutae fuerunt, vt nulli amplius vsui sint.

☞ Ex ordinis Iesu sodalibus adhuc fuerunt, qui Regis gentisque augustae a confessionibus essent. Illud nunc munus abrogatum est illi ordini: neque incredibilia narrare videntur, qui futurum putant, vt boni Patres sub mensem Augusti solum vertere iubeantur. Lugduni retenta fuerunt eorum tum pecuniis, tum bonis aliis onusta vehicula, regiones exteras petitura.

Quas in vico à la Fleche dicto habitabant, aedes speciosae laxaeque, domicilium futurae sunt nobilibus, militaris scholae alumnis.

Ham-

Hamburgi, per Saxoniae inferioris circulum, legati adminiſtrique regii munere fungetur perilluſtr. Borchius, Argentoratenſis.

HAGA COMITVM. VII. MAII.

Grosſio, aulae Rusſicae extra ordinem legato, litteras attulit curſor Petropoli veniens, quae haud exiguam ſpem ſpacis oſtendere dicuntur. Quas ille ſtatim expedito nauigio in Angliam transmiſit.

EX BOHEMIA. I MAII.

Die XX. April in caſtra prope Sorgauiam concesſerunt exercitus Imperatorii regii copiae pedeſtres: cuius adhuc equites in campis vicinis degunt.

Haud ita pridem Vratislauiae adhuc praetorium erat Prusſicum: copiasque Rex ſuas cis Viadrum contrahebat ad vicinos vrbi pagos. Illae nunquam non expeditioni, reique gerendae paratisſimae ſunt. Nuper Rex vna cum Prusſiae Principe caſtra obequitabat, trium legionum Hungaricarum praeſidio tectus. Illae hic atque illic paruulis praeliis laceſſebant Auſtriacorum ſtationes principes.

EX SILESIAE CONFINIO. III. MAII.

Propediem fore, vt res praelio committatur ſatis ſignificant qui caſtra caſtris conferunt, exercitus oppoſiti. Quod Wernero paret, agmen Prusſicum vicies mille capitum eſſe perhibetur.

Berolino in Silesiam transportari magnam vim tormentorum accepimus.

Lipsia iam ante tempus aliquod translatum rursus Torgauiam fuit Prussorum rei militaris supremum in expeditione consilium. *

* Generalfeldkriegsdirectorium.

RES LITTERARIAE.

Esse etiam hoc tempore, qui carmine Latino veterum elegantiam consequantur, neque Musae vernaculae studio, ita negligi Romanam, vt intereat, exemplo nuper illustris Richteri demonstrauimus. Goettingensium poetae Ienensem adiungimus, cuius haud ita pridem, ex officina Fickelscherii, versiculi 4 plag. formae 8. prodierunt hoc indice, *Christiani Adolphi Klotzii*, Phil. et LL. AA. Mag. Rev. Capit. Wurc. Capitular. Extraord. Poëtae Caesar. Laur. Acad. Caesar. Scient. Robor. et Soc. Altorf. Teuton. et Acad. Elector. Mogunt. Scient. vtil. Collegae, Societ. Ienensi Latinae ab Epistolis, *Elegiae.*

Inscripsit libellum Klotzius celeberrimo Lipsiensium Iurisconsulto Hommelio, eique, quomodo ab ineunte iuuentute ad poëseos studium incubuerit, eleganter narrat. Quod se a facilitate Ouidiana longius forte abesse dicit: agnoscimus

ſcimus viri modeſtiam, quem poëtam, non factum, ſed natum, ipſa Carmina ſatis probant. Horum primo (ſunt vero duodecim) Dresdae ſcripto, vrbis illius, Saxoniae ornamenti, excidium deplorat. Secundo, patriam relinquens, qua in illam caritate feratur, dulci quadam pictura exprimit. Elegiam tertiam qua igni a ſe traditos verſus ſuos bene multos, in his ſatiras, poſtquam narraſſet, ita concludit,

Credite, qui tradit flammis oculo irretorto
Atque animo forti ſcripta poëta ſua:
Major Alexandro, qui totum vicerat orbem,
Quique Phrygum exitium, maior Achille fuit.

Vices ſuas elegia quarta dolet, quod legendi ſibi ſint libri plures mali, ieiuni, rerum verborumque inopes. Quinta Biſchofswerdae, vrbis patriae, deſiderium, actosque ibi iuuentutis annos proſequitur. Sexta conſtitutum ſibi docet a fortuna minimum pendere. Septima tactum imminentis mortis praeſenſione animum ſecuturae immortalis vitae cogitatione delinit et conſolatur. Sequentibus elegis modo de conditione ſua minus proſpera conqueritur; modo a laurea poët. qua Wittebergae donatus fuerat, nouos ſibi colendae artis ſtimulos ſubiici adfirmat: modo in ſaeculi mores inuehitur. Deinde ardere ſe cupiditate viſendae Italiae oſtendit. Mortem denique Zigeri deflet, in *familiam ſuam* domumque adſciſcendi. Plagula extrema Odas tres exhibet in felicem reditum Sereniſſimi Principis

cipis Elector. Horatiano ſpiritu confectas. Binae ſtrophae, in quibus loquens inducitur Saxonia, hae ſunt,

Rex magne Olympi, ſidera quo quatis
Quo caelum et orbem, cunctaque temperas,
Huc verte vultum: cerne totum
Hic populum tibi ſupplicantem.

Demitte caelo, quae mihi priſtinum
Decus redonet, quae referat patrem,
Auguſtum amandum, mitte coelo
Cinctam olea viridante pacem.

Hamburgi prodiit *Pars II. bibliothecae b. Richeii*, quae libros medicorum, philoſophorum, auctorum veterum, interpretum, criticorum, philologorum, lexicographorum, Grammaticorum, Rhetorum, Orator. Epiſtolographor. Poëtarum cet. die VII. Iunii publice diſtrahendos exhibet. Conſtat illa paginis 882, delectuque librorum reſpondet exſpectationi, quam commouerat pars prior, libello XXII. a nobis commemorata.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, nummos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XXXX.

Die Martis, xv. cal. ivn. cIↃ IↃCCLXII.



OLYSSIPPONE. VII. APR.

Hebdomade ſuperiori habebatur conſilium aulicum; nec minus qui rebus bellicis praeſunt congregabantur deliberaturi. His cum interfuiſſet illuſtriſſ. Tirawley, Londinum ſtatim dimiſit nauem tabellariam. Adhuc in vrbe commorabatur adminiſter Hiſpanus. Per Luſitaniam omnem ſtudioſiſſime tum milites leguntur, tum Regis aere coëmuntur equi; horum quidem qui tres alit, Regi vnum vendat, neceſſe eſt. Militibus quae ex aliquo tempore debebantur, ſtipendia ſoluuntur.

Equitum et deſultoriorum legiones binis au-

gentur centuriis: quarum singulae constabunt in posterum equis quadraginta.

Quae nudius tertius exiit, classis nostra, naues bellicas maiores habet septem; adiunctis velocibus binis.

MANTVA CARPETANORVM. XX. APR.

Aptas iam et omnibus rebus ad nauigandum instructas esse, quae adparandae erant naues, confirmant qui ex portubus nuntii adueniunt. Intra hebdomadas ad summum tres eductae erunt copiae nostrae maritimae.

Custodibus nuper tradebantur monachi duo Lusitani, propter vetitum litterarum commercium in suspicionem adducti.

Litteris Olysippone allatis haud obscure significatur Lusitaniae auxilia et argentaria et militaria ferri a Britannis hac lege, vt quas Portu Cale habent operas mercatorias, * his iura immunitatesque restituantur, vel augeantur etiam.

* Factorie.

ROMA. XXIV. APR.

Concessit Reginae imperatricis precibus summus Pontifex, vt episcopatui in Hungaria Vacensi * praesit Eminentissimus Migazzius, pater purpuratus, idemque Vindobonensium Praesul summus, eiusque muneris reditibus annuis fruatur.

* Waitzen.

GENVA. XXIV. APR.

Die XXII. Martii cum rebellantium agmine, cui ipse dux Paolus praeesset, acerrimo praelio dimicauit cohors nostra, ductore Matra, tribuni legato. Complures in acie caesos reliquerunt hostes fusi fugatique, in illis ductorum suorum nonnullos. Quod cum haud procul Viuario factum esset, illud oppidum statim intrauit victor, indeque obsides abduxit duo, quorum *plurimum* valere auctoritatem apud seditiosos cognouisset. Inde Curiam * propius accessit.

* Cor.e.

LVTETIA PARISIORVM. III. MAII.

Ad tuendam ab Anglorum impetu Borboniam, maris Indici insulam, missus a rege est Cursayus, Marchio, castrorum praefectus, Corsicana quondam expeditione nobilis.

Crastina luce consilio priuato * praeerit Rex, quod nunquam ante hac fecerat. Ludouicum quidem XIV bis tantum in diuturno imperio consilio illi scimus interfuisse. Neque tamen quidquam ibi rei insolitae tractatum iri, putamus.

* Conseil des Parties.

Ex curiae Redonensis * decreto igni concrematus fuit editus ab ordinis Iesu sodalibus hoc indice libellus, Remarques sur un Ecrit intitulé, *Compte rendu des Constitutions des Iesuites par Mr. Louis-René de Caradeuc de la Chalotais, Procureur-Ge-*

neral du Roi au Parlement de Bretagne. Inuidiae calumniaeque procuratorem regium, de Constitutionibus referentem, insimulauerant in illis adnotationibus Patres, Grauius nunc quoque, curiarum Galliae exemplo, in sodales statuere incipit quod Artesiae praeest, consilium prouinciale.

* Rennes.

De bello Lusitanis *inferendo*, promulgasse die XII. mensis praet. aulam Hispanam, dieque XVII. edictum proposuisse, multa sunt, quae persuadeant. Adhuc tamen nihil ea de re publice scriptum vidimus. Priuatorum litterae fines Lusitaniae iam ingressos narrant Hispanos. Quibus quae subsidio iturae sunt copiae nostrae, propediem discessurae dicuntur.

PETROBVRGO. XX. APR.

Proximo Saturni die, in palatio Imperatoris hiberno, recens condito, facta est solitis caerimoniis consecratio templi aulici, a Christo reuiuiscente nominati. Ritum illum administrabat eminentissimus Nouogardiae Praesul. Circiter horam VI. vespertinam, salutantibus tormentis, Augustissimus, relicto palatio ligneo, in nouum illud, quod diximus, immigrauit. Eadem vespera ordinis S. Andreae insignibus ornatus fuit excellentissimus Narischkin, supremus aulae praefectus. Postridie eius diei, h. e. paschatos die, mane in aulam congregabantur vtriusque sexus nobiles, quibus Imperator comitibus cum

templum

templum petiisset, rei diuinae vacabat. Inde reducem excepit prandium in peristylio * centum amplius conuiuis adparatum.

* Gallerie.

VINDOBONA, I. MAII.

In puerperii memoriam, quo feliciter perfuncta est Archidux serenissima, actum vidimus in theatro aulico die XXVII. April. drama musicum, sermone Italico concinnatum. Elegantissimae fabulae, *Il Trionfo di Clelia*, quam huic festiuitati seruatam voluerant Augustissimi, auctor est Metastasius, vir in illo genere apud Italos princeps. Haud ignorabunt, qui Liuium (II, 13) legerunt, Cloeliae nomen, virginis Romanae. Modos fabulae Italicae fecerat Hassius, rei musicae artifex longe dulcissimus.

COLONIA VBIORVM VII. MAII.

Lutetiae Parisiorum haud ita pridem decesserat doctissimus Abbas de la Caille, in summos nostrae aetatis mathematicos referendus. Huius amicorum nonnemi missum legimus, consolandi caussa, tetrastichon illud,

Desine flere virum celeri qui morte redemtus
Viuit, et est vitae conscius ipse suae.
Ah! nostrae potius longum miseratus agonem
Quod toties morimur, forsitan ille dolet.

WARSOVIA. I. MAII.

Die Lunae Vindobonam hinc discessit serenissimus Curoniae Dux, inde Thermas Carolinas petiturus: die autem Mercurii ad exercitum Austriacum in Silesiam abiit Albertus Princeps, vt expeditioni intersit summi ducis vicarius.

STOLPA. IV. MAII.

Qui heri per vrbem hanc iter habebat, perillustris Simolinus, legatus ad comitia Ratisbonensia Russicus, quo tempore Petropoli discessisset, omnia ibidem adparata fuisse narrauit, ad inaugurandum imposito diademate Petrum III. Definitum esse illi caerimoniae diem huius mensis duodecimum.

EX SILESIAE CONFINIO. VIII. MAII.

Vratislauia munitionibus firmatur ita, vt aggeres circa vrbem ad integrum milliare struantur. In illis operibus exerceri quotidie scimus mille homines.

RES LITTERARIAE.

Fata Telemachi a Fenelonio conscripta, saepius, constat, quam vllam fabulam aliam ex Romanensium genere, et edita, et in linguas peregrinas conuersa fuisse. Inter minores editiones princeps est longeque vtilissima haec, quae Hamburgi a. 1732 in 12. mai. ex officina Vandenhoeckii prodiit, veterum poëtarum locis, nouis

nouis adnotationibus, vita Auctoris cet. locupletata. Maiores editiones nitore et elegantia facile superat, quam recentissime forma maxima Lugduni Bat. et Amstelodami cura Io. Wetstenii et Henrici Chatelani excusam dedit ornatissimam.

Les Avantures de Telemaque, fils d'Ulysse, par Messire Fr. de Salignac de la Mothe Fenelon cet. *Nouvelle Edition* conforme au manuscrit original; avec des notes pour servir d'eclaircissement *à la fable* cet. le tout enrichi de Planches et de Vignettes, qui ont rapport au sujet 1761. in Folio. *Leide* chez I. de Wetstein, et à *Amsterdam* chez Henri Chatelain.

Multa habet editio haec, quibus vincat illam quamuis splendidam, quae a. 1734 forma quarta prodierat, vt secum hic ipse Wetstenius certasse videatur. Summa est tum chartae elegantia, tum litterarum, characteribus ad hoc opus ipsum recens fusis. Acres oculos adhibuit corrector emendandis, quae superiora exempla insederant, operarum aberrationibus. Noua ad pulchritudinem ornamenta accesserunt tabulae caelatae quatuor et viginti grandiores; quibus totidem librorum frontes illustrantur, et viticulae quadraginta, librorum cuilibet tum coronidis loco subiunctae, tum hic atque illic conspicuae, ab ingeniosis omnes artificibus profectae.

Adnotationes ipsae duorum generum sunt. Aliae quidem loca explanant, quibus ad fabulas

las antiquas Auctor alluſerat: aliae, mores aulae Gallicae, quae tum eſſet, perſonasque allegoriae artificio inuolutas, in luce ponunt. Inſcripta eſt ſplendida editio Sereniſſimo Principi foederati Belgii gubernatori, epiſtola digna quae ab omnibus in ſpem imperii genitis legatur.

Quae ſequitur, ſcripta lectoribus epiſtola de praeſtantia operis ita exponit, vt conſilium Auctoris rationemque dilucide perſequatur.

Illi Principum iuniorum inſtitutioni additus eſt Fenelonii libellus alter, quo imperantium facta ad conſcientiam reuocantur. *Examen de conſcience pour un Roi.*

Ceterum manibus noſtrorum hominum adhuc crebro teri Telemachum a *Neukirchio* quondam verſibus vernaculis redditum, ex eo intelligi poteſt, quod modo Norimbergae quartum foras datam videmus interpretationem illam. Mallemus toties repetita conſpicere *Fata Telemachi Latino carmine reddita*, quae a. 1743 Berolini, ſumtibus Rüdigeri, binis formae 8. mai. voluminibus nitide prodierunt.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLI.

DIE VENERIS, XII. CAL. IVN. CIↃ IↃCCLXII.



HAFNIAE. XIV. MAII.

Quem equestri dignitate haud ita pridem, ordinisque Dannebrogici insignibus ornauerat Augustissimus, perillustrem Schimmelmañum, huic nuper etiam titulum indidit Liberi baronis a Lindenburg.

NEAPOLI. XX. APR.

Ante dies aliquot portum intrabant nauis Anglorum bellica minor et sex vectoriae, vina hic coëmta, Gibraltariam, in vsum praesidii, abducturae. Potestatem enim Rex Anglis concessit, comparandarum sibi apud nos omnis generis mercium. Quae res spem nobis neutrarum partium haud exiguam adfert.

Pacto conueniſſe dicuntur Hiſpaniae Rex et ciuitates Barbariae, vi cuius Rex quidem quingenties mille ſolidos Hiſpanicos * illis quotannis ſoluet; ciuitates autem praedatoriae moleſtiam exhibere deſiſtent nauibus Hiſpanicis et Neapolitanis: praeterea in libertatem reſtituent, quoscunque vtriusque nationis ſeruos abduxerant. Ex hac quidem re vtilitatem Hiſpania capiet eo maiorem, quod praeſtantisſimi nautae ſunt maximam partem, illi in ſeruitutem abſtracti.

* Piaſters.

LONDINO. VII. MAII.

Sine caede et ſanguine expugnatae a noſtris fuerunt inſulae Granata, S. Luciae et S. Vincentii.

Grauiori morbo adfectum dolet aula ſereniſſimum Principem Strelitienſem, Reginae fratrem.

Diebus huius menſis quarto et ſeptimo ex Germania curſores cum magni momenti litteris aduenerunt.

In Luſitaniam nuper cum Boynio, legionis legato * tranſierunt praefecti militum complures.

* Brigadier.

Palatium Buckinghamenſe ſibi Rex comparauit, futurum Reginae, ſi Regem vita ſuperet, domicilium.

LVTETIA PARISIORVM. X. MAII.

Concilii ſacri in templo Auguſtinianorum celebrandi initium heri factum eſt: cum rem diuinam pontificali ornatu feciſſet Praeſul Narbonenſis, orationem vero Condomenſis ſacram habuiſſet. De offerendo Regi munere gratuito deliberaturum reuerendum ordinem haud, paucorum opinio eſt.

Quae de commiſſo prope S. Dominici inſulam cum Anglis praelio nuper ferebantur, non ex aula Hiſpana nuntius, ſed ex ſermone rumor attuliſſe videtur. Illud confirmari accepimus, Delphinum caſtris Dunquercenſibus praefuturum.

In propugnaculum quoddam ſuum, cuius nondum nomen auditur, conieciſſe Luſitani quinque millia militum perhibentur, quo progredientes Hiſpanos arceant, nullum iter ſatis tutum, niſi caſtellum illud ante ceperint, habituros.

Ex litteris Sobiſianis ſatis tecta ſunt ab hoſtili impetu caſtra hoſtibus viciniora. Ad Rhenum inferiorem et copias habemus praeclare inſtructas, et horrea cibariis plena. Iter praeterea Rhenanum communicaturis patet.

Mantua Carpetanorum recens allatae litterae, Hiſpanos in fines Luſitaniae hoſtiliter incurſionem feciſſe, confirmant.

In bina caſtra congregatae ſunt copiae Luſita-

nae: altera ad Abrantium locata ſunt; ad Extremam altera. Terreſtribus copiis numerum tricies mille militum nondum confici, ex indice militari patet.

PEINA AD FVSAM. XI. MAII.

Ad illuſtrisſimum Bückeburgi comitem delatum eſſe, Regum M. Britanniae et Luſitaniae iudicio, ſupremum copiarum apud Luſitanos imperium, certi auctores referunt.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. XIII. MAII.

Adhuc rei quidem grauioris nuntios ex Sileſia habemus nullos. Neque ex quo apud exercitum Auſtriacum redux eſt Daunius, quidquam ſuſcepit, quod inferendi praelii conſilium argueret. Quin potius variis ſe locis Auſtriaci operibus et munitionibus ſepiunt. Regis exercitus, adductis vndique copiis, in primis illo veteranorum, qui apud Ruſſos detinebantur, robore, ita auctus eſt, vt facile obſiſtere hoſtibus queat.

BEROLINO. XV. MAII.

Heri, miſſus ab Henrico Principe Vratislauiam ad Regem curſor retulit, disiectas haud procul Döbelio ſtationes Auſtriacorum principes, captos, praeter ducem militum, praefectos duodecim, gregarios vero mille et quingentos, cum tormentis tribus.

RES

RES LITTERARIAE.

Ea fama eſt *Dominici Paſſionei*, cuius anni ſuperis libello XI. mortem retulimus, vt facere non posſimus, quin vitam quoque breuiter narremus.

Illuſtri gente prognatus vitam hanc ingreſſus eſt Foro Sempronii a. 1682. Romam ab auunculo, qui ſacri collegii a ſecretis erat, arcesſitus anno aetatis decimo tertio, in eloquentiae ſe et philoſophiae ſtudio totum poſuit. Poſt, reliquas litterarum partes cum a Thomaſo Theatino, ordinis Ieſu ſodali, et celeberrimo Fontanino, Praeſule Ancyrano, hauſiſſet, eos in ſcientiis progreſſus fecit, vt excellere iudicaretur. Fontaninus quidem a. 1705. ei libellum ſuum, quo Germonium, e ſoc. Ieſ. confutauerat, inſcripſit, nec multo poſt celebratam illam quae edita nondum fuerat, Alcuini ad praeſulem Eboracenſem epiſtolam, ipſius Pasſionei adnotationibus criticis auctam. Neque minus conſpicua fuit Noſtri ſingularis quaedam eruditio, Auli Gellii edtione ea, quam ipſi a. 1706 dicabat Iacobus Gronouius, collatis codicibus manuſcriptis emendatiorem. Atque tum animum adiecit ad colligendam illam librorum, codicumque in primis manu exaratorum ſupellectilem, cuius in magna copia delectum admirati ſunt litterarum exiſtimatores. Lutetiam Pariſiorum a Clemente XI. miſſus, quod in illa artium et ſcientiarum ſede egit Biennium, totum fere augendae doctrinae, expoliendoque illi,

quo tantopere valuit, acri iudicio dicauit. In quo hominum tum clarisſimorum conſuetudine maxime vſus eſt, Montfauconii, Mabillonii, Lequieni, Danielis, Harduini, Renaudoti, Bignonii, Boiuini, Toureilii, Boilauii. Inde in Flandriam, poſt ad Batauos et Britannos delatus, itinera illa vere litteraria habuit. Hagae Comitum, Pontificis iuſſu, quadriennium commoratus, Traiectum ad Rhenum conceſsit, nobilisſimo conuentui legatorum interfuturus. Inde Auguſtam Taurinorum abiit, litis, quae inter Pontificem et Sabaudiae ducem exorta erat, diſceptator. Reducem Pontifex cum decurionem dixiſſet cubiculariorum, Badenam a. 1713 miſit. Romae tandem, poſt varias legationes praeclare adminiſtratas, a. 1719 redditus, ſedem ibi figere conſtituit. Effecit tamen, mortuo Clemente XI, Innocentii XIII. auctoritas, vt ad Heluetios legatus Pontificis iret. Quo temporis interuallo quid praeſtiterit, docent edita ab eo Romae 1738 *Acta Apoſtolicae Legationis Heluelicae.* Sed morem poſtea pariter geſsit Clementi XII. legationem Vindobonenſem decernenti. Vindobonae quantum eloquentia valeret declarauit tum oratione funebri, quo Eugenium Principem proſecutus eſt, tum colloquiis, quibus Ludouico, Wurtembergiae duci, vt ſacra Romanenſia amplecteretur, perſuaſit.

Romam a. 1738 reuocatus, primum adſcitus a ſummo Pontifice in Patres purpuratos fuit, mox epiſtolis ſcribendis, denique, mortuo Quirino,

rino, bibliothecae Vaticanae praepositus. Romae quoad vixit, singulari ab omnibus obseruantia cultus, communem se litteratorum Maecenatem praestitit, ita vt exterorum quoque per litteras amicitiam coleret. In concilio sanctorum cum collocandi viderentur Bellarminus et Io. de Palafox, eaque de re ageretur, illius in primis merita commendauit scripto, qui Venetiis modo lucem adspexit, libello hoc indice, *Voto dell' eminentissimo, e reuerendissimo Sig. Cardinale Domenico Passionei a nostro Signore Papa Benedetto XIV. nella causa della Beatificazione del Venerabile Servo di Dio Cardinale Roberto Bellarmino.*

Illis rebus honoribusque gestis vitae cursum confecit senex eminentissimus Romae d. V. Iulii ao. 1761. Exsangue corpus sepultum fuit in monasterio S. Bernhardi ad Thermas, cui Abbatis fiduciarii nomine praefuit, hac addita inscriptione,

D. O. M.
DOMINICO PASSIONEO FOROSEM-
PRON.
S. R. E. BIBLIOTHECARIO.
TITVLI S. LAVRENTII IN LVCINA
PRIMO INTER CARDINALES PRESBY-
TERO
BERNARDI AD THERMAS COMMEN-
DATARIO
CLEMENT. XII. BENED. XIV.
BREVIVM A SECRETIS
VLTRA

VLTRAIECTI ET BADENS. CELEBERRIMIS IN COMITIIS
APOSTOLICAE SEDIS NOMINE
PVBLICAE TRANQVILLITATIS AC PACIS
CONCILIATORI
LEGATIONIBVS AD HELVETIOS
ET CAROLVM VI. IMP.
PRAECLARE GESTIS
GENERIS SPLENDORE MORVM GRAVITATE
RELIGIONIS STVDIO SPECTATISSIMO
LITTERARVM AC BONARVM ARTIVM
CVLTORI FAVTORI EXIMIO
DOCTORVM VIRORVM
GRAVI CONSTANTIQVE IVDICI
DOMI FORISQVE SAPIENTIAE
LAVDE ILLVSTRI
PAVLVS. BENEDICTVS. LVDOVICVS.
PATRVO BENEMERENTISSIMO MOERENTES
P. P.
OBIIT TERTIO NON. IVL. A. R. S.
cIↃ IↃ CCLXI.
AETAT. A. LXXIX. M. VII. D. III.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare anuuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLII.

DIE MARTIS, VIII. CAL. IVN. cIↄ Iↄccℓxii.

HAFNIA. XVI MAII.

Repetitum fuit regio iussu, addita etiam poena grauiori, edictum, quo argenti cusi exportatio clandestina prohibebatur. Similiter cautum est, quod inde malum increbuerat, ne schedulis argentariis * redimere numeratam pecuniam liceat.

* Bancozettel.

Hirschholmense palatium proximo Iouis die petitura est Regina mater augustissima.

PETROBVRGO. XXVI. APR.

In aliud tempus differtur inaugurandi Imperatoris caerimonia: quo magis perfici queant qui in ea fiunt adparatus magnifici insolitique.

Numos iam conſpicimus Petri III. effigie ornatos. Horum altera facies inſignia praefert Imperii, armaturis quales habere numi Prusſici ſolent, inſtructa.

Celſisſimus Holſatiae Princeps collatum in ſe imperium militare ſupremum, oratione humanitatis plena detulit ad illuſtrisſimum ſenem, Comitem a Münnich, inſigni quadam ſua aduerſus tantum heroem reuerentia impulſus.

Oblatam ſibi ab Auguſtisſimo ſupremam Siberiae praefecturam deprecatus eſt Butturlinus Comes, ſenectutem prouectam cauſſatus. Moſcouiam contra propediem diſcedet praefectus vrbis et regionis ſummus, illuſtrisſimus Comes Schuwalow.

Pariter Vratislauiam hinc ad Regem Prusſiae legatus abibit excellent. Woronzouius, ex fratre Woronzouii, ſupremi rerum adminiſtri, natus.

VINDOBONA. VIII. MAII.

Daunium vniorem, quem paternae virtutis aemulum fore omnes iudicant, legioni praeficere Regina conſtituit. Interea is, per gradus militiae ſingulos adſcenſurus, Schönbrunnae nuper cum gregariis excubias egit. Parentem tamen illuſtrisſimum, in Sileſiam hinc profectum, quam primum conſequetur, eiusdem legionis centurio.

Sileſiae redditus Daunius, pater, Glacii primum et Suidnicii munimenta inuiſet: deinde exercitum imperatorium regium luſtrabit.

De

De praefectorum militarium, qui capti detinentur, commutatione consilia agitari dicuntur.

OLYSSIPPONE. XXI. APR.

Discesserunt hinc cum Tirawleyo iuniori, legati Anglici filio, complures eiusdem gentis praefecti militares, operumque bellicorum machinator insignis, castra haud procul Pace Iulia* metaturi. Eodem se Rex pariter conferet: praemissa iam supellectili regia.

* *Beja.*

Quae nuper conscribi coepta est, legio tormentaria* milites habebit mille et sexentos. Ei praeerit Weinholzius.

* Artillerieregiment.

GADIBVS. XX. APR.

Per dies hosce nauibus quindecim maioribus aucta fuit Saundersii, praetoris Angli, classicula. Itaque in freto Gaditano Anglorum naues quadraginta versantur.

MANTVA CARPETANORVM. XXVI. APR.

Adhuc quidem in vrbe hac commoratur aulae Lusitanae administer morbo, verone an simulato incertum, retentus. Olysippone contra discessisse fertur legatus noster, itemque Gallicus. Vtrumque in dies exspectamus.

Carthagine noua e portu exierunt naues bellicae minores duae, cum clasicula illa coniun-

gendae, cui praeest illustrisſimus Idiaquez. Quae quidem ipſa naues maiores tres, minores quatuor complexa, primo quoque tempore ancoras tollet.

NEAPOLI. XXVII. APR.

Ex diebus aliquot vehementer aeſtuantem vidimus Veſuuium montem, atque in ſubiacentes vineas ſaxa, flammas, cineres euomentem. Auerruncandae ruinae, precationes inſtitui in vrbis huius templis placuit.

ROMA. I. MAII.

Praeterito ſolis die in montis Quirinalis ſacello ſummus Pontifex ritu ſollemni inaugurauit virum eminentisſimum Marcum Anton. Columnam, in partibus infidelium, quas dicunt, ſummum Corinthi praeſulem. Poſtridie eius diei Centum Cellas hinc Pontifex diſceſſit praeſidio militari et vrbano tectus. In carpento adſidebant purpurati patres duo. Illud ſequebantur praeſules multi, aulici vero omnes.

LVTETIA PARISIORVM. XIV. MAII.

Litterae ex Luſitania nouisſimae haec narrant: Hiſpanorum copiae, decies vel duodecies mille homines ſupra oppidum S. Marthae ad quartum milliare in Luſitaniam intrarunt, ibique conſiderunt. Earum cornu alterum ad Zamoram vsque protenditur, vrbis eius tormentis tectum. Mirandam Hiſpani Almeydamque inuaſuri praecipue videbantur. Ea de cauſſa vter-

vterque locus, quantum fieri potuit, praesidio auctus fuit.

LONDINO. XIV. MAII.

Hiberniae qui adhuc praefuit regis vicarius, illustrisfimus comes ab Hallifax, inde nuper redux humanisfime exceptus a Rege fuit.

In palatio S. Iacobi crebra per hosce dies a Senatu sanctiori consilia de rebus maxime Lusitanis collata fuerunt. Nec parum saepe cum administris nostris deliberationes habet perillustris a Melho, Lusitaniae legatus. Huic confirmarunt nostri, futurum, vt Britannia quibus posset opibus copiisque non tantum exspectationi Lusitaniae respondeat, sed eam etiam superet. Portum Magnum is abiit, vt legiones videret in Lusitaniam inde transportandas. Ex Hibernia quae Lusitanis auxilio venturae erant copiae, eodem iam discesserunt: quas etiam aliae sequentur. Hawkium praetorem cum classe sua id acturum, fama est, vt distrahendis Hispanorum copiis * Lusitaniae similiter succurrat. Quia ex nostro in Germania exercitu peditum quatuordecim millia in Lusitaniam audimus transitura, et in eorum locum successuros Prussos.

* Durch eine Diversion.

AMSTELODAMO. XVIII. MAII.

Quod Hispanorum in Lusitanos expeditio opinione lentius procedit, sunt, qui auxilia ab illis Gallica exspectari putent. Alii subesse insidias dictitant: neque enim vel Hispanos vel

Gallos de subigenda Lusitania cogitare; sed illud agere, vt eductis ex patria et in Lusitaniam allectis copiis Anglicanis, Angliam coniunctis viribus inuadant.

RES LITTERARIAE.

Typis iam expressam 4 plag. formae quartae legimus *orationem* elegantem et politam, quam a *Witzendorfio*, iuuene generos. natalitiis regiis in Christianeo acad. recitatam laudauimus libello XXVII.

Nicolaus Ludouicus de la Caille, cuius nuper demortui ante hos dies octo mentionem fecimus, astrorum scientia clarissimus, dioeceseos Rhemensis diaconus, Ruminii, Tirasciae vico, natus erat a. huius saeculi decimo quarto. Eius pater, cum cohorti tormentariae miles voluntarius interfuisset, Aneti tandem, ab illustrissima Duce Vindocienst venationum praefectus constituebatur. Qui vt litterarum studiis ipse magnopere fauebat, ita filium illis probe imbui voluit in collegio, quod Lutetiae Paris. floret, Lexouiensi. Sed hoc patre noster a. aetatis decimo octauo orbatus, reique familiaris inopia pressus, vix prosequi potuisset praeclare coepta, nisi curam iuuenis praestantissimi egisset Dux Aureliae, a collegii praefecto sibi propter excellens ingenium commendati. Ex eo tempore, naturae suae obsecutus, ad astronomiam tanto studio incubuit, vt discendi impetum nec magistrorum inopia nec librorum retardaret. Ea scientia aliquantum

tum imbuto, quae defuerant, praesidia obtulit celeberrimus Casſinus, cum ſibi eum adſciuiſſet, in ſpeculam, ex qua ſiderum motus obſeruabat, comitem. Itaque paullo poſt in partem etiam venit infiniti laboris, quem lineae meridianae per ſpeculam illam totamque inde Galliam ducendae impendit Thurius, dignus patre Casſino filius. Mox, cum vix annos haberet viginti quinque, profeſſor mathematum conſtitutus fuit in collegio Mazariniano: neque alia re, quam doctrinae meritorumque laude commendatus a. 1740 Academiae primum ſcientiarum, deinde multis per Europam aliis adſcriptus. Eius rei teſtimonium perhibent quotquot inſerti ab eo commentariis academiae leguntur libelli, lucido omnes ordine et mirifica quadam in argumentis abſtruſis perſpicuitate conſcripti. Non illum quidem dicendi luminibus ſplendidisque ſententiis vſum videmus; ſed tanto acriorem animaduertimus obſeruandi et iudicandi vim: ita quidem, vt quae ſemel ab eo poſita fuiſſent, in his nihil quidquam vel ingenii ſollertia, vel vſus diuturnior emendandum adhuc repererit.

Clarisſima vitae pars et inprimis memoria digna eſt haec, quam itinere Africano tranſegit. Ad perficiendam ſtellarum errantium cognitionem vel in primis facit fixarum catalogus plenior et accuratior. Harum complures deerant in Flamſteadii indice, illae nimirum ad verticem auſtralem, quas in ſpecula Gronuicenſi, conſpicere Anglus non potuerat. Itaque Halleyus a. 1676

1676 ad S Helenae insulam delatus, trecentas ibi et quinquaginta obseruauit. Atque huius caeli regionis plenius cognoscendae cupiditate incensus Gallus noster a. 1750 ad bonae spei promontorium iter, aulae iussu, suscepit. Ibi cum initio nihil aliud praeter principum astrorum positionem quaereret, mox ipsius caeli diuitiis noctiumque clarissimarum spectaculo inuitatus, astrorum decem millium positionem definiuit, meridiani commensus est gradum, in Lunae parallaxi obseruauit ea, quae aliorum in boreali regione inuentis responderent. Hunc stellarum indicem, suasque, quibus is nititur, obseruationes cum edere coepisset, rerum caelestium cognitioni ereptus est vir longiori vita dignissimus: quam producturus fuisse videtur, si per hiemis superioris noctes frigidas valetudinem geniumque curare, quam stellarum circa punctum verticale numerum inire maluisset. Febri maligna d. V. Martii huius anni correptus die eius mensis XXI. anno aetatis quadragesimo octauo periit. Sepultae sunt exuuiae in sacello collegii Mazariniani, cuius ipse cathedram annos viginti tres magna meritorum nominisque laude ornauerat.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLIII.

DIE VENERIS, V. CAL. IVN. cIↄ Iↄcclxii.

HAFNIA. XXII. MAII.

Augustissimi Regis nostri iter Holsaticum hoc modo descriptum est, vt cum sacra pentecostalia Rex in hac vrbe peregerit, die II. Iunii Cruciforam perueniat; inde, traiecto postridie freto Baltico maiori, Othenas Fionensium pergat; post vnius diei moram, superato freto minori, Coldingam iter persequatur; hinc d. VI. Haderslebiae redditus, die VII. Flensburgo Gottorpiam concedat.

OLYSSIPPONE. XVI. APR.

A Lusitaniae patriarcha, nullo Regis rogatu, iussi sunt qui ordine sacro censentur omnes, sup-

 pedi-

peditare in itinere copiis regiis, quaecunque in vſum eſſent.

MANTVA CARPETANORVM. XXX. APR.

Adhuc apud nos commorari Luſitaniae legatum, adfixa in fronte aedificii Heri ipſius inſignia demonſtrant. Sed ipſe quoque Araniuczi identidem, non minus quam reliqui Adminiſtri extranei, in aula comparet. Qui Zamora nuntii veniunt, caſtris nihil neque ad numerum copiarum neque ad reliqua praeſidia deeſſe confirmant. Mirandae munimenta, tametſi aucta confirmataque ſcimus, expugnatu haud difficilia iudicamus. Quibus Brigantiaque expugnatis, vt ſimiliter in poteſtatem noſtram veniat Portus Cale, omnem operam nauabimus, qua quidem re mercaturae Anglorum haud leue damnum inferetur.

GENVA. II. MAII.

Lites cum aula Romana noſtras magna ſpes eſt primo quoque tempore compoſitum iri. A Curiae * incolis, concitata in Paolum Ducem ſeditione, ereptos e cuſtodiis praefectos militares noſtros, et ab his occupatum mox Caſtellum fuiſſe miſſi inde nuntii confirmant. Praeſidio nunc locum illum valido ſatisque numeroſo inſtruximus.

* Corte.

VENETIIS. XXVIII. APR.

Conſtantinopoli relatam legimus et mortem filioli, qui non ita pridem genitus erat Magno Impe-

Imperatori, et huius ex ea morte aegritudinem nulla consolatione leuandam. Inuidiae, quae in palatio imperatorio orta esset, et veneficio illam mortem tribui, rumor erat.

BVRDEGALA. VII. MAII.

Intercepto vtriusque Indiae commercio, tum nostra, tum aliarum Galliae ciuitatum negotia multum detrimenti capiunt, quod in dies rariorem fieri animaduertimus illum rerum gerendarum neruum, pecuniam. Angli, cum domini fierent Martinicae, sacchari, Galliae destinati, copiam deprehendisse dicuntur eam, quae ducentis nauibus onerandis sufficeret.

LVTETIA PARISIORVM. XVIII. MAII.

Concilio, quod hic ex diebus aliquot haberi coeptum est, sacro grauem deliberandi caussam attulisse aula perhibetur, librarum Gallicarum tricies mille millia sibi praeberi, gratuiti muneris nomine, postulans.

Ex cohortibus praetoriis* quotidie manipulos in Flandriam discedere videmus.

* Königliche Haustruppen.

Die XXX. April. Hispaniae fines contigisse, qui aulam Lusitanam reliquerant, Legatos Odiinum nostrum et Torrerum Hispanum, certi homines retulerunt. Eodem tempore liberi commeatus litteras traditas scimus Iosepho de Silua, legato Lusitano, Olysipponem ex aula Hispaniae reuersuro.

VINDOBONA. XV. MAII.

Die mensis huius X. cum nauibus nouem Danubio se commisit, Liber Baro a Penkler ad aulam Constantinopolitanam Legatus. Qua ipse vna cum coniuge vehebatur, nauis pulcherrima erat valdeque ornata.

Litteris ex Silesia nouisfimis cognouimus, illustrissimum Daunium exercitui nostro redditum, nudius tertius, quo die Augustae natalitia erant, haud paucis ibi ordinis Theresiani insignia tribuisse; copias nostras in iisdem, quae ante hiberna proxima habuissent, statiuis locatas: a Brentano, primae aciei praefecto, Sabothum * montem teneri.

* Den Zottenberg.

EX BOHEMIA SILESIAE VICINA. IX. MAII.

Prussorum copias omnes fama est (excepta parua manu ad tegendam Vratislauiam relicta) discessisse die VI. in castra Strehlensia, egregie communita, quorsum iam ante se contulerant cohortes triginta tres. Wurtembergiae Princeps Nouomarchiae exspectabatur. Wernerus, cum agmine, quod ducit, expedito in Silesiam superiorem processerat. Qui in Silesia sunt Prussi, si praesidiarios adnumeres, nonagies sexties mille capita conficere perhibentur. In Saxonia vicies mille Prussi putantur relicti.

Exercitus imperatorius regius, inde a Strigauia ad Reichenbacum extenditur.

EX

EX PRAETORIO PRVSSICO PROPE BETLERN SILES. XX. MAII.

Compositam cum Russis pacem publiceque confirmatam, cum exercitui hodie declarasset Rex, decantato hymno Ambrosiano, solitas laetitiae militaris significationes edi iussit. Missae sunt etiam litterae regiae, vt in reliquis, quae Regi parent, regionibus de illo pacis munere gratiae Deo sollemnes agantur.

CLIVIA. XVII. MAII.

Heri omnes simul Gallorum copiae mouerunt, ad Reesium congregandae. Rhenum traiecerunt legiones voluntariae, Delphinas et Claromontana; supraque Reesium iaculatoribus granatorum regiis * auctae fuerunt. In castellum ipsum intrauit legio Bullionensis, praesidii caussa, Satellitum Heluetiorum cohors heri Geldriam peruenit.

* Grenadiers royaux.

PYRMONTIO XX. MAII.

Hamela hodie mane inter tormentorum salutantium fragores profectus huc venit Sereniss. Ferdinandus. Sed quod praetorium totum non capit vicus noster, eius pars translata in pagum vicinum fuit. Nec tamen diu apud nos commoraturum putamus Ducem.

EX TRACTU WESTPHALICO. XVIII. MAII.

Ad vicum Buldern hoc ipso die transmigrauit Serenissimi Principis heredis praetorium:

eius copiae nouas in eo tractu ſtationes tempo-
rarius caperunt. Quae in ſtatiua propediem
conceſſurae videntur. Hoſtes Rhenum tranſie-
runt.

* Cantonnement.

RES LITTERARIAE.

Angeli Mariae Cardin. Quirini, liber ſingularis *de optimorum ſcriptorum editionibus*, quae Romae primum prodierunt poſt diuinum typographiae inuentum cet. Lindauiae, impenſis Iacobi Ottonis 1761. Perrarus in Germania erat libellus. Quem ſuis impenſis editum, amicis tantum ſuis paucisque aliis, quos magni in primis faceret, impertierat auctor eminentisſimus. Gratisſimum itaque eruditis fecit Schellhornius, iucundum litteris nomen, quod libellum et denuo edidit, et doctis etiam lectuque dignisſimis obſeruationibus de artis typographicae origine auxit.

L'Eloquence du corps ou l'action du Predicateur: ſeconde edition *par Mr. l'Abbee Dinouart*. A Paris chez Deſprez, 1761. Cupide emta lectaque fuiſſe conſtat haec de eloquentia corporis praecepta, quibus actio in primis oratoris ſacri dirigitur: neque tamen defuiſſe, qui ea hic atque illic cenſoria quadam virgula notarent. Horum monita Dinouartus, conſiliaque, vir doctus et ſapiens, in vſus ſuos conuerſurus, pasſim libellum

lum vel emendauit, vel illuſtrauit: quod inſigni ipſe modeſtia profeſſus eſt.

Poſitis ſummorum in hoc genere hominum eloquentiae praeceptis varia ſubiungit ſolide eleganterque cogitata. De quibus ita ipſe: Vno hic volumine collecta inuenient eloquentiae ſacrae cultores oratorum omnis fere aeui praeſtantiorum conſilia praeceptaque. Haec diſcant, in his exerceantur, ſi quidem virtutum aemuli ad parem dicendi laudem incumbere imbiberint. In maximo errore verſantur, ſi qui ſibi perſuaſerint, initiatos ſe ſacroque munere auctos eloquentiae ſimul ſacrae vim virtutemque obtinuiſſe. Sunt, qui celeritate ac feſtinatione ingenium obruant; ſunt, qui naturae facultatem artis ignoratione negligant; ſunt, qui actionem alienam ſeruili ſtudio imitantes ſuam corrumpant, ac deprauent. Nonnulli, praetermiſſa diuini codicis patrumque lectione et meditatione, ad legenda opera ludicra et leuia, atque adeo ad fabulasRomanenſes animum adiiciunt: ad eiusmodi librorum rationem et iudicium ſuum conformant, et orationem effingunt; hanc deinceps fucatis quibusdam luminibus perſperſam actione ſcenica animant, quae cum profanis forte probetur, piorum hominum et cordatiorum animos offendit.

Illi Dinouarti libello adiuncta ſunt duo ſimilis argumenti carmina, alterum Abbatis de Villiers, alterum reuer. patris Sanlequii. Huius quidem in notandis actorum vitiis ingenioſam diligentiam,

tiam, qui Batteusii elegantiorum litterarum institutiones legerunt, ignorare haud possunt.

Sermons et Panegyriques: par Mr. *l'Abbé Ciceri*, Predicateur ordinaire du Roi. A Paris, chez Desaint et Saillant.

Non magnopere placituras putamus Ciceriaenas orationes his, qui fulmina illa oratorum, dicendi vehementiam, imagines ad percellendam mentem expressas quaerunt. *Stilo scriptae sunt* paullo tenuiori, sed qui sacrum oratorem haud dedeceat, et ingenua quadam nobilique simplicitate commendetur. Longe nobis praestare videntur orationibus tot aliis, quas quotidie propremodum vtriusque generis, sacri in primis, prodire animaduertimus. Optandum sane esset, vt ad amabilem hanc simplicitatem se componere vellent, quicunque ingenio destituti, inter Gallos ex Bossueto, Massillonio, Flecherio, inter nostros vel ex iisdem germanice conuersis vel ex Moshemio, Ierusalemo, Cramero cet. vel ex poëtis adeo epicis dicendi lumina formulasque conquirunt audaciores.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras ... singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, nummos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO
LIBELLVS XLVIII.
DIE MARTIS, XVII. CAL. IVL. CIƆ IƆCCLXII.



HAFNIA. V. IVN.

In itinere, quod ad Holſatos ſuos ſuſcepit hoſpes Auguſtisſimus, die XI. Rensburgum ſe conferet, poſtridie Bramſtedio ad arcem Traventhalenſem perrecturus. Inde, poſt quinque dierum commorationem, Plonam petet: hinc Rheinfeldam. Die XXI. Pinnebergam veniet. Ibi quatriduum commoratus, Die XIV. Itzehoa Rensburgum redibit.

Copiis per Holſatiam noſtris caſtra erunt bina altera quidem inter arcem Trauenthal. et Segebergam; altera haud procul Pinneberga. Illis continebuntur quae in eo tractu ſtationes habuerunt, legiones peditum, equites Noruagiae deſul-

desultorii, et quicunque tormenta bellica tractant: hique, praesente Rege, a die XIV. ad XVII. meditationes obibunt militares. In castra Pinnebergensia concedent legiones vndecim, quae in Stormaria versantur, equitum, maximam partem cataphractorum. Hae cum die XVIII castra ceperint, diebus XXI, XXII et sequentibus, ab Augustissimo pariter lustratae, varia exercitationum genera persequentur.

In tabernaculis degent, more militari, duces nostri, militumque praefecti: qui, ne quid ad castrensem adparatum desit, omni studio prouident.

PETROBVRGO. XVII. MAII.

A consiliis sanctioribus sibi esse iussit Imperator, simulque ordinis S. Andreae equitibus adscripsit illustrisimum Paninium, Magni Ducis supremum aulae magistrum.

Heri, inspectantibus Augustissimis, ex nauali praetoriano deducebantur recens ibi constructae binae naues bellicae, octogenis aptatae tormentis. Earum altera Friderici regis; altera Principis Georgii nomine insigniebatur.

Quae Aspahano nouissime allatae sunt litterae, compositos narrant motus intestinos, quibus diu misere turbata fuerat Persia. Itaque propediem eo legatus noster abibit Iuan Alexiowitz, Dedinouiae nuper illustrissimae virgini iunctus.

Prope Casanum effossa ex terra fuit effigies marmorea, qua vsque ad pectus repraesentatur * Iulii Caesaris coniux. Affabre sculpta est, opinionemque nonnullam praebet, in ditione quondam ac potestate Romanorum fuisse Casanum.

* Bruftbild.

LONDINO. XXVIII. MAII.

In Bengalae regno expeditionem grauissimam meditantur Angli, magni Mogolis heredem solio paterno reddituri. Quod negotium si successerit, haud parum vtile videtur futurum societati mercatorum Indicae, genti autem nostrae apud Asianos etiam gloriosum.

Quae fretum Hudsonium negotiatione obtinet societas, diligenti studio misit qui Indiae maria perquirerent, vt tandem aliquando reperiretur illa diu multumque quaesita per glaciale mare in Indiam orientalem via. Largius illi profundiusque, quam adhuc putatum esset, compererunt fretum, quod Cestriae aditum * vocant. Itaque probabili coniectura ducuntur, qui detectum iri transitum existimant.

* Chesterfields Inlet.

Septem hebdomades sunt cum aestu grauissimo laboramus. Quo temporis interuallo cum homines solito plures interierint, mota est nonnullis suspicio aeris contagione infecti. Quod vt experirentur naturae studiosi, variis ad eam rem inuentis vsi sunt. Dracones artificiose factos, quibus carnem recentem alligassent, sustu-

ierunt, vt ad certam aëris regionem sublimes ferrentur: eos mox retraxerunt. Quo facto, quod intactam carnem integramque vidissent, aërem quidem pestilentiae suspicione absoluendum iudicarunt.

VENETIIS. XXVI. MAII.

Praeterito Lunae die, rei publicae nostrae ereptus fuit Dux serenissimus Franciscus Loredanus. Natus erat d. IX. Febr. 1685. Rei publicae d. XVIII Maii 1752 praepositus, principatum non sine laude sustinuit. Heri demum ciuibus sollemniter indicebatur funus illud. Quo audito cessarunt solitae per mercatum festiuitates, clausaeque fuerunt tabernae.

ROMA. XXVII. MAII.

Passionei, Viri quondam eminentissimi, bibliothecam emi Pontifex, et Vaticanae inferri iussit.

LVTETIA PARISIORVM. IV. IVN.

Roma relatum legimus, breui futurum, vt litteris a Pontifice obsignatis * tollatur omnino illa ordinis a Iesu nominati societas. Cuius suasor consilii impulsorque dicitur Rezzonicus Princeps fuisse oblato Pontifici libello, quem Tamburino, patri purpurato, moribundus tradidisset Benedictus XIV. P. M.

* Päbstliche Bulle.

Inde a mensis Maii die vicesimo octauo quarti ordinis cometam hic obseruauimus speciose caudatum, qui motu suo ab occidente ad orientem fertur.

VINDOBONA. I. IVN.

Die XXV. Maii Lutetia Parisiorum huc venit Comes a Montazet, in copiis Gallicis summi ducis legatus, expeditioni in Silesia interfuturus.

Nupero illo incendio Laxenburgensi pretiosa periit suppellex Comitis a Claris, summi venationum praefecti. Ipse saluus euasit vestitu cubiculari indutus.

Die XXIII Reginam imperatricem discessus caussa vltimum conuenit princeps Gallizinus, Russiae administer.

GEDANO. XXIX. MAII.

Petroburgi promulgatum fuit edictum, quo sacro ordini, redituum loco, constituta sunt stipendia quaedam annua. Praesulum tribus primariis quinquies milleni, reliquis ter milleni imperiales Russici tribuentur. Abbatum qui primae classis sunt quingenos, qui secundae, trecenos, qui tertiae centenos et quinquagenos eiusdem pretii numos auferent. Eodem edicto cauere iubentur coenobia, ne quemquam ante annum aetatis tricesimum in societatem cooptent.

EX POMERANIAE CONFINIO. IV. IVN.

In Pomerania tam citeriori, quam vlteriori tranquille adhuc consistunt copiae Russicae. De quarum itinere et expeditione suscipienda quae audiuntur, quae leguntur, rumores sunt sine auctore. Illud certum habemus, quae Sedini adhuc fuerant, copiae Prussicae, has tantum non omnes in Silesiam ituras.

VRATISLAVIA. IV. IVN.

Ex die menſis praeteriti vltimo in hac vrbe verſatur Woronzouius comes, Rusſiae ad aulam Londinenſem legatus. Ad ſalutandum Regem quoties in praetorium ſe contulit, ſingulari humanitate acceptus fuit, Regisque conuiuio adhibitus.

HANNOVERA. VII. IVN.

Die huius menſis ſecundo in vico Bulderenſi adhuc praetorium habuit Princeps heres. Die V. Spörkii agmen, relicta Blomberga, caſtra promouit.

Pyrmonto die VI. corbeiam transtulit Ferdinandus caſtrorum principia. Eodem die legionis Bremeri et Behrii equeſtres Hamela ad Luckneri agmen iter habebant.

Heri Londino redux Hannoueram ſaluus ſoſpesque intrauit perilluſtris Münchhuſius, Regis M. Britanniae a conſiliis intimis.

EX AGRO BRANDENBVRGICO. XI. IVN.

Ex litteris Sileſiorum nouisſimis in vico Betlern adhuc commoratur Rex cum praetorio: is vicus ad viam eſt, qua Vratislauienſes Suidnitium commeant. Pariter Krazkauienſem pagum qui Stagno Suidnicenſi vltra Cantium adiacet, adhuc tenebat Daunius. In hac vtriusque exercitus propinquitate, neuter tamen quidquam ſuſcipit rei grauioris. Exſpectare Rex agmen Rusſicum dicitur copiis ſuis iungendum.

Apud Saxones Henricus Princeps Pretſchendorfenſe praetorium nondum reliquerat die menſis

fis IV. Eius primum agmen cui Seidlizius praeest, Dippoldiswaldia propius aberat: reliqua agmina duo, Hülſenio et Canizio ductoribus, ad vicos Wilsdrufenſem et Oederenſem ſubſiſtebant.

RES LITTERARIAE.

Slesuici ineunte hoc anno prodire coeperunt, qui ſingulis Saturni diebus vna formae 8. plagula comparent, *libelli* morales et ſatirici, lingua vernacula polite eleganterque conſcripti. Index eſt *der Hypochondriſt*, i. e. affectione hypochondriaca percitus. Libello primo rationem auctores inſtituti ſui exponunt, primumque liberae bilis ſpecimen edit Zacharias Iernſtrup, Steelii ſe imitatorem profeſſus. Qua professione quas ſibi partes ſumſerint noſtri, facile intelligitur. Praeclare adhuc ſuccesſiſſe inſtitutum, videmus: neque dubitandum eſt, quin lectorum exſpectationi etiam in poſterum ſatisfaciant auctores, ingenio, doctrina, vitaeque politioris vſu clarisſimi.

Libelli argumentum praeſcripta ex auctore ſententia quadam indicatur: ac cum per ſe iucundum eſt, et ad aliquam vitae partem vtile; tum amabili tractationis varietate, quae plerumque nonnihil generoſae bilis habeat, diſtinguitur. Delicati generis ſunt epiſtolae libello XII. ex amatoris tabulario prolatae: nec tamen minus commouent, quas libello XX. Richardſoni exemplo ſcriptas legimus. Soluta oratione compoſitis pasſim interponuntur carminum condimen-

ta

ta partim suauioris argumenti, vt lib. XIX. Euphemi et Cynthiae amores, lib. XIV. idyllia; partim grauioris et sacri, vt lib. VIII. angelorum Dei laudes celebrantium hymni, hisque subiunctus hominis hymnus. Quo loco mirantur auctores, neminem adhuc cogitasse de characteristice angelorum ad S. codicis ductum definienda, cuius ope diiudicari accuratius naturae illae aethereae queant, quarum in epicis sacris frequens hodie vsus est. Libello XVII. de orientalium poësi, ducto ex sacris paginis carmine, exponitur. Libello XXII eleganter Ernstrupius et Socratica ratione principem nostrae aetatis poëtarum defendit, optatque, vt quod Galli in Fontano suo, Itali in Anacreonte fecerint, vt effictas ab his imagines pictorum caelatorumque artificio exprimendas curarint, idem nostri in praestantissimis Messiados picturis efficiant; quibus sane ornari porticula quam elegantissime possit.

Adhuc perlati ad nos erant libelli eius generis viginti duo: qui vt ad iusta aliquando volumina augeantur, optabunt nobiscum quicunque virtuti litterisque elegantioribus cupiunt.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti foras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quolibet asse, venales. Extrariei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO

LIBELLVS XLIX.

DIE VENERIS, XIV. CAL. IVL. CIↃ IↃCCLXII.

ROMA. XXIV. MAII.

Ante quam Centum Cellas nuper concederet, Pontifex grauisſimi argumenti litteras obſignauit. Illis reprimitur inſignis et impotens ferocia, qua in Tunquiniae regno aliisque orientis regionibus ſaeuire coeperunt, patres qui Ieſu nomen profesſi ab exemplo eius longisſime abſunt. Tunquiniae finibus non ipſi eiecerunt ſolum quos ab Auguſtinianis propagandae religionis cauſſa miſſos deprehendiſſent, ſed indigenas etiam, eorum opera conuerſos, aduerſus illos ipſos doctores ſuos concitarunt, et armis, fuſtibus lapidibusque armauerunt cet. Romam redeunti Pontifici obuiam ibant, qui patribus cupiunt, illam ab or-

dine vindictam deprecaturi. Quod cum iam in integro non esset, fecerunt, quod fieri poterat, vt epistolae illius pontificiae exempla typis impressa conquirerent, vendique prohiberent.

VENETIIS. XXVIII. MAII.

Peractis, quae ad iusta pertinent demortuo Duci quam magnificentissime facienda, hodie a Senatu serenissimae rei publicae Dux adpellatus fuit illustriss. eques Marcus Foscarinus, aedis S. Marci praefectus, superioris curiae adsessor, reip. historiographus, ex Academiae Patauinae reformatoribus cet.

MANTVA CARPETANORVM. XXV. MAII.

Brigantiae similiter nunc Domini, nullo labore nostro facti sumus. Vrbi cum adpropinquasset missus a summo duce cum agmine suo Marchio di Cevallos, ei obuiam processerunt delecti ciues quinque, vrbisque claues tradiderunt. Quibus comiter acceptis, marchio et copias nostras in castellum deduxit nullo praesidio munitum, et ciues, dicto sacramento, in fidem et clientelam Regis Hispaniae accepit. In munitionibus deprehendit tormenta non vnius moduli * duodeuiginti, adparatum bellicum valde mediocrem, bis mille sclopos maiores nullius vsus, cum minoribus nonnullis.

* von verschiedenem Calibre.

LVTETIA PARISIORVM. VIII. MAII.

Ad Baionam congregatae sunt copiae nostrae, Principis Bellouacensis ductu in Hispaniam iturae. Inde Valdoletum recta via petent.

Adhuc

Adhuc apud nos commoratur Rusſiae adminiſter. Quem reuocatum iri nemo dubitat, ſimul vt Petroburgo diſceſſerit Baro a Breteuil.

Ante dies aliquot typis hic exſcriptae fuerunt litterae pontificiae die XIII Aprilis datae; quibus grauisſime improbantur illa ordinis Ieſu ſodalium in regno Tunquiniae conſilia factaque.

Eiusdem ordinis praefecto ſupremo* declaraſſe *Pontifex* dicitur, conſtitutum ſibi eſſe, in negotio Gallico nihil ſodalitatis cauſſa facere.

* Pater General.

Iohannem Palafoxium nemo ignorat quantopere tum viuum tum mortuum inſectati ſint ordinis Ieſu ſodales, quibusque artibus impedire ſtuduerint ne inter caelites coleretur. Illius ſane pertinaciae grauisſimam poenam expetiturus erat Rex catholicus, niſi conſilio tempore praeuertiſſet eminentisſimus Torreggianus, ipſeque Pontifex ſe conſecrando Palafoxio haud defuturum, oſtendiſſet.

PETROBVRGO. XXI. MAII.

Copiarum, quae in Germaniam denuo mittentur, omnium ſummus dux conſtitutus eſt Czerniſcheuius.

Galliczinius, quam primum ex legatione Anglica redux fuerit, palatii quaeſtor vicarius * dicetur.

* Reichsvicekanzler.

Demortuae Imperatrici quae propiae fuerant, possesſiones,* ad Imperatricem, coniugem ſuam, peruenire Auguſtisſimus voluit. Earum annui reditus tricies vel quadragies mille imperialibus Rusſicis aeſtimantur.

* Domainen.

Warſouiam hinc propediem rediturí ſunt illuſtrisſimus Brühlius iunior, et Lachinal ſupremus vigiliarum praefectus.

WARSOVIA. II. IVNII.

Qui Hiſpaniae legatus hinc diſcesſit, marchio d'Aranda, ad exercitum Hiſpanicum proficiſcitur ſummus rei tormentariae praefectus.*

* Generalſ Idzeugmeiſter.

Die XXIV Martii Thorunium tranſibant venatores Prusſi militares quatuor, qui Petroburgo profecti Vratislauiam tenderent. Eos biduo poſt eodem itinere ſequebatur centurio Pruſſus idemque adiutor alarius a Steuben. Rurſus ex eo tempore Vratislauia veniens Petroburgum perrexit curſor Prusſicus, cui perferenda erat ad Rusſiae Imperatorem veſtis militaris* valde ſplendida eius formae, qua vtitur legio Syburgia auguſtisſimo Imperatori dono data: quem veſte illa ipſum nonnunquam vſurum ex ordinis inſignibus colligebatur, quae acu magnifice picta inerant.

* Uniform.

LONDINO. VIII. IVN.

Die IV. qui natalis erat Regis annum aetatis viceſimum quantum ingresſi, ſollemni feſtiuitate celebrauimus.

In

In linguae Anglicae ſtudio mirificos Regina progreſſus fecit. Librae numorum Sterling. ducentae, praemii loco, conſtitutae dicuntur ei, quo vſa eſt, magiſtro.

Die VI. in praedio ſuo Moorepark (comitatus Herfordienſis vicus eſt) vitae curſum confecit Georgius Anſon, in ſummo militiae reique naualis ſenatu adminiſter primus, M. Britanniae propraetor cet. Demortui heres eſt ſororis filius; ſucceſſor, ſi populi ſuffragiis res permitteretur, futurus erat Hawkius praetor naualis.

Qui Rusſiae a ſecretis legationum eſt, Petroburgo nuper nuntium accepit, iter iam ingredi iuſſos eſſe tricies mille Ruſſos cum exercitu Regis Prusſiae coniungendos: Imperatori dono datam eſſe a Rege legionem militum, cui ipſe Tribunus praefuiſſet.

CASSELLIS. VI IVN.

Adhuc Caſſellis verſantur Gallorum duces, ſummique caſtrorum praefecti, illuſtriſſ. ab Etreés et Sobiſius. Propediem tamen ad exercitum quisque ſuum diſceſſuri putantur.

EX TRACTV MONASTERIENSI. IX. IVN.

Die VI. cum Monaſterium perueniſſet Granbyus et poſtridie in praetorio Bulderenſi ſalutaſſet, ſereniſſimum Principem heredem, Oſnabruga heri ad exercitum maiorem perrexit.

RES LITTERARIAE.

Amftelodami ex Reyi officina prodierunt anno praeterito Gallico fermone confcripti, commentarii de vita Vidi Fabri Pibrachii, cum libellis, qui rei narratae fidem faciant, additisque eiusdem epiftolis amatoriis, et tetraftichis. *Memoires fur la Vie de Mr. de Pibrac, avec les pieces juftificatives, fes Lettres amoureufes, et fes Quatrains* Pag. 303, formae octauae.

Vitam Pibrachii a Carolo Pafchalio Latine confcriptam habemus, anno 1584, quo mortuus erat, editam. Eius cum in hiftoria fua mentionem feciffet Thuanus, memoriam quoque commendauit Morerius. Sed longe diligentius de vita clarisfimi viri exponunt hi, quos modo indicauimus, commentarii. Natus erat Tolofae a. 1529. Poftquam Parifiis elegantioris litteraturae elementa hauſiſſet, in Italiam profectus, Petrique Bunelli opera, vtriusque linguae, poëfeos et iuris fcientia excultus eft. Vnde cum domum fe retuliffet, in confilium magnum allectus, mox etiam praetor Tolofae conftitutus fuit. A. 1562 ad concilium Tridentinum a Carolo IX. miffus cum duobus aliis, ecclefiae Gallicanae iura tam fortiter docteque defendit, vt omnium in fe oculos animosque conuerteret. Itaque diligentiae fideique praemia tulit redux, in Senatu Parifienfi cauffarum patronus factus, annoque 1572 eitam ad fecretiora Regis confilia admiffus. Cum humani ingenii manfuetique animi officia in eo omnes laudent, vt in fufpicionem

etiam

etiam veniret, notante Pallauicino, clandestini in religionem reformatam studii, merito quis miretur, defensas ab eo, statim post factam caedem, libello singulari fuisse nuptias illas Parisinas. Verum hunc is libellum non ex animi sui sententia, sed superiorum iussu conscripsisse videtur. Anno 1573 Henrico Valesio, Adegauensium duci, in Poloniam ad capessendum regnum eunti, comes, consiliorumque adiutor primarius, mox etiam relinquendae Poloniae auctor fuit. Quo quidem tempore cum in magnum vitae periculum venisset, constanti animo praesentique rem expediuit. A 1576 prudentia eius eluxit in pace cum iis facienda, qui religionis caussa a Romanensibus secessionem fecerant. Sequenti anno dictus est ab Henrico III. Senatus Parisiensis praeses.

A. 1578 Pibrachium sibi cancellarium adsciuit celebratissima illa Nauarrae regina, Margareta Valesia. Huius ille negotia insolito quodam studio procurauit, vt nonnullis etiam suspicionem moueret amorum. Quam cum ei exprobrasset Regina ipsa, hac se suspicione scripto quodam exsoluendum putauit. Tandem a. 1582 cum duce Andegauensi, huius cancellarius, in Brabantiam concessit: sed eundem haud multo post, quod consiliis suis haud obtemperare vidisset, reliquit.

Erat in Pibrachio, praeter amplissimam iuris cognitionem, linguarum veterum et philoso-
phiae

phiae ſcientia ſingularis, ingeniique ad poëſin facti mira ſuauitas. Epiſtolae amatoriae ad quam datae ſint, non liquet: in quibus illud ſingulare videtur, quod cum amore coniunctum habent deuotae pietatis ſenſum. Tetraſticha eius variis non orientis tantum, ſed etiam occidentis linguis explicata fuiſſe conſtat. Quae cum a. 1687 et 1720 edita eſſent ad recentiorem ſermonis Gallici cultum immutata, hic antiqua facie, et quomodo ipſe dederat, rurſus comparent.

Illam, cuius modo meminimus, ſcriptam pro nuptiis Pariſinis epiſtolam legere qui volent, adiectam reperient, inter alia eiusdem argumenti ſcripta, Marci Ant. Mureti orationibus cet. Lipſiae editis. Vbi praeterea huius ipſius Oratoris exemplum doceat (Vol. I. Orat. XXII.) quantum relligio posſit ſuadere malorum!

In libello proxime ſuperiori operarum aberrationes animaduertimus ſolito plures. p. 377. v. 17. legatur Die XXVI. Itzehoa cet. p. 381. v. 6. *ſupellex.* p. 382. v. 15. *legiones.* p. 384. v. 8. *accuratius naturae.*

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS POLITICIS ET LITTERARIIS COMMENTARII ALTONANI.

CONCESSV REGIO.

LIBELLVS L.

DIE MARTIS, X. CAL. IVL. CIↃ IↃCCLXII.

HAFNIA. XIV. IVN.

Praefecturam Plonensem et Arensbocensem suscepit vir perillustris Detlev a Reventlow, Augustissimi a cubiculis.

Quae die VIII. hinc abierant Eckernfoerdam petiturae, naues vectoriae, eas ibidem die X. prospero cursu portum intrasse, accepimus.

MANTVA CARPETANORVM. XXVIII. MAII.

Brigantia, adpropinquantibus nostris, ne iure belli caperentur, discesserunt praesidiarii. Peditum centuriae quinque erant. Proruentur et huius vrbis et Mirandae munimenta. Copiae nostrae ad Durii oram procedent, Lamecam,

Ddd Portum-

Portumque Calensem expugnaturae: quod dum fiet, sinistrorsum agmen Almeidam obsessum ibit. Propter obiecta itinerum impedimenta, tardiores fore successus, praeuidemus.

PLIMVTHO, EX NAVI WARWICK. XXIX. MAII.

Insularum, quas sub caeli vertice australi deteξeramus, vnam reperimus variis mercibus diuitem: in eaque agros cultissimos, incolas numerosos, qui cum Aethiopes videantur, lingua tamen ab illis et moribus distant. *In naui nobiscum* erant, qui omnes Europae linguas callerent, nec tamen eius, qua incolae vtuntur, verbum vllum intelligerent. Gentis commercia moresque exploraturi, in nauem adduximus, qui linguam nostram disceret, quemque in Angliam transportaremus. Verum is, cum ex naui se eiecisset, in litus, tametsi satis remotum, nando euasit.

LVTETIA PARISIORVM. XVI. IVNII.

In Regis nuper conspectum adducti, ab eoque perhumaniter accepti fuerunt Pingreus, et Lhuilierus, ex insula Rodriguez, vbi Veneris per solis orbem transitum obseruassent, reduces.

DVNQVERCA. XII. IVN.

In portu nostro quae adsunt vectoria, et structurae planioris nauigia ad exeundum instruuntur. Similiter Portu Briuate magni fiunt adparatus.

HAGA COMITVM. XVI IVN.

Qui in Angliam nuper factae inter Ruſſos Pruſſosque pacis nuntium pertulerat, curſor Londino huc rediit, Vratislauiam perrecturus.

Conueniſſe inter Rusſiae Prusſiaeque Auguſtisſimos dicunt de colloquio Regiomontii coram faciendo.

Mantua Carpetanorum accepimus, ad oppugnandam Gibraltariam omnia ab Hiſpanis praeparari, Regemque ipſum expeditioni reliquae interfuturum.

Caiennam, Indiae occidentalis inſulam, quam Galli coloniis tenebant, ab Anglis expugnatam narrant litterae Londinenſes.

AMSTELODAMO. XVI. IVN.

Die menſis huius VI, ſi fides habenda nouisſimis ex Anglia nuntiis, Graueſanda Bremam abierant naues vectoriae quadraginta, lectis in exercitus ſupplementum militibus onuſtae.

EX TRACTV VIADRINO. XIII. IVN.

De Ruſſorum itinere complures nuntii referunt Treptouiae ad Regam congregari, quod in Marchia noua Pomeraniaque fuerat agmen Romanzouii, ibique dum allatum fuerit nouum aliquod itineris praeſcriptum, caſtra habiturum. Ad tranſportanda frumenta et cibaria illius agminis vehiculorum aliquot millia conducuntur.

MAGDEBVRGO. XV. IVN.

Dies abhinc aliquot ex ſtatiuis in Polonia mo-

uerunt copiae Ruſſorum auxiliares, Czerniſcheuii ductu, in Sileſiam ad Regis exercitum iturae.

EX THVRINGIA. XIV. IVN.

Inter Saxoniam Pruſſiamque aliquot hebdomadum inducias conueniſſe, de illisque, curſore nuntio, certiorem factum magiſtratum Lipſienſem, nonnullae Saxonum litterae referunt. Eaedem tamen addunt, ad Kellerum, praeſidii Pruſſici praefectum, nihil ea de re perlatum eſſe: a Fiedlero etiam, curiae *fiſci adminiſtro*, iuſſum magiſtratum conferendi tributi negotium perſequi. Thuringia arctiore in dies annona laborat.

RES LITTERARIAE

In Academia Iulio Carolina d. XXIX. Apr. ſub praeſidio Carpzouiano diſſertationem hiſtorico litterariam *de Vita*, *eruditione et ſcriptis Saxonis Grammatici*, *hiſtorici* *' ani*, publico examini ſubiecit auctor *Georgius Reimer*, Flensburgenſis. Helmſtad. octo plag. formae 4.

Centum et duodeuiginti anni ſunt, cum de praeſtantisſimi hiſtorici vita et ſcriptis erudite expoſuit Stephanus Iohannes Stephanius, Hiſtoriographus regius et in equeſtri Sorana Profeſſor. Sed dignus ſane erat ciuis quondam noſter, ſaeculique duodecimi ſcriptorum facile princeps, cuius et memoria recoleretur libello ſingulari, et merita nouis obſeruationibus illuſtrarentur. Diſputationis initio docet auctor, fuiſſe omni aetate viros, nomine proprio *Saxonum* nobiles: illud-

illudque cum Romani, Itali, Germani vſurpauerint, crebriore tamen in vſu fuiſſe genti Danicae. Nominis huius proprii ſyllabam mediam produci in caſibus obliquis; quae in eodem nomine, cum gentem ſignificat, modulo breuiori plerumque efferatur. Quae deinde, ad Saxonem ſuum conuerſus, de vita eius rebusque, monimentorum fide tradit, ea hic ſtrictim iudicio arbitrioque noſtro colligemus.

Saxonis noſtri pater auusque non ignobili genere fuiſſe videntur, certe virtute bellica incliti ſub Waldemaro I. Daniae rege ſtipendia meruerunt. Ipſe quo anno natus fuerit, non liquet. A. 1150, vel vt alii volunt 1156 floruit, h. e. laudem iam nomenque ſcribendis libris conſecutus erat. Ac quemadmodum gente ſe Danum non vno hiſtoriae ſuae loco profeſſus eſt ipſe: ita patriam illi Selandiam inſulam contigiſſe, conſtanti annalium teſtimonio patet. Quod Saxonem Longum vocant ſcriptores nonnulli, staturae id cognominis tributum fuiſſe veriſimile eſt. Sed longe celebrius eſt Grammatici cognomen, quo illius aetatis conſuetudo hominem ſignificabat aliis doctiorem, et in litterarum ſtudiis, in antiquitatis et hiſtoriarum cognitione inſigniter verſatum.

Neque immerito tribuitur Saxoni laus grammaticae, hoc eſt, eruditionis ſingularis cuiusdam et, vt tum erant tempora, mirificae. Cognouerat diligentius ſollertiaque ſtudio excuſſerat carmina monimentaque Islandorum, poëtas Daniae

vetuſtos, inſcriptiones in ſaxis, cippis, rupibus repertas, omnia denique, quae ad rerum a Danis geſtarum memoriam pertinerent. Nec minus eum diligenter legendis ſcriptoribus Romanis operam dediſſe, ſatis indicat orationis, qua vſus eſt, elegantia. Praeter illud, quo in primis excelluit, litterarum genus, doctrinam etiam ſanctiorem coluiſſe videtur, qui primum in Lundenſi epiſcopatu capitularis, poſtea cathedralis eccleſiae Roſchildenſis praepoſitus fuerit: iniquior enim eſt, qui hanc ei dignitatem ereptam iuit Otto Sperlingius. Ad prudentiae reliquarumque virtutum laudem Saxoni tribuendam haud parum facit, quod eo conſiliis ſuis intimo vſus eſt Abſolon, heros ille et Archiepiſcopus apud Danos tum auctoritate omnique virtute ſummus, ingeniorum etiam exiſtimator ſingularis.

Caelibem vixiſſe Saxonem, librosque non procreaſſe vt credamus facit decretum illud pontificium, quo vxores ducere vetabantur ſacerdotes: tametſi filios ipſi duo tribuerit Huitfeldus, et vtriusque rei conciliandae modum tradat Ericus Pontoppidanus, Vir illuſtris. Naturae denique conceſſit Saxo noſter, ſeptuagenario, vti quidem videtur, maior, a. 1204; exuuiaeque cathedrali templo Roſchildiae illatae fuerunt. In quo adhuc legitur tumulo tribus poſt ſaeculis impoſita a Lagone Vrne, Epiſcopo *Roſchildenſi*, epigraphe.

Delituerat trecentos amplius annos Saxonis **Hiſtoria Daniae, qua inde ab origine gentis vs-**

que ad annum 1185 res gestas persequitur, cum tandem Christiernus Petraeus, ecclesiae Lundensis canonicus, auctore eo, quem modo diximus, Lagone Vrne, de opere edendo cogitaret, et acceptum ex tabulario Lundensi codicem manuscriptum, Iodoco Badio, Ascensio, typographo Parisino, traderet. Itaque prodiit primum Saxo Grammaticus Lutetiae Paris. 1514 fol. Annos viginti post secundum prodiit Basileae a. 1534 fol. Secuta est editio tertia Francofurti ad Moen. a. 1576 fol. et tandem quarta Sorae 1644 eiusdem formae, studio eius, quem initio commemorauimus, Stephanii: cuius ipsius anno sequenti separatim prodierunt in fol. notae vberiores vna cum prolegomenis ad eas, paginis 252 absolutae.

„Merebatur, (ita iudicat Reimerus) hoc ornamentum patriae Saxo Grammaticus; merebantur hae doctae elegantesque notae Stephanianae, „quae ab aliquo *Godofredo Schütze*, aut *Bernardo* „*Moellmann*, *Olao Henr. Mollero*, aut ab alio quodam „his viris praestantibus simili ad modum veterum scriptorum Lat. et classic. quam fieri potest, ornate recuderentur.

In reliqua disputatione, ornatissimus Auctor praestantiam operis Saxoniani, et insignem tum in litteris humanioribus, tum in historia siue sacra siue litteraria, vtilitatem praedicat. Cumque more Petronii et aliorum Saxo narrationi historicae passim carmen aliquod suum inseruerit,

rit, eius rei hoc ſpecimen adfert ab illuſtri Pontoppidano quoque laudatum. Hialto, heros, Biarconem dormientem compellat lib. II. p. 32.

Ocius euigilet, quisquis ſe regis amicum
Aut meritis probat, aut ſola pietate fatetur.
Diſcutiant ſomnum proceres, ſtupor improbus abſit,
Incalcant animi vigiles: ſua dextera quemque
Aut famae dabit, aut probro perfundet inerti;
Noxque haec aut finis erit, aut vindicta malorum.
Non ego virgineos iubeo cognoſcere ludos,
Nec teneras tractare genas, aut dulcia nuptis
Oſcula conferre.
Non liquidum captare merum, tenerumue fricare
Femen, et in niueos oculos iactare lacertos.
Euoco vos ad amara magis certamina Martis.
Bello opus eſt, nec amore leui: nihil hic quoque facti
Mollities eneruis habet, res praelia poſcit.
Quisquis amicitiam regis colit, arma capeſſat.

Ceterum elegantem hanc de Roſchildenſi praepoſito diſputationem duobus Cimbriae noſtrae Theologis, ſumme vener. inſcripſit Reimerus, Adamo Struenſee, ſupremo per ducatum Sleſuic. et Holſat. ſacror. praeſidi, et Chriſti. Erneſto Lundio, praepoſito Flensburgenſi.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exſcripti foras dantur ſingulis hebdomadibus bini: proſtantque in tabernis, vno quilibet aſſe, venales. Extranei, quibus repraeſentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecenſis, ſoluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS LI.

DIE VENERIS, VII. CAL. IVL. CIↃ IↃCCLXII.



PETROBVRGO. XVII. MAII.

Regis Sueciae effigiem ad magnitudinem viuentis pulcherrime pictam ſplendidoque margine concluſam tradidit hodie Liber baro a Poſſe, legatus Suecicus, excellentisſimo Brockdorfio, cubiculi imperatorii praefecto ſupremo, et in rebus Holſaticis adminiſtro. Regiae in virum praeſtantisſimum voluntatis, veterisque amicitiae monimentum interpretantur quicunque vitae apud Holſatos actae memoriam tenent.

LIBVRNO. XXIX. MAII.

Qui nuper e Corſica *nuntius* venit, de grauiſſima Genuenſium clade retulit. Neque enim

per annos triginta tres, quibus vexata insula turbis et seditionibus fuit, commissum putatur proelium acrius illo, quo, nocte diem XI. Maii secuta, dimicatum est, cum improuiso Genuenses adortus esset Paolus. Concisus fuit excursorum * Genuensium princeps. Vix noctis beneficio cum militibus suis euaserunt Matra et Martinettus, tribuni, cum fugientes insequerentur quatuor millia amplius Corsorum. Nouus rebellantium ductor Ferdinandus, expugnato Campoloro, obsessum iuit *Maccinagium*: vnde qui eruptionem fecerant praesidiarii, male accepti sunt, nec sine magno suorum detrimento in vrbem reiecti. Exitiabilem fore imperio Genuensi cladem illam haud pauci autumant.

* Partheygänger.

MANTVA CARPETANORVM. I. IVNII.

Qui Mirandae nuper et Brigantiae exitus fuerat eundem habuerunt Chauae, prouinciae Transmontanae castellum. Ad tentandas Chauas ablegatus cum expedito milite Oreillyus, tribunus, vrbis portas deprehendit apertas, arcemque a praesidiariis vacuam. Discesserant enim qui locum defensuri putabantur bis mille Lusitani. Sed reperta fuerunt tormenta, aenea quidem vnum et viginti, ferrea viginti septem. Reperta quoque ingens copia scloporum, pulueris pyrii, glandium, reliquique adparatus bellici. Oreillyum Rex legatum dixit legionis pedestris.* Dum haec Chauis geruntur, cum alio agmine ad Moncoruium venit Casa-Tremanes,

marchio, oppidumque offendit et magistratu et praesidio orbum.

* Brigadier der Infanterie.

LVTETIA PARISIORVM. XIV. IVNII.

Ex aula Petroburgensi a Rege nuper reuocatus Liber baro a Breteuil ad Sueciam legatus ibit. Itaque diremtam putamus quae nobis cum Russis erat, coniunctionem. Havrincourtium, cum ei successum fuerit, Holmia putant Hagam Comitum concessurum, vt locum obtineat Affryi, qui ad exercitum regium haud ita pridem abiit summi ducis vicarius.

Die huius mensis tertio fines Hispaniae contigerunt Regi catholico auxilio missae cohortes tredecim In Gallicia illae cum agmine Hispanico coniungentur, ad oppugnandum Portum Calensem communem operam collaturae.

Allatae modo Mantua Carpetanorum litterae Hispanos nuntiant nullo negotio Chauarum Moncoruiique dominos factos. Mouisse inde quintuplici proficiscentium ordine copias Almeidam obsessuras.

Ex supremi senatus decreto, manu carnificis comburetur Ioannis Iacobi Roussauii, ciuis Genevensis nobilissimi, de educatione libellus, quem Aemiliam inscripsit: auctor ipse in carcerem palatinum *coniicietur. Qui si fuga se eripuerit, eius tamen bona manu praetoria detinebuntur.

* Conciergerie.

LONDINO XV. IVN.

Die X. Portum Magnum hinc deportata sunt tum Principis Strelitiensis, tum Bückeburgi Comitis impedimenta. Eodem se contulerunt praefecti militum, medici, chirurgi complures, consortes naui Lusitaniam simul petituri. Illustrissimum Bückeburgi Comitem, fama est, ante discessum ordinis equestris insignibus, Comitisque Anglicani dignitate ornatum iri. Sunt, qui in Hiberniae Duces referendum, existiment. Woolwico in Lusitaniam deuehentur tormenta aenea.

Ad Moorii subpraetoris * classiculam quae in freto Britannico inter Dubrim ** et Caletum versatur prope litora Cantii, *** multae conueniuntur naues incendiariae ****, tormentariae *****, vectoriae, pilis ferreis, * ansatis ** globulisque onustae. Quae quidem ad excensionem, quam Angli in Galliae litus parent, spectare nonnulli existimant.

* Commodore.
** Dover.
*** Die Dünen.
**** Branders.
***** Bombardier-Gallioten.
* Bomben.
** Carcassen.

EX CONFINIO EIMBECCENSI XVII. IVN.

In eo esse videtur, vt in expeditionem copiae educantur. Hodie bene mane Visurgim versus mouisse Eimbeccense praesidium, modo accepimus. Eimbeccam rursus intrarunt venatores Brun

Brunsuicensium trecenti, qui in Luckneri agmine militant.

Gottingensium ciuitati imperata dicuntur viginti quatuor millia librarum Gall. noui tributi nomine, pendenda.

RES LITTERARIAE.

Subigendi agri inculti rationem cum scripto nuper libello (*Pratique des défrichements*) Gallos suos docuisset *Marchio Turbilly*: dignus visus est libellus illustrissimo Comiti a Wedel Friis, Regis Daniae in aula Gall. extra ordinem Legato, qui in linguam Germanicam conuersus, nostris quoque hominibus commendaretur. Itaque, misso opusculi Germanice redditi exemplo, huius edendi ornandique curam mandauit *Godofredo Schützio*, viro celeberr. suoque in patriam amore cognito. Prodiit Altonae litteris Burmesterorum libellus octo plagulis formae 8. mai hoc indice inscriptus:

Des Herrn Marquis von Turbilly practischer Unterricht zum Aufreissen oder Brechen der unangebaueten Felder. Eine mit einigen von dem Herrn Verfasser selbst mitgetheilten Zusätzen erweiterte deutsche Uebersetzung. Mit einer Vorrede Gottfried Schützens, Doctors und Professors zu Hamburg, der Akademien der Wissenschaften zu Copenhagen und Berlin Mitgliedes, und der Akademie der schönen Wissenschaften zu Paris correspondirenden Mitgliedes.

In praefatione beneficium Editor celebrat amabilissimi Regis nostri in nouos Iutiae suae colo-

colonos; quo cum laudes coniungit similis studii, quo in augenda patriae commoda incumbant Daniae purpurati, qui propositis etiam praemiis excitent artium reique rusticae cultores. Deinde Turbillyi institutum commemorat quantopere probatum fuerit ciuibus Gallis. Huius dehinc praefatio et introductio quaedam sequuntur. In hac tum peregrinationi suae, tum duorum et viginti annorum vsui, quo in praediis suis Andegauensibus edoctus sit, monita haec sua et praecepta tribuit.

Interpretationem hanc vernaculam cum, addendis obseruationibus nonnullis, ipso exemplo Gallico auctiorem effecisset Turbillyus, Editoris rogatu eum verbis Gallicis etiam conrulit Wittius, Femerensis, vir doctissimus. Instrumentum denique rusticum, cuius in vertendo agro vsus est, tabella exhibet in aes incisum.

Medicam tormentorum aestimationem, praeside Petro Imman. Hartmanno, Medicinae D et PP O. etc. d. VII. Martii huius anni. vt amplissimum Doctoris medici gradum adipisceretur, in Iuleo magno publicae disceptationi proposuit auctor *Fridericus Adolphus Detlefsen*, Naualia Transysalanus. Helmstadii, 8 plagulae in 4. mai.

De reis pertinaciter negantibus quaeri per tormenta solet. Sed ita instituenda est quaestio,

vt conſeruandae valetudinis, membrorumque integritatis ſimul ratio habeatur: ne ex tormentis forte dimiſſi eam valetudinis factam ſentiant iacturam, quae facultatem adimat comparandi vitae ſubſidia. Huiusmodi detrimentum ſanitatis fieri poteſt vel per tormenta ipſa, ſiue inepta ſint torquendi inſtrumenta, ſiue inſcite adhibeantur; vel per qualemcunque corporis in reis conſtitutionem ſuſtinendis eiusmodi cruciatibus imparem. Vtrumque cum medicae conſiderationis ſit, faciendum ſibi putauit Auctor praeſtantiſſimus, vt potiorum, quae in vſu eſſent, tormentorum aeſtimationem inſtitueret. Opuſculum in duo capita tribuit, quorum primum de tormentorum in reorum corpora effectibus generatim exponit. Praemiſſis, quae partim etiam ad Iureconſultorum ſcholas pertinent, quaeſtionum generibus, duo torquendi inſtrumenta ſibi potiſſimum hic perſequenda ſumit, pollctra (Daumenſtöcke), et funes ſ. fidiculas (die Schnüre). Vtriusque generis vſum, tum legitimum, tum minus probandum, effectusque demonſtrat. In fidiculis deſcribendis erraſſe oſtendit et ab vſu fori receſſiſſe doctiſſimum ceteroquin Ienenſium Iurisconſultum, Io. Rud. Engau, qui in Elementis iuris criminalis, ex ſeta equina conſtrui ſcripſerit. Nimirum ex filis cannabinis contexuntur, quae hodie in vſu ſunt, fidiculae. Caput diſputationis alterum inſcriptum eſt de tormentorum effectibus, reorum valetudini imbecilli aut laeſae collatis, ſpeciatim. Quod tamen ſi priori, quo nititur, multo breuius

nius est, accurate tamen docteque propositum sibi argumentum explicat.

Dissertationi illi sollemni prolusionem praemiserat is, quem supra laudauimus, *D. Petrus Immanuel Hartmann*, ordinis medici eo tempore decanus, qua *calculum sub lingua exsectum describit.* Constat illa eiusdem formae plagulis tribus et dimidia. Quarum pagina index calculi illius sublingualis figuras habet caelo nitide expressas. Prolusioni subiuncta legitur de vita et studiis Candidati, narratio breuior. Nos vt testes quondam fuimus diligentiae ac virtutis doctissimi Detlefssenii, cum in Christianeo acad. bonis litteris operam nauaret: ita patriae nostrae vrbique Itzehoensi medicum gratulamur probum eruditum, et vel ipsa ingenii morumque suauitate aegrotis solatio futurum.

Berolini d. XIV. Iunii diem obiit, coetui suo, quin reipublicae sacrae desideratissimus, vir summe ven. *M. Nathanael Baumgarten*, Regis a consiliis sacris, ecclesiae Berolin. Inspector cet. Cuius nuper fratrem doluimus academiae Viadrinae ereptum.

Commentariorum libelli, charta omnes nitida exscripti puras dantur singulis hebdomadibus bini: prostantque in tabernis, vno quilibet asse, venales. Extranei, quibus repraesentare annuum pretium placuerit, numos librales quinque cum dimidio, monetae Lubecensis, soluent.

DE REBVS
POLITICIS ET LITTERARIIS
COMMENTARII
ALTONANI.
CONCESSV REGIO

LIBELLVS LII.

DIE MARTIS, III. CAL. IVL. clↄ Iↄcclxii.



HAFNIA. XIV. IVN.

Propositum fuit die XXVIII. Maii augustissimi Regis edictum, quod valde gratum putamus futurum his, quibus per ducatum Slesuicensem et Holsatiam regiam itinera sunt facienda. Constituitur eo edicto, et in melius reficitur res cursoria et vehicularis, quam ex aliquo tempore satis perturbatam conquesti erant viatores.

ROMA. I. IVN.

Heri festo iubilaeo per dies quindecim agendo initia dedit Pontifex, cum in supplicationem et sacram pompam procederet comitantibus purpuratis, praesulibus quotquot hic aderant, sacer-

 doti-

dotibus, et reliquis sacro ordini adscriptis. Decreta fuit haec supplicatio, vt belligerantibus exposcamus a summo Numine mentem eam, quae ad reconciliandam pacem feratur. Per huiusmodi dies festos impetrare delictorum veniam solent quicunque templum S. Petri, S. Ioannis, item diuae Mariae maioris adeunt, statutis diebus cibo se ac potu abstinent, et cum confessionis mysterium obierint, ad sacram mensam accedunt. Itaque ex omnibus Italiae partibus homines Romam allicit illa indulgentiarum titulo celebrata venia.

PETROBVRGO. I. IVN.

Rigam, Reualiam, Wyburgum et reliquas eius tractus vrbes per hanc aestatem inuisere decreuit Imperator.

Holmiam primo quoque tempore iturus illustrissimus Münchius iunior, supremi castrorum praefecti filius, vel, Ostermanni loco, legati munere apud Suecos fungetur; vel mandatum ab Augustissimo negotium aliquod peculiare curabit.

OLYSSIPPONE. XVIII. MAII.

Edicto, quo Lusitaniae ciues sollicitauerat, postquam fines intrasset, exercitus Hispanici dux summus, oppositum est a consilio nostro, Regis nomine, aliud, quo alia omnia, quam quae Hispani velint, facere Lusitani iubentur.

Qui, relicta aula, ad dioecesin suam nuper abiit, Eborae praesul summus, non alio id consilio fecit, nisi vt Regi ab ordine sacro, cui praeest,

quinquagies mille aureos,* veluti munus gratuitum impetret. Vix dubitamus, quin exemplum illud sequantur reliqui praesules Lusitani.

* Cruzaden.

Cum ante dies aliquot conspectae in Tago fuissent naues Catalonicae tres, regredi quamprimum altumque repetere iubebantur: ne, si forte ab Anglis caperentur, occasionem darent violandi iuris regii.

MANTVA CARPETANORVM. IV. IVNII.

Inter Abrantium et Villam-Veham quae congregatae in castris sunt copiae Lusitanae, complura ibi suggesta tormentis muniuerunt. Nec tamen, etsi magna sit loci opportunitas, exspectaturae milites nostros putantur, nec numerosae satis neque exercitatae.

Carthagine Noua* sine mora soluet classicula nostra, cum Gallica, quae Telone Martio** discessit, se coniunctura.

* Carthagena.

** Toulon.

LVTETIA PARISIORVM. XVIII. IVN.

In Britanniam minorem abiit Dux ab Aiguillon, vt oris maritimis prospiciat, quibus exscensionem minari putantur Angli.

Adhuc vndique nuntii veniunt inundationum ab imbribus, qui die XX. Maii deciderunt. Detrimentum illi grauissimum attulerunt tractui Engolismensi. *

* Angoumois.

Fff 2 En.

Ex hyperboreis secum adduxerat a. 1738 inde redux Maupertuisius puellas binas: harumque alteram, Plaustroniae nomine nobilitatam a. 1745 matrimonio sibi iunxerat nobilis quidam Normannus. Sed haec incautior forte et ad Gallicam elegantiam parum docilis, violatae fidei a marito nuper accusata, ex supremi senatus decreto, annum integrum in custodiis versabitur.

LONDINO. XVII. IVNII.

Ex morbo iam ante dies aliquot conualuerat Rex. Sed heri demum equo primum vectus est.

Relicto palatio Buckinghamensi, in illud, quod a diuo Iacobo nominatur rursus concedent Rex et Regina Lucinam ibi expertura.

Die XV. ex Germania cursor missus grauissimi argumenti litteras attulit. In expeditionem iam eductas scimus exercitus foederati legiones omnes. Itaque breui putamus futurum, vt de commisso cum Gallis proelio audiamus. Cibaria his pabulaque deesse, ex nonnullis indiciis intelligitur.

Saundersii classicula et nauibus et classiariis augetur, vt vel impedire omnino nauium Gallicarum cum Hispanis coniunctionem, vel vtrisque minimum resistere possit.

Quae Lusitaniae auxilia paramus, eo celeriora erunt, quo magis properato opus est, ex quo prouinciam Transmontanam Hispani, nullo repugnante, occuparunt.

HAGA COMITVM. XXII. IVN.

Pocockium, praetorem Anglum, litterae confirmant satis verbose scriptae die X. Maii ad Fanum S. Christophori * peruenisse.

* vor der Havana.

VINDOBONA. XII. IVN.

Quae ex Silesia nuntiantur, secutura proxime grauiora significant. Die VI. Beckius, vt hostem Tessenam * vsque progressum coërceret, Carnouia ** Oderbergam, deduxit castrorum principia. Die vero IV. Haddickius auxilia Beckio in Silesiam superiorem laturus cum octo legionibus ab exercitu maiori in tractum Glaciensem discesfit.

* Teschen.

** Iägerndorf.

Ad Viadrum iam peruenisse dicitur Russorum agmen cum Prussis coniungendum. Ei idem dux praeest, qui nobis simile antehac auxilium adduxit.

RATISBONA. XIV. IVN.

Heri a meridie ad aeternae quietis sedem abiit, anno aetatis sexagesimo tertio, reuerendiss. Ioh. Baptista Krauss, Abbas Emmeranus, motis religionis caussa controuersiis pugnisque nobilis.

RES LITTERARIAE.

Qui de iure et immunitatibus militum exposuerunt, auctores non tam militibus, quam eruditis scripsisse videntur. Disputationes academicae erant, eruditorum lingua paulloque subti-

lius plerumque conſcriptae, quam vt legi facile ab his, quorum iura diſceptarentur, et in vſum conuerti poſſent. Deerat, qui ex variis eiusmodi libris, ex legibus Principum et edictis militaribus, ex vſu denique potiora colligeret, et vernaculo ſermone explicaret. Satisfactum eſt deſiderio illi commentatione luculenta, quae Hamburgi nuper cum praefatione viri celeb. Godofredi Schützе prodiit.

Iohann Heinrich Kirchhofs, Sr. Königl. Maj. zu Norwegen beſtallten Iuſtitzraths, *Abhandlung von den beſondern Soldatenrechten, Vorzügen, und Freyheiten.* Inſcripſit Kirchhofius librum viro rei militaris ſcientia inclito, illuſtrisſimo atque excel. Conrado Wilhelmo, Comiti ab Ahlefeldt, in copiis auguſtisſimi Regis Daniae equeſtribus ſummi ducis vicario, ordinis dannebrogici equiti aurato, ſupremo cancellariae bellicae ſecretario cet.

In praefatione auctor tum ſcriptores academicos laudat, tum eos, qui lingua vulgari leges et ſtatuta militaria, forique militaris rationem expoſuerunt. In his vetuſtisſimi ſunt, praeter Philippum Cliuiae ducem, et Reinhardum comitem Solmenſem, Nicol. Otte, qui a. 1530 ſtatuta militaria edidit, et Leonhard. Fronſperger, cuius collecta militum iura a. 1565 prodierunt.

Commentatio ipſa in capita nouem deſcripta, poſtquam de iure militum et immunitatibus generatim expoſuit, has deinde ſigillatim ad varias vitae ſtatusque militaris partes transfert, atque eo ordine iuris officiique rationem perſequitur.

Pasſim

Passim lector quaestiones reperiet locaque cognitu iucunda: singula etiam vel veterum scriptorum testimoniis vel legum, edictorum cet. auctoritate comprobata. Qui adiecti sunt, indices nomina auctorum librosque laudatos, et rerum potiora argumenta complectuntur.

Quo adhuc rarius factum est, vt Gallico sermone libellum conscriberet Anglus, eumque Londini ederet: eo nobis magis mirum est visum Gibboni, nobilis Angli, institutum, qui vtrumque facere non dubitauit quo tempore illud, quod inter Anglos Gallosque dudum intercessit non aemulandi tantum, sed paene etiam obtrectandi studium, haud parum accendi bello et inimicitiis publicis videbatur. Hic vero libelli index est. *Essai sur l'Etude de la Litterature. Londres 1761. chez Becket et de Hondt.* Paginas ipse 159. formae 12 implet: et praemissa celeberrimi D. Mattyi epistola paginas 32 complectitur. Valde ingeniosa est haec epistola, et dum Gibbono, veluti bonorum ciuium nomine, linguae et eruditionis Gallicae vsum exprobrat, suauissimae ironiae specimem praebet.

Cogitata opusculum varia et de rebus litterariis iudicia continet, quae auctorem, iuuenem acri ingenio praeditum nec litteris leuiter imbutum, ostendant, virum aliquando futurum cum Anglorum Gallorumque doctissimis comparandum. De litterarum studiis illud initio animad-

uertit, omnibus ſaeculis vſu veniſſe, vt in vna quadam parte colenda praecipuo quodam et ſingulari ſtudio verſarentur homines, ceteris fere neglectis. Noſtra aetate veluti principatum dari Phyſicae et Matheſi: ſed breui fieri poſſe, vt ſtatu detruſis alia diſciplina ſuccedat. Hanc ipſe dignitatem elegantioribus litteris tributam vellet: ſed ita tamen, vt ne a philoſophiae ſtudio ſeiungantur. Hinc de humanioris diſciplinae ſtatu pretioque diſputans antiquarum gentium mores quam vim habuerint ad eloquentiam et poëſin, pulchre docet. Nec mius pulchre quo conſilio ſcripta videantur Virgilii Georgica, et horum lectori quid tenendum ſit, exponit. Ad artem criticam deinde et praecepta artium conuerſus, diſcedendi a regulis veniam redimi cenſet virtute quadam carminis ſingulari. Ad naturae hiſtoriam Romanos exiſtimat ſubſidia habuiſſe, quibus nos careamus, in ſpectaculis illis amphitheatrorum, vbi omnis generis vndique conquiſita animalia oculis ſubiicerentur. Digna quoque lectu ſunt, quae de reliqua hiſtoria monet. Finito quoque ſaeculo colligenda ſuadebat Alembertus facta geſtaque, et horum delectu habito quaedam ad poſteritatem transmittenda, reliquorum memoriam delendam. Gibbonus contra diligentisſime conſeruari omnia iubet: quod fieri posſit, vt vel ex leuisſimis grauiorum indicia eruat ingenium acre et Montesquieuſii ſimile. Denique de natura et origine deorum, quos olim colerent, a vera dei cognitione alieni, multa hic exquiſita minimeque vulgaria tradi animaduertimus.





